












Diplomata
ET
Numismata
Scotiæ

DE MANDATO PARLIAMENTI
in lucem edidit
Jacobus Anderson

SUBJICIUNTUR
Ad faciliorem Rei Antiquariæ cognitionem

Characteres
ET
Abbreviaturæ



SELECTUS

Diplomatum & Numiſmatum
SCOTIÆ
THESAURUS,

In DUAS PARTES diſtributus:

Prior Syllogen complectitur veterum *Diplomatum* ſive *Chartarum* Regum & Procerum SCOTIÆ, una cum eorum *Sigillis*, a DUNCANO II. ad JACOBUM I. id eſt, ab anno 1094 ad 1412.

Adjuncta ſunt reliquorum SCOTIÆ & MAGNÆ BRITANNIÆ Regum *SIGILLA*, à prædicto JACOBO I. ad nuperam duorum regnorum in unum, anno 1707, coalitionem;

Item *CHARACTERES & ABBREVIATURÆ in antiquis codicibus MSS. inſtrumentiſque uſitatæ.*

Poſterior continet NUMISMATA tam aurea quàm argentea ſingulorum SCOTIÆ Regum, ab ALEXANDRO I. ad ſupradictam regnorum coalitionem perpetuâ ſerie deducta;

Subnexis quæ reperiri poterant eorundem Regum SYMBOLIS HEROICIS.

Omnia ſummo artificio ad Prototyporum ſimilitudinem tabulis æneis expreſſa; adjectis ſingulorum Diplomatum, recentiore ſcripturæ formâ, æri itidem inciſis exemplis.

Ex mandato Parliamenti SCOTICI collegit, digeſſit & tantum non perficienda curavit egregius ac patriarum antiquitatum callentiſſimus Vir

JACOBUS ANDERSONUS Scriba Regius.

Quæ operi conſummando deerant ſupplevit, & Præfatione, tabularum explicatione, aliiſque Appendicibus, rem Scotiæ diplomaticam, nummariam & genealogicam haud parum illuſtrantibus, auxit & locupletavit

THOMAS RUDDIMANNUS, A. M.

Suppeditante ſumptus clariſſimo Viro THOMA PATERSONO *Armigero.*

EDINBURGI:

Apud THO. & WALT. RUDDIMANNOS. Venales autem proſtant, Londini apud eundem THO. PATERSONUM, in Vico vulgo **Conduit Street** dicto, propè **Hanover-Square**, & AND. MILLAR in Vico **The Strand**, è regione ædis D. Clementis, ad inſigne capitis Buchananæi; & Edinburgi apud GAVINUM HAMILTON Bibliopolam, MDCCXXXIX.



Serenissimo ac potentissimo PRINCIPI,

GEORGIO II.

DEI GRATIA

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ & HIBERNIÆ

R E G I,

FIDEI DEFENSORI;

BRUNSWICI ac LUNEBURGI DUCI, S. R. I. ARCHITHESAURARIO & ELECTORI;

DOMINO suo CLEMENTISSIMO:

Selecta hæc nobilissimorum, & in omni virtutis genere excellentium, Proavorum suorum, SCOTIÆ REGUM, ut & quorundam vetustæ illius gentis Procerum MONUMENTA:

Opus in se magnificum & vere Regium,

Ab JACOBO ANDERSONO scriba Regio, ex summorum Scotiæ Ordinum mandato, dudum designatum, collectum & digestum, nunc vero omnibus suis numeris expletum & consummatum;

Submissimo eo quo decet cultu & veneratione,

Dat, dicat, consecrat,

Majestatis suæ devinctissimus Servus & Cliens,

PAT. ANDERSONUS, JACOBI F.

ORDER of the Parliament of *Scotland*, for encouraging and enabling Mr. *James Anderſon* Writer to the Signet, to proſecute this Work.

A*T EDINBURGH, the Twelfth Day of* February, *One thouſand ſeven hundred and ſeven Years, Her MAJESTY's High Commiſſioner, and the Eſtates of Parliament, having this Day heard the Report concerning Mr.* JAMES ANDERSON *Writer to Her Majeſty's Signet, dated the xxix. Day of* November *laſt, given and ſubſcribed by the Earl of* Glaſgow, *the Lord* Balmerinoch, *Sir* John Lauder *of* Fountainhall, *one of the Senators of the College of Juſtice, and Sir* David Dalrymple *Advocate, Members of the Houſe, appointed by a Remit of Parliament, dated the ix. Day of the ſaid Month of* November, MENTIONING, That, in purſuance of the ſaid Remit of Parliament, they having met, and maturely conſidered what Advance Mr. *James Anderſon* has made in the Work recommended to him in the laſt Seſſion of Parliament, concerning the ancient Charters and Seals of this Kingdom, do preſume to give it as their humble Opinion, That the ſaid Mr. *James Anderſon* has made as great Advance in the ſaid Matter as the Time and Difficulty in the Performance could permit, and that his learned Induſtry in a Matter ſo uſeful, undertaken on the Recommendation of Parliament, deſerves further Encouragement to enable him to ſupport the Charge, and carry on the Deſign uniformly, and with that Beauty and Exactneſs which will be expected in a Work begun by ſo great Authority. And they beg'd Leave more particularly to lay before the Honourable Houſe, that they have ſeen the Impreſſions of twenty four Charters, in a Series from King DUNCAN downwards, with the Seals of many of our Kings, and ſome Charters very ancient and curious granted by Subjects, and ſundry curious Seals. And having compared them with the Charters of the ſeveral Ages in original Charters, and with the Seals, the Engraving appears to be moſt exact, and the ancient Charters and Seals are very happily imitated. They did likewiſe conſider curious Tables, prepared by the Author, to be engraven on large Plates ready poliſhed, for explaining the Characters of the ſeveral Ages, and the Abbreviations and Contractions ſo frequent in ancient Charters and Manuſcripts; to which the Author is to add uſeful Notes and Obſervations. They alſo underſtand he was favoured in *England* with the Truſt of ſeveral original Charters of our Kings and their Subjects, whereof none ſo old are yet known to be extant and preſerved at Home; which Favour has much contributed to advance his Work. He did lay before them an Account of the Expences he has already been at in this Work, in relation to what is already en-

 graven

graven, and ready to be engraven; which Account they judge to be modeſt and reaſonable. Beſides theſe Expences, they underſtand, that ſince this Work was recommended to him, he has been at great Charge and Pains in buying and collecting many rare and valuable *Latin*, *Saxon*, *French* and *Engliſh* Books, in relation to the *Britiſh* Hiſtory, and ancient Charters and Writings fit for him; ſundry of which Books are not known to be in any publick or private Library here. They likewiſe underſtand, that with much Civility and Frankneſs he has had Acceſs to ſome of the beſt Repoſitories of Writings in *England*, wherein are many remarkable Things concerning this Kingdom, not known. And as a Proof of this, he ſhewed them ſome hundreds of Sheets of Liſts, Notes, and Copies taken from theſe Writings, which could not be done without great Pains and Expences: So that they find he has not only purſued diligently what was recommended to him, but alſo has improved the Opportunity to collect what might illuſtrate our Hiſtory from Records in Foreign Parts. They have alſo conſidered a Note given in by him of ſeveral Charters and Seals, which he purpoſes to cauſe engrave, and of ſome other Things which he intends to publiſh in this Work, with an Eſtimate of the Expences; and humbly conceive it is very proper, that what is mentioned and propoſed in that Note be done. And conſidering, that in this Work there is to be much and fine Engraving, and that the engraved Charters, as alſo ſeveral other Charters, with Notes and Obſervations, are to be printed in modern Types, and that the Paper is to be large and fine; they are of Opinion, that this muſt needs be a Work of great Expences, Pains and Induſtry. As to the Expences of the Work, they find that Mr. *James Anderſon* has not only expended the Three hundred Pounds *Sterling* which was granted to him in the laſt Seſſion of Parliament, but has alſo further expended in this Work, and Materials fit for it, the Sum of Five hundred and ninety Pounds *Sterling*. And it is their humble Opinion, That there be given to him the ſaid Sum of Five hundred and ninety Pounds *Sterling*, in conſideration of what he has already advanced and ſuperexpended in relation to the ſaid Work; and that there be further given to him the Sum of One thouſand and fifty Pounds *Sterling* to enable him to complete the ſaid Work, with the ſame Beauty and Exactneſs that he has begun it; and that this Encouragement be granted upon ſome ſure and ready Fund, ſo as he may proceed with all Diligence, and pay the Workmen neceſſary to be imployed in this Work. They cannot but take notice, that the ſaid Mr. *James Anderſon* has already been, and will hereafter alſo be at very great Loſs in his private Employment, by the aſſiduous and diligent Proſecution of this Work; and therefore humbly ſuggeſt, That his Grace, Her Majeſty's high Commiſſioner, and the Honourable Eſtates of Parliament may repair that Loſs, in ſuch manner as their Wiſdom and Goodneſs ſhall think fit; which will much encourage him to continue theſe Studies and Enquiries, as the ſaid Report bears. *WHICH being fully conſidered by Her Majeſty's ſaid Commiſſioner, and the ſaid Eſtates of Parliament, and they being therewith well and ripely adviſed, they APPROVED, and hereby APPROVE thereof.* EXTRACTED forth of the Records of Parliament by me *DAVID* Earl of *Glaſgow*, &c. Lord Regiſter.

GLASGOW Cls. Regr.

Re-

Recommendation by the Parliament of SCOTLAND *in favours of Mr.* James Anderſon.

AT *Edinburgh*, the fifth Day of *March*, One thouſand ſeven hundred and ſeven Years, Her Majeſty's High Commiſſioner, and the Eſtates of Parliament, do humbly recommend to Her Majeſty to enable Mr. *James Anderſon* to proſecute the Work this Parliament hath employed him to perform, by being graciouſly pleaſed to order Payment to be made to him of the Sums mentioned in the Report of the Committee concerning him, ratified in Parliament, in ſo far as they exceed the Sums to be paid by the Town of *Dundee* to him. And in conſideration of his good Services to his Country, and of the Loſſes he ſuffers by the Interruption of his Imployment, in proſecuting the ſaid Work, do further recommend him to Her Majeſty, as a Perſon meriting her gracious Favour, in conferring any Office or Truſt upon him, as Her Majeſty in Her Royal Wiſdom ſhall think fit; And do deſire the ſaid Mr. *James Anderſon* to proceed in the Work before mentioned.

SEAFIELD Cancellar. I. P. D. P.

Extracted forth of the Records of Parliament by me DAVID *Earl of* Glaſgow *Lord Clerk Regiſter.*

GLASGOW Cls. Regr.

THE Sum, which the Parliament of *Scotland* do humbly recommend to Her Majeſty to order Payment to be made of, to Mr. *James Anderſon*, for enabling him to proſecute the Work that the Parliament employed him to perform, is One thouſand and fifty Pounds *Sterling*, as appears by the Report of the Committee concerning him, ratified in Parliament. *Extracted from the Records thereof, and atteſted by me,*

GLASGOW Cls. Regr.

Quo de Diplomatum aliorumque in hoc opere contentorum fide & auctoritate constare meliùs possit; simulque ut eorum, qui ad id perficiendum symbolas suas contulerunt, munificentiam grato qualitercunque animo recoleremus; visum est virorum & societatum illustrium, qui archetyporum, unde omnia descripta sunt, exemplarium nobis benignè copiam fecerunt, hoc brevi laterculo nomina exhibere.

EX archivis Ecclesiæ *Dunelmensis*, suppeditata sunt diplomata contenta in	Tabulis IV. VI. *a. b.* VIII. *a. b. c.* X. *a. b.* XX. *a. b.* XXII. LXIX. *a. b.* LXXI.
Ex chartophylacio Academiæ S. *Andreæ*,	Tab. XII.
Ab illustrissimo, *Edwardo* Comite de *Oxford* & *Mortimer*,	Tabb. XIV. XVI. *a. b.* XVIII. *a. b.* XXVI. XXXIX.
Ab illustr. *Thoma* Comite de *Hadington*,	Tabb. XXIV. XXXVI. LI.
A *Roberto Freebairn* Typographo Regio,	Tab. [XXV.]
Ab illustr. *Jacobo* & *Gulielmo* Comitibus de *Panmure*,	Tabb. XXVIII. XLIX. LIII.
Ab illustr. & potentiss. *Jacobo* duce de *Montrose*,	Tab. XXX.
Ab illustr. *Hugone* Comite de *Lowdon*,	Tabb. XXXII. LV.
Ab illustr. *Jacobo* Regulo de *Balmerino*,	Tab. XXXIV.
Ex Archivis in turre *Londinensi* servatis,	Tab. XXXVIII.
Ex tabulariis in domo capitulari *Westmonasterii* servatis,	Tabb. XLI. LXIV.
A *Davide Watsono* Scriba *Edinburgensi*,	Tab. XLIII.
Ab illustr. *Maria* Comitissa de *Errol*,	Tab. XLV.
Ab illustr. & potentiss. *Joanne* Duce de *Argyle*,	Tab. XLVII.
A spectabili Viro, *Alexandro Hamilton* de *Innerwyck*, Armigero,	Tab. LVI.
A spectabili Viro, *Gulielmo Moray* de *Abercairny*, Armigero,	Tab. LVIII.
Ab illustr. *Joanne* Comite de *Rothes*,	Tab. LX.
Ab illustr. *Joanne* Comite de *Wigton*,	Tabb. LXII. LXVIII.
Ab illustr. & pot. *Jacobo* Duce de *Queensberry*,	Tab. LXVI.
A spectabili Viro, *Georgio Dundas*, de eodem, Armigero,	Tab. LXXIII.
Ab illustr. *Joanne* Regulo de *Sinclair*,	Tab. LXXV. *a. b.*
A spectabili Viro, *Joanne Anstis* Armigero, Garterio Rege armorum,	Tab. LXXVII.
Ab illustr. *Davide* Comite de *Glasgow*,	Tab. LXXIX.
A spectabili Viro, *Carolo Sinclair* de *Hermanston*, Armigero,	Tab. LXXXI.
A variis Viris nobilibus aliisque, suppeditata sunt Sigilla Regum *Scotiæ* ab JACOBO I. ad Reginam ANNAM, quæ descripta sunt	Tabb. LXXXII. ad C.
E nobili Jurisconsultorum, quod *Edinburgi* est, Nummophylacio, plerique omnes nummi tam aurei quàm argentei, qui exhibentur	Tabb. CLII. ad CLXXV.
E Bibliotheca *Cottoniana*, Symbola Regum Scotorum heroica, quorum icones exhibentur	Tabb. CLXXVII. ad CLXXX.

Huic denique nobilissimorum præstantiumque Virorum albo adscribi à nobis insigniter meretur ornatissimus Juvenis WALTERUS MACFARLAN, de eodem, Armiger, ac vetustæ cum primis *Macfarlanianæ* tribûs Phylarchus; qui, quâ summâ est humanitate, atque in omni elegantiore literatura, antiquaria præsertim, peritiâ, suam nobis in hominum locorumque nominibus explicandis operam & industriam haud gravatè commodavit.



Thomæ Ruddimanni

AD

LECTOREM ΦΙΛΑΡΧΑΪΟΝ

PRÆFATIO.

I. SISTITUR jam tandem in manus tuas, Lector benevole, opus, quod impenſo non minus ſumptu quàm labore per plurimos annos moliebatur, tantúmque non ad umbilicum perduxerat ὁ πάνυ JACOBUS ANDERSONUS, Signeti quod vocant apud nos Regii Scriba. Optandum quidem ſummopere fuit, ut non ſolùm quam telam exorſus erat eam pertexere, ſed etiam fructus inde & utilitates in publicum redundaturas Viro clariſſimo, quod optimè omnium potuit, commonſtrare licuiſſet. Verùm cùm ſummo mortalium rectori aliter viſum fuerit, qui eum curis humanis jamdudum exemptum ad altiora evocavit; mihi enimvero, qui de alieno opere præfandi onus in me ſuſceperim, ſatis erit, ſi Auctoris conſilium, quidque ab illo in eo concinnando præſtitum fuerit, quàm dilucidè poſſum, expoſuero. Introductio.

II. Atque, ut inde ſumam exordium, huic ſcripto eadem ferè ratio, quæ alteri non diſſimilis argumenti ipſius operi cauſſam præbuit, inſignis nimirum, quæ per omnem vitam altiſſimè ejus animo inſederat, in patriam dulciſſimam amor. Cùm enim, ſub initium hujus ſeculi, jam diu depoſitam, & tantùm non ſopitam, inter Scotiæ & Angliæ regna controverſiam peſſimo & maligno conſilio redintegrâſſet Gulielmus quidam Atwodus Anglus, qui, vanam apud ſuos gloriam captans, Scotiæ Reges Anglorum Regum beneficiarios eſſe magno ſed futili conatu contendebat, atque eo in libro Jacobum noſtrum Anderſonum commentorum ſuorum teſtem adhibere ſuſtinuiſſet: ille, ut hanc nomini Scotico inuſtam labem abſtergeret, ſimulque ut ſe ab impuri hominis calumniis liberaret, calamum contra ſtrinxit, juſtoque opere non ſolùm adverſarii Operis occaſio.

verſarii argumenta, vel potiùs ſophiſticationes, retudit; ſed invictis rationum ponderibus ſceptri regnique Scotici poteſtatem prorſus abſolutam, omnique externo jugo immunem, ita demonſtravit, ut rem extra omnem deinceps controverſiæ aleam, etiam apud cordatiores Anglos, poſuiſſe videatur. Hic ejus labor ſuis omnibus, in primiſque ſummo regni Senatui acceptus adeò fuit, ut publicæ ei gratiæ propterea habitæ præmiaque ampla conſtituta ſint. Sed neque intra hos fines ejus erga patriam caritas illiuſque decus promovendi ſtudium ſtetit. Dum enim, ut Atwodi librum refutaret, publica utriuſque regni tabularia & monumenta ſummâ diligentiâ pervolutare atque excutere neceſſe haberet, eoque plurimas chartas aliaque inſtrumenta offenderet, quæ non ſolum abſolutum Regum Scotiæ imperium comprobarent, ſed ad regni claritudinem ulteriùs illuſtrandam conducerent; animum ipſius impetus inceſſit aliud majus opus movendi, quæ Scotiæ ſuæ honorem dignitatemque vel oculis legentium commonſtraret. Gnarus autem ſe rem non arduam modò, ſed & majorum ſumptuum quàm modicæ ipſius fortunæ paterentur, animo agitare; non priùs hanc in ſe provinciam ſuſcipiendam exiſtimavit, quàm inſtituti ſui rationes amicis primùm, ac deinde ſummis regni Ordinibus in publicis comitiis impertiviſſet. Et iis quidem adeò in commune tum utile tum honorificum Auctoris noſtri conſilium eſt viſum, ut re diligenter penſitatâ eum ad opus gnaviter exſequendum, haud pœnitendo honorario propoſito, adhortarentur.

III. Habes, Lector, laboris hujus Anderſoniani occaſionem & primordia; proximum eſt ut quæ ſint ejus partes, quidque in ſingulis præſtandum vir elegantiſſimus apud ſe conſtituerit, diſpiciamus.

Ejus partes. Ad primum quod attinet, veri haud diſſimile videtur, nihil aliud initio Anderſonum noſtrum animo deſtinâſſe, quàm ut Diplomatum à priſcis Scotiæ Regibus aliiſque conceſſorum ſpecimina quædam, ad prototypæ ſcriptionis ſimilitudinem, quoad ejus fieri poterat, conformata, & exadverſum eorundem exempla, recentiore, quâ nunc utimur, literarum formâ expreſſa, affabrè omnia æri inciſa exhiberet: quibus demùm, ad minuendam legendi hæc atque alia hujuſmodi omnis generis inſtrumenta difficultatem, varios ſcribendi characteres & literarum compendia ſeu abbreviaturas iis temporibus uſitatas adjungeret. Has operi ſuo metas Auctorem noſtrum crediderim primitùs poſuiſſe; ac poſtea, partim materiæ cognatione, partim rei ipſius venuſtate adductum, Regum noſtrorum nummos ſymbolaque heroica mantiſſæ quaſi loco ſubnexuiſſe. Sed an res ita verè ſe habuerit, necne, parum nunc attinet anquirere: potius eſt ut de variis hujus operis partibus, quales nunc in publicum prodeunt, ſigillatim dicere pergamus.

De diplomatibus & ſigillis in prima parte contentis. IV. Prima igitur ac præcipua hujus codicis partitio ſpecimen continet ſelectorum aliquot diplomatum, à Regibus aliiſque principibus Scotiæ viris emiſſorum, per trecentos ampliùs annos, i. e. ab anno Æræ Chriſtianæ MXCIV. uſque ad annum ejuſdem MCCCCXII. perpetuâ ſerie continuatum. Quòd autem ultra hunc terminum Auctor rem non produxerit, inde potiſſimùm factum videtur, quòd literarum characteres, totamque adeò ſcribendi formam (quam, vetuſtiore illo ævo, ſub ſingulis ferè Regibus variam ac multiplicem obſervârat) poſterioribus ſeculis uniuſmodi propemodum, nulli ſaltem notabili mutationi obnoxiam, perſeverâſſe deprehenderat. Ad recentiora igitur hæc tempora quod attinebat, ſatis Auctor noſter habuit ſigilla cæterorum deinceps Regum ab Jacobo noſtro ejus nominis primo ad Reginam Annam huic parti ſubjicere. Addidit quidem unicum Mariæ Reginæ Scotiæ illiuſque conjugis Franciſci, tum Delphini, poſtea Galliarum eo nomine ſecundi Regis, diploma. Sed id ut faceret ſingularis hæc ratio ei ſuppetebat, quòd in eo diplomate Franciſcus & Maria, non Scotiæ ſolùm, ſed & Angliæ Irlandiæque Reges ſe appellent: quæ res cum primis acerbiſſimum, neque aliter quàm ipſius ſanguine expiandum, Mariæ noſtræ apud Elizabetham Anglam odium conflavit.

V. At

V. At quàmvis à recentioribus ejuſmodi diplomatis exhibendis conſultò Auctor noſter abſtinuerit; quòd tamen rem altiùs atque ſupra Duncani II. tempora non repetiverit, duro rerum noſtrarum fato effectum eſt, non ipſius voluntate; utpote qui, ſi ulla his antiquiora apud nos ejuſmodi monumenta ſcrutando reperire potuiſſet, ea fuiſſet cum fide repræſentaturus. Quo quidem tempore inſtrumentorum vel publicorum vel privatorum uſus apud nos primùm introductus fuerit, tot ſeculorum lapſu, nullo prorſus pacto definiri poteſt. Cæterùm vicinarum gentium, apud quas per plurima antè ſecula recepta ea erant, conſuetudo dubitare nos haud ſinit, quin apud Scotos, diu etiam ante Duncani II. aut Milcolumbi ejus patris, Megalocephali cognominati, tempora, mos iſte invaluerit. Certè ſollertiſſimus harum rerum indagator Bartholomæus Germonius (*a*), quamvis ea quæ ſub Merovingicis & Carolovingicis Francorum Regibus pro genuinis à Jo. Mabillonio exhibentur, commentitia eſſe omnia exiſtimet; non tamen negat publica apud Gallos inſtrumenta ſcribendi ritum ſexto etiam ſeculo receptum fuiſſe. Et reverendiſſimus pariter atque in patriæ ſuæ antiquitatibus verſatiſſimus vir, Geo. Hickeſius (*b*), etſi ea, quæ jam apud ſuos aſſervantur, maximam partem ſpuria eſſe oſtendat; chartas tamen & diplomata conficiendi morem apud Anglo-Saxones ſeculo docet ſeptimo initium cepiſſe: cujus rei exempla nonnulla, chartam ſciz. Ethelberti I. Regis Cantuariorum, quam omnium antiquiſſimam affirmat; item Sebbi Regis orientalium Anglorum, qui floruit anno Domini DCLXXX. & Lotharii Regis Cant. monaſterio Reculvenſi, A. D. DCLXXIX. conceſſam, ut alias omittam, in medium adducit. Quòd ſi chartarum ejuſmodi uſus tot retrò ſeculis inter vicinas nobis gentes locum habuerit, haud facilè exiſtimandum eſt earum notitiam, ac proinde conſuetudinem, tam ſerò, i. e. undecimo demùm ſeculo ad nos perveniſſe.

Diplomatum apud Scotos origo incerta.

VI. Si quis autem craſſam eam barbariem, (quam genti noſtræ priſcis illis temporibus magna ex parte incubuiſſe haud prorſus diffitemur,) quò minùs chartarum uſus apud nos citiùs invectus fuerit, obſtitiſſe cauſſetur; regerere nec abſque ratione poſſumus finitimas Saxonum nationes nihilo ferè minùs barbaras tum fuiſſe. Certè Scotos diu ante Saxones ſacris Chriſtianis fuiſſe imbutos teſtatur vetuſtiſſimus eorum ſcriptor Beda, qui Palladium tradit ad Scotos in Chriſtum credentes à Cæleſtino Papa primum miſſum Epiſcopum anno Chriſti nati CCCCXXX. (*c*). At non niſi centeſimo ſexageſimo ſexto poſt anno, i. e. DXCVI. Anglorum gentem fidem Chriſtianam miniſterio Auguſtini Monachi ob id à Gregorio Papa ad eam illo anno miſſi ſuſcepiſſe idem ſcribit (*d*). Omnibus autem in confeſſo eſt, cum puriore religione literarum, quæ antea in hac inſula aut nullæ aut rariſſimæ fuere, unàque vitæ humanioris cultioriſque conſuetudinem fuiſſe invectam. Non equidem negaverim hanc morum feritatem, quæ apud omnes hujus inſulæ incolas maxima olim ac ferè æqualis erat, non niſi multorum annorum, fortè & ſeculorum decurſu, etiam poſt agnitam Evangelii lucem, emolliri potuiſſe. Fieri etiam poterat, ut gravis illa, quæ Scotos inter & Anglos de feſti Paſchalis obſervandi tempore, de Clericorum tonſura aliiſque nonnullis ritibus, diu viguit diſſenſio alteram gentem ab alterius moribus & inſtitutis ſequendis alieniorem fecerit; ut proinde diplomatum & chartarum uſus, quem Anglo-Saxones à Gallis, hi ab Italis aliiſque acceperant, ad Scotos paullo tardiùs fuerit propagatus. At poſtquam ea controverſia per totam ferè Britanniam fuit ſedata, omneſque ejus gentes præter Brittones ad ritus in Eccleſia Romana receptos tranſierunt, quod factum ineunte ſeculo octavo Beda (*e*) teſtatur; haud abſurdum eſt creditu Scotorum Reges alioſque, præſertim diſciplinæ

Non multò quàm apud Anglos recentiorem eam videri.

(*a*) De arte ſecernendi antiqua diplomata vera à falſis, tom. 1. p. 17. (*b*) In diſſertatione epiſtolari ad Barthol. Schowerum, Theſauro ſuo linguarum Septentrionalium, vol. 1. ſubjuncta, p. 79. (*c*) Hiſt. Eccleſ. gent. Angl. lib. 1. cap. 13. Idem habet & Proſper Aquitanus (qui eo tempore vixit) in chronico, ſub conſulatu Baſſi & Antiochi. (*d*) Hiſt. Eccleſ. gent. Angl. lib. 1. cap. 23. (*e*) Ibid. lib. 5. cap. 23.

Mo-

Monasticæ sectatores, qui se in clientelam Pontificibus Romanis haud multò post tradiderunt, in alios etiam ritus vivendique ab iis acceptas rationes paullatim concessisse.

Antiquum inter Scotos & Francos fœdus diplomatibus hinc inde confirmatum.

VII. Certè, decurrente ad finem hoc seculo, hoc est, circa annum DCCXCI. initum memoratur antiquissimum illud & famigeratissimum inter Scotos & Francos amicitiæ fœdus, quod & instrumentis publicis utrinque confirmatum nostri scriptores constanter tradunt. Ut recentiores prætereum, Jo. Fordonus *(f)* de illo fœdere sic disertè scribit: *Denique* [Carolus Magnus Francorum Rex] *nuncios ubilibet emittens, quorum Achaio* [Scotorum] *Regi quosdam, cum quibus iterum & ipse suos, ejusdem negotii per eum in omnibus approbati, remisit bajulos, ut initi fœderis & amicitiæ conventiones & pacta sub æquis firmarentur conditionibus, & indentatis redacta scriptis utriusque Regis munimine alternatim signarentur.* Non ignoro vetustum hoc inter Carolum M. & Achaium nostrum fœdus pro deridiculo haberi à quibusdam, præsertim à Thoma Rymero Historiographo Anglo *(g)*, & quem supra nominavimus Gul. Atwodo *(h)*, qui nullum amicitiæ inter Scotos & Francos fœdus Roberti nostri II. aut saltem Joannis Ballioli temporibus antiquius intercessisse contendunt. Sed irritos hac in re eorum conatus reddidit D. Robertus Sibbaldus, qui editâ de hoc fœdere dissertatione, ex Eginhardo aliisque scriptoribus Carolo M. aut coævis, aut non multùm inferioribus, citra (me judice) controversiam demonstravit fœdus illud Caroli magni temporibus initium habuisse. Idem etiam confirmant viri clarissimi ac antiquitatum Scoticarum callentissimi, D. Jacobus Dalrymplius in Collectaneis historicis *(i)* & Patricius Abercrombius in Heroibus Scotis *(k)*, & ante eos D. Georgius Mackenzæus in sua adversus Episcopos Asaphensem *(l)* & Petroburgensem *(m)* Regiæ Scotorum stirpis defensione: qui etiam Hugonis Vardæi & Rod. Oflahertii fœdus hoc à Scoto-Britannis ad Hibernos suos trahentium errores plenissimè ac solidissimè refutavit *(n)*. Ad vetusti hujus fœderis conditiones quod attinet, haud equidem affirmaverim eas quæ ab Hectore nostro Boëthio *(o)*, Davide Camerario *(p)* aliisque, è Veremundo Hispano, Milcolumbi nostri III. æquali scriptore, adferuntur, veras ac genuinas esse. Propior vero est doctissimi & patriarum antiquitatum indagatoris sollertissimi Thomæ Innesii opinio, qui *(q)* Veremundum illum pseudonymum, nec ante seculum XV. visum, legesque fœderis illius Gallo-Scotici ex eo desumptas posterioris ævi conditionem & indolem sapere, proindeque prorsus commentitias esse arbitratur. Utut verò se hæc res habeat, nihil tamen inde efficitur, quò minùs fœdus ipsum, tot priscis scriptoribus comprobatum, sincerum germanumque credamus. Accedit hujus rei haud leve fulcimen, quod imperante eodem Carolo M. Academiæ Parisiensis fundamenta à duobus Scotis præcipuè jacta, non à nostris solùm, sed exteris etiam scriptoribus tam Anglis quàm Gallis perhibeantur. Ut taceam hoc & proximè sequentibus seculis monasteria quædam in Germania à nostræ gentis hominibus aut condita aut ampliata, testante Mariano Scoto, qui circa annum floruit MLIX. & aliis. Eorum quæ diximus summa eò recidit, ut quùm Caroli M. ævo Reges Scotorum, non solùm cum eo amicitiam instituerint, sed literis ad illum datis, referente Eginhardo *(r)*, eam confirmârint; quùm porrò celeberrima Parisiensis Academia, multaque præclara per Europam Cœnobia sua primordia & incrementa Scotis hominibus accepta referant, rationi admodum consentaneum videatur, ut credamus iis saltem temporibus, i. e. exeunte octavo, aut ineunte nono seculo, diplomatum scribendorum

(f) Scotichron. lib. 4. cap. 48. *(g)* In epistola ad Episcopum Carleolensem secunda, hac de re scripta. *(h)* De superiore sceptri Anglici in Scotiam dominio, p. 332. & 564. *(i)* Pag. 87. & seqq. *(k)* Tom. I. p. 111. &c. *(l)* Pag. 109. 110. & 111. *(m)* Pag. 155. — 158. *(n)* Contra Episc. Asaph. p. 184. *(o)* Lib. 10. fol. 188. *(p)* In Epitome historica Regum Franciæ, Angliæ & Scotiæ, fol. 95. *(q)* In tentamine critico de antiquis Scotiæ incolis, vol. I. pag. 297. & seqq. *(r)* In vita Caroli M. cap. 16.

consue-

conſuetudinem apud nos uſu receptam fuiſſe. Vix enim fieri potuiſſe cenſendum eſt, ut gentes, inter quas tam arcta neceſſitudo conjunctioque interceſſerat, non eos ritus & inſtituta, quorum tanta eſt in rebus humanis utilitas, inter ſe communicarent.

Rationes cur antiquiſſima apud Scotos diplomata interierint.

VIII. At oggerentem hîc aliquem audire mihi videor, ſi inſtrumentorum ejuſmodi conficiendorum conſuetudo Caroli M. ævo apud nos recepta fuerit; vix credibile eſſe, ut ex tot eo duobuſque ſequentibus ſeculis, i. e. ab anno DCCXCI. ad MXCIV. ſcriptis monumentis ne vel unum ſupereſſet. At quamvis huic argumento plurimum ponderis ad labefactandam noſtram hac de re ſententiam ineſſe primâ facie videatur; non deſunt tamen multæ eæque graves admodum rationes, quæ ejus vim ſi non prorſus enervare, retundere ſaltem magna ex parte poſſunt.

Prima.

Et primùm quidem ſe offert rei ipſius vetuſtas, quæ cum ſupra nongentos annos repetatur, haud facilè exiſtimandum eſt eorum inſtrumentorum autographa ævi omnia conſumentis morſus effugere, atque per tot ſecula ad nos illibata durare potuiſſe. Atque hinc præcipuè eſt, quòd eruditiſſimus Germonius, in ea quam ſupra laudavimus de veteribus Francorum Regum diplomatibus diſceptatione (ſ), negat illa quæ à cl. Mabillonio in libris de re diplomatica, non ſolùm ſub Merovingis, ſed etiam ſub Carolovingis Francorum Regibus, i. e. ſub Carolo M. Ludovico Pio, aliiſque etiam ſecundæ Francorum Regum dynaſtiæ exhibentur, genuina eſſe: *Diplomata enim illa* (verba ſunt ipſius Germonii) *cùm ſcripta fuerint in papyro Ægyptiaca, in cortice, in membranis, quæ corpora per ſe fluxa ſunt & caduca, incredibile eſt tanto temporum intervallo illæſa à mucore, ſitu, muribus, aliiſque ejuſdem generis peſtibus reſtitiſſe.*

Secunda.

At ſecundò, ut concedamus cuſtodum curâ & vigilantiâ potuiſſe fieri, ut aliquot ex his vetuſtis monumentis blattarum ac tinearum dentes, aliaſque ejuſmodi ævi injurias evaſerint, reſtabat aliud, nec fortè minùs grave, cum quibus illis luctandum erat, malum. Innumera illa & tantùm non continua bella intelligo, quibus gens noſtra, ſi quæpiam alia, aut inter ſe, aut cum vicinis nationibus, Pictis, Danis, & Anglis, per tam longam annorum ſeriem graviſſimè conflictabatur. Inter tot hominum ſtrages, tot urbium ſæpiùs iterata excidia, tot ædium ſacrarum juxta ac profanarum incendia & direptiones, mirandum potiùs videtur tam multas chartas autographas ad noſtra tempora perennâſſe, quàm omnes anterioribus ſeculis exaratas prorſus interiiſſe.

Tertia.

Ad hanc Bellonæ omnia vaſtantis aut fœdantis rabiem novus acceſſit cumulus ab infenſiſſimo Scotorum hoſte Edwardo I. Anglorum Rege, qui non contentus gentem noſtram injuſtiſſimo eodemque crudeliſſimo bello per multos annos afflixiſſe, cum aliter fortiſſimo ac libertatis unicè tenaci populo ſervitutis jugum, quod enixè cupiebat, nequiret imponere, animum tandem ad omnem, ſi fieri poſſet, nominis Scotici memoriam abolendam adjecit. Hoc conſilio, ut Buchanani (t) noſtri verbis rem efferam, *leges noſtras veteres delevit, hiſtorias, fœdera, monumentaque vetuſta, ſive à Romanis relicta, ſive à Scotis erecta, deſtruenda curavit; libros omnes literarumque doctores in Angliam tranſtulit: lapidem marmoreum rudem, in quo fatum regni contineri vulgò perſuaſum erat, Londinum miſit: neque quicquam omnino reliquit quod ſpiritus generoſos aut ſui memoriâ ad priſtinæ fortunæ recordationem excitare, aut ad veram animi magnitudinem erudire & excolere poſſet.* Buchanano hac in re ſuffragantes vel potiùs præeuntes habemus alios pleroſque hiſtoriæ noſtræ ſcriptores. Ad acta autem publica quod attinet, res ipſa loquitur: nulla quippe in chartophylaciis ſive archivis regni jam inveniuntur, niſi quæ Edwardi iſtius ætate ſunt poſteriora. Ex vetuſtioribus quidem illis in Angliam deportatis

(ſ) Cap. 1. (t) Rerum Scotic. lib. 8.

tatis multa in turri Londinenſi adhuc aſſervari memorantur : at longè máximam eorum partem, & in his quædam fortè iis quibus diximus ſeculis ſcripta, hoſtium (quales ferè tum Angli erant) vel incuriâ, vel malevolentiâ jampridem aut deperdita eſſe aut abſumpta plus quàm credibile eſt.

Quarta. His diplomatum apud nos cladibus ultimam quaſi manum impoſuit purioris religionis reſtitutio. Quamvis enim nihil in ſe præſtantius, aut in publicum conducibilius eſſet, quàm ut cultus divinus ad primævum ſuum ſtatum nitoremque revocaretur : cum tamen hanc rem, non ſummarum poteſtatum, quod maximè erat optandum, auſpiciis, ſed populi nutu & tumultuoſum ferè in modum obiri contigerit; hinc factum eſt ut plebs, quæ cœco ferè & effreni impetu, non moderatis conſiliis regitur, cum non aliter ſuperſtitioſos Papanorum ritus expurgari poſſe exiſtimaret, pravâ & ipſa ſuperſtitione ducta in cœnobia iram ſuam effunderet, unáque libros veteres & diplomata, aliamque in iis repertam ſupellectilem eâdem ruinâ devaſtaret. Hæc miſeri Monachi & Sacerdotes fieri cum conſpicerent, rebus deſperatis ſolum verterunt, ſecumque quæ quiſque pretioſiſſima ex illo naufragio ſervare poterant, & in his chartularia ſua aliaque ejuſcemodi monumenta, in exteras regiones, nunquam in Scotiam redituri, avexerunt.

Quò plura apud nos vetuſta monumenta deperierint, eò majore curâ, ut ea quæ ſuperſunt eruantur & conſerventur, incumbendum.

IX. His duriſſimis chartarum apud nos caſibus recenſendis diutiùs fortè quàm par erat ſum immoratus. At id duabus præſertim de cauſſis à me factum. Primùm, ut oſtenderem, non popularium meorum (quod multis perſuaſum) ſocordiâ aut inſcitiâ, ſed ineluctabili ſortis noſtræ fato accidiſſe, ut tam pauca ex antiquioribus noſtræ gentis monumentis jam ſuperſint. Deinde, ut noſtratibus ad ea quæ adhuc ſuperant majore curâ cuſtodienda, aliaque in privatorum ſcriniis domi foriſque deliteſcentia ad regni decus uſuſque publicos in apricum proferenda, animum quantum poſſum accenderem. Is ſcilicet ſcopus cl. noſtro Anderſono in primis erat propoſitus : qui, quâ ſummâ erat in his talibus aſſiduitate, quæ domi reperire non poterat, apud exteros quærens, omnia inveſtigabat, & ad res noſtras illuſtrandas depromere ſatagebat. De illius ad Mariæ Scotæ intricatiſſimam hiſtoriam elucidandam *Collectaneis* non attinet hîc dicere. Ad noſtrum inſtitutum propiùs ſpectat quod ipſe in ſuo de abſoluta ſceptri Scotici poteſtate narrat *(u)*; ſe nimirum trium noſtrorum Regum, Duncani II. Edgari & Alexandri I. quorum alibi nulla reperire potuerat diplomata autographa, quæ prima in hoc volumine exhibentur, chartophylacio Dunelmenſi, ad quod maximâ poſſidentium benignitate facilis ei aditus patebat, unicè accepta retuliſſe.

Cl. Anderſoni in hac re aſſiduitas laudatur.

Ex eo quòd antiquiſſima quæ jam ſuperſint Scotorum diplomata in Anglia ſerventur, alia tum eſſe his vetuſtiora arguitur.

Atque hinc aliud ſuggeritur argumentum, id quod ſupra dicebamus haud leviter confirmans, diplomatum ſciz. apud nos originem undecimo (addo etiam & decimo) ſeculo antiquiorem videri. Cum enim dubium non ſit, quin tres illi Scotiæ Principes ſpatio triginta annorum, quot nimirum ab anno MXCIII. quo Duncanus II. regnum iniit, ad MCXXIV. quo Alexander I. imperare deſiit, plurima alia præter pauca illa quæ vicinis debemus, confecerint diplomata; quæ tamen omnia iis quos diximus caſibus interciderunt : mirandum utique non eſt alia à ſuperioribus Scotiæ Regibus edita eidem fato & accedenti longioris temporis intercapedini omnia ſuccubuiſſe.

De chartarum apud nos ante Duncani II. uſu ſpeciatim inquiritur.

X. Cæterùm, ut hæc omnia, ſi pote, fiant apertiora, non ab re facturum me exiſtimavi, ſi temporum ſeriem à Duncani II. ætate retrò legens, ex noſtris aliorumque ſcriptis ea ſigillatim eruam, quæ de chartarum apud nos antiquitate diſquirentibus lucem impertire aliquam poſſe videntur.

Et primùm, quanquam nulla jam uſpiam genuina exiſtent Milcolumbi noſtri III. hujus Duncani II. patris diplomata *(x)*, quædam tamen ab eo confecta ſignificare

(u) Pag. 58. *(x)* Extat quidem apud doctiſſimum Gul. Dugdalium, in Monaſtico Anglicano, vol. 2. p. 1054. Milcolumbi III. de monaſterii Fermelodunenſis fundatione diploma, à D. Jacobo Balforeo, Fecialium apud Scotos tum Principe, ſibi tranſmiſſum. At id potiùs ab ejus pronepote Milcolumbo

gnificare videtur Fermelodunensis ab eo fundati monasterii liber *(y)*, in quo Gulielmi, Alexandri II. & III. literæ sua suorumque decessorum donaria & privilegia huic cœnobio concessa confirmantes, generatim præferunt dona ei à Milcolumbo III. & beata Margareta ejus conjuge, æquè ac ab ipsorum filiis Davide I. & Alexandro I. data SCRIPTIS CONTINERI *(z)*. Etiam in libro prioratûs Sancti Andreæ venerandæ antiquitatis *(a)* hæc habentur : *Malcolmus Rex & Margareta Regina Scocie contulerunt devotè villam de Ballecristin Deo omnipotenti & Keledeis de Lochlevin, cum eadem libertate ut prius*, i. e. quam in prioribus capitibus scriptor memoraverat. Hanc autem donationem non verbo solùm, sed & scripto roboratam, haud prorsus à verisimili abhorret *(b)*.

Quædam illarum vestigia apud Malcol. III.

Id quò magis, aliqua saltem ex parte, credam facit quod paullò apertiùs in eodem libro, de Macbetho, qui proximè ante Milcolumbum III. regnum tenuerat, narratur, quodque adeò chartarum apud nos vetustatem altiùs attollere videtur, his verbis : *Macbet filius Finlach contulit pro suffragiis orationum, & Gruoch filia Bodhe, Rex & Regina Scottorum, Kirkenes Deo omnipotenti & Keledeis insule Lochlevin, cum suis finibus & terminis. Hi enim sunt fines & termini de Kirkenes, & villule que dicitur Porthmokanenè de loco Moneloccadhan, usquè ad amnem qui dicitur Levin. Et hoc in latitudine, sicut à publica strata quæ ducit apud Hinhirkethyn usque ad saxum Hibernensium ; & hoc in longitudine*, &c. Et non multò pòst, de eodem Rege & Regina, *Cum omni libertate collata fuit villa de Kirkenes Deo omnipotenti & Keledeis, absque omni munere & onere, & exactione Regis & filii Regis, Vicecomitis & alicujus, & sine refectione pontis, & sine exercitu, & venatione, scil. pietatis intuitu, &* [pro] *orationum suffragiis fuit Deo omnipotenti collata.* Hæc enim verba tam signatam, tum loci ipsius, tum immunitatum ad eum spectantium continent descriptionem, ut ea non oris traditione accepta, sed ex chartis ea de re scriptis deprompta videantur.

Et Macbethum.

XI. Sed de recepta apud Scotos Macbethi ætate diplomata scribendi consuetudine, eò minus nobis laborandum est, quòd, ut haud parùm antiquius, ita multò luculentius hujus rei indicium præbeat, si modò ipsius est, ejus avi Milcolumbi II. diploma, quo Murthilacum, in agro Banfiensi vicum, sedem constituit Episcopalem, quæ postea Abredoniam erat translata. Hujus diplomatis exemplum habemus in chartulario quod dicitur Abredonensi *(c)* satis vetere, quod & in aliis antiquis collectionibus se vidisse ait cl. Dalrymplius *(d)*; cujusque, utpote omnium (si verè Milcolumbi II. est) quæ mihi hactenus videre licuit, Scoticorum vetustissimi, apographum hîc adjiciendum duxi.

De diplomate Milcolumbi II. anno 1010.

bo IV. scriptum arbitratur D. Jacobus Dalrymplius, in *Collect. Histor. p.* 228. Circumfertur porrò ejusdem Milcolumbi III. Huntero de Polmoud concessum, vulgari quò nunc utimur idiomate, & rythmicè scriptum, diploma. At ejus fidem, quum multa alia suspectam reddunt, tum illud in primis, quòd eâdem ætate à Gulielmo Anglo Conquæstore vulgò dicto, Normanno cuidam Huntero datum, iisdemque penè verbis perscriptum, memoretur diploma; quod ex vetusto chronico in bibliotheca Richmondensi se deprompsisse narrant Anglicæ historiæ scriptores Jo. Stowius, *p. m.* 111. & Jo. Spedus, *lib.* 9. *cap.* 2. *p.* 424. Sed & illud supposititium esse convincit sermo illis temporibus inusitatus, præcipuè verò quod canon (ut Feudistæ loquuntur) ob id prædium solvendus præscribatur *arcus cum sagittis, cum Rex ad amnem Yarrow venatum iret*; neque enim ager huic amni, qui silvam Atricam sive præfecturam Selkirkianam mediam secat, unquam sub Anglorum ditione fuit.

(y) In bibliotheca juridica servatus, cujusque scriptura (quod ad hanc partem) Alexandri III. ætati videtur æqualis. *(z)* Verùm, cum in charta Davidis I. dona patris sui Milcolumbi III. huic cœnobio concessa confirmante, hæc verba non habentur, dici potest ea de posteriorum Regum donis tantùm esse intelligenda. *(a)* Tempore Davidis nostri I. ut fert opinio cl. Dalrymplii, scriptus; cujus nunc possessor est non genere magis quàm omnigenâ virtute illustris Comes de Panmure. *(b)* Alia de hac re mens est cl. D. Jac. Dalrymplii, qui in *Collectaneis suis Histor. p.* 226. ex iis quæ *de terris de Admore ab Edelrado filio Malcolmi* [III.] *Regis Scotiæ Abbate Dunkeldensi & insuper Comite de Fife, concessis, posteaque ab ejus fratribus Alexandro & Davide confirmatis*, in eodem libro narrantur; colligit terrarum donationes viris Ecclesiasticis factas, olim apud nos ad Alexandri I. ejusque fratris Davidis I. tempora, nudis verbis, coram aliquot viris illustribus, nullâ scripturâ adhibitâ, peragi consuevisse. Idem verò, *p.* 151. quamvis nulla Malcolmo III. regnante scripta documenta sibi conspecta affirmet, non dubitare tamen se ait, quin aliqua ejusmodi exstiterint. *(c)* In bibliotheca Juridica Edinburgi, quod scriptum tempore Roberti II. se ostendit, p. 53. *(d)* Collect. Histor. p. 135.

Malcolmus

Malcolmus Rex Scottorum omnibus probis hominibus suis tam Clericis quàm Laicis salutem. Sciatis me dedisse, & hac cartâ meâ confirmâsse Deo & beatæ Mariæ, & omnibus Sanctis, & Episcopo Beyn de Morthelach, Ecclesiam de Morthelach, ut ibidem construatur sedes Episcopalis, cum terris meis de Morthelach, Ecclesiam de Cloveth cum terra, Ecclesiam de Dulmeth cum terra; ita liberè sicut eas tenui, & in puram & perpetuam elemosynam: Teste meipso, apud Forfar, octavo die mensis Octobris, anno regni mei sexto.

An id verè Milcol. II. sit, disceptatur.

Dixi, si verè hoc Milcolumbi II. diploma est, reverendissimus enim ac in re antiquaria versatissimus Carleolensis Episcopus, Gul. Nicolsonus *(e)* hujus Episcopatûs erectionem Milcolumbo III. disertè adscribit: quod adeò si verum est, hoc instrumentum Milcolumbi ejus III. non II. esse necesse est. Sed cum omnes ferè nostri scriptores (ut optimè ratiocinatur *(f)* Dalrymplius) constanter tradant, pio illi gratumque in Deum animum testanti instituto caussam dedisse nobilissimam totiusque belli decretoriam de Norvegis illo in loco à Milcolumbo II. reportatam victoriam; ambigi vix potest, quin sub hoc Rege Episcopatus ille Murthlacensis, qui postea Abredonensis, initium ceperit. Huc adde quòd in eodem libro Abredonensi *(g)* expressis verbis dicatur: *Tempore Malcolmi Regis Scocie filii Kenach, per eum Malcolmum constituta est primò sedes Episcopalis apud Morthlach,* &c. Kennethi autem [ejus nominis III. ac ultimi, Scotorum Regis] filium, non Milcolumbum III. sed II. fuisse, omnes nostræ historiæ testantur. Diffitendum quidem non est, alio ejusdem libri loco id factum dici anno 1070. At hoc ex librarii lapsu esse 1070 pro 1010 scribentis inde colligit D. Dalrymplius *(h)*, quòd annus 1010 in annum sextum quadret regni Milcolumbi II. quo diploma hoc datum scribitur; at annus 1070 non in sextum, sed decimum tertium Milcolumbi III. incidat: ut proinde, si annus Christi sexto Milcolumbi III. anno respondens sit notandus, 1063, non 1070 scriptum oportuerit. Alias opinionis suæ à cl. viro allatas rationes, utpote minoris momenti, omitto. Id solùm adjicio, sedis hujus Episcopalis à Davide nostro I. ad Abredoniam tanslationem, amplisque privilegiis & redditibus locupletationem caussam videri, cur parva ipsius ad Murthilacum initia minùs accuratè à scriptoribus nostris tradantur.

Duæ adversus ejus sinceritatem objectiones. Prima.

XII. Duo tamen (ne quid dissimulem) in hac re mihi se injiciunt scrupuli. Primùm, quòd ante hujus sedis ad Abredoniam translationem tres tantùm memorentur Episcopi, Beyn, sive Beanus, (sub quo in supradicto diplomate fundata perhibetur,) Donertius & Cormachus. Neque enim verisimile quibusdam videri potest, ut tres continuâ serie Episcopi tot annos Ecclesiæ Murthlacensi præfuerint, quot ab anno sexto Milcolumbi II. ad initia Davidis I. h. e. ab anno MX. ad MCXXV. numerantur. Hoc quippe pacto unumquemque annos ferè xxxviii. sedem illam tenuisse oportere: quod de viris, qui non nisi ætate provectiores ad id munus admoveri solent, haud facilè creditu est. Sed huic difficultati non uno modo occurri potest. Primò enim dicere licet, à præcedentis Episcopi obitu ad subsequentis electionem aliquot annos (quod illis temporibus haud infrequens erat) intercedere potuisse. Deinde, Nectanus, qui quartus ejus sedis Episcopus numeratur, cujusque tempore hæc ad Abredoniam facta translatio traditur, complures dici potest annos Murthilaci, antequam Abredoniam migraret, sedisse. Tertiò denique, neutiquam à naturæ legibus abhorrere existimandum est, viros summâ in rebus omnibus continentiâ, quales eo ævo Episcopi erant, tot annos quot in prædicta serie supputantur, alios post alios vitam prorogâsse. Certè Hector Boethius, qui peculiari libro vitas Episcoporum Aberdonensium perscripsit *(i)*, nihil fide absonum, aut communi rerum humanarum sorti contra-

(e) In bibliotheca Scotorum historica, p. 210. *(f)* Loco citato. *(g)* Pag. 47. *(h)* Collect. histor. p. 136. *(i)* Edit. Paris. apud Bad. Ascensium, anno 1522.

rium

tium ſe tradere opinabatur; cum Beano xxxi. Donertio xlii. ac Cormacho denique xxxviii. in ſede Murthlacenſi annos tribueret. Hi autem numeri ſimul juncti annos conficiunt cxi. i. e. ab anno MX. ad annum ferè MCXXII. pertingunt, quo anno Nectanus in Epiſcopum Murthlacenſem ſuffectus, ac poſtea, ſede à Davide I. mutatâ, anno MCXXXVI. Abredoniam deductus, ab eodem Boëthio perhibetur.

Sed aliud, multóque quàm prius illud validius adverſus hanc Milcolumbi II. chartam argumentum ſuggeritur, ex vocibus quæ ſub finem ſunt TESTE MEIPSO. Hanc enim formulam à Ricardo I. Anglorum Rege primùm invectam, ac ad poſteriores Reges deinde derivatam, notat cl. Mabillonius *(k)*, qui porrò addit eam Angliæ Regibus peculiarem fuiſſe, ac non niſi in rebus levioribus, & quæ præſentem executionem poſtulabant, adhibitam. Unde & quædam Regum Francorum diplomata, ex eo præcipuè capite quòd hâc formulâ claudantur, ſuſpecta ait videri. Grave quidem, fateor, ex hoc tanti viri teſtimonio adverſus hujus diplomatis fidem naſcitur præjudicium. At illud, cum ex eo genere ſit, quæ vulgò *negativæ probationes* appellantur, prorſus invictum nemo exiſtimaverit. Tot certè tamque variæ variis ſeculis inoleverunt exoleveruntque loquendi ſcribendique formulæ & conſuetudines, ut quid quoque ſeculo receptum vel contrà fuerit, vix alio pacto, quàm comparatione cum aliis ejuſdem ſeculi ſcriptis factâ, definiri poſſit. At cùm nulla jam apud nos exſtent, præter unum illud de quo ambigimus, Milcolumbi ævo conſcripta diplomata, haud ſatis juſtum rationique conſentaneum videtur, ex moribus poſteriore ætate uſitatis de iis qui præceſſerant judicium ferre, adeóque de inſtrumentorum tam diverſis temporibus ſcriptorum ſinceritate ſtatuere. Accedit & illud obſervatu dignum, haudquaquam veriſimile eſſe, ut Scoti in diplomatibus confingendis, relictâ tritâ illâ, & in omnibus quas viderant patriarum chartarum exemplis obviâ ſcribendi conſuetudine, inſolentem nullique præterquam Anglorum genti, ſi Mabillonio fides, uſitatam formulam adhiberent. Sed neque Anglorum Regibus adeò peculiaris erat hæc formula, ut non Scoti eam interdum uſurpaverint. Ex Rymeri enim actis publicis apparet Alexandrum noſtrum II. & III. itemque Joannem Balliolum *(l)*, eâdem nonnunquam in literis ſuis uſos fuiſſe. Sed nos totam hanc rem aliorum in antiquorum monumentis magis verſatorum judicio relinquentes, ad alia pergamus. Secunda.

XIII. Proximè autem in hac diſquiſitione ſe nobis offerunt Epiſcoporum Sancti Andreæ quædam à ſcriptoribus noſtris memorata inſtrumenta, quæ, ſi vera & genuina ſint, chartarum apud nos uſum, non modò ſupra Duncani II. i. e. annum MXCIV. evehunt, ſed & eorum nonnulla Milcolumbi cujus modò meminimus II. ætatem ſuperare videntur. Ex his duorum à D. Jacobo Balforeo, Fecialium regnante Carolo I. in Scotia Principe, ac ſuæ gentis antiquitatum indagatore ſollertiſſimo, mentio fit; reliquorum veſtigia ſive fragmenta quædam ſervari mihi videntur in libro quem diximus prioratûs Sancti Andreæ. De utriſque jam ſuo ordine mihi dicendum. De quibuſdam veteribus Epiſcoporum D. Andreæ diplomatibus.

Et primùm, D. Jacobus Balforeus, in libello de vitis Pontificum S. Andreæ, qui ipſius manu ſcriptus in bibliotheca Juridica, quæ Edinburgi eſt, cuſtoditur, de Kellacho II. quem ille quartum ejus loci Antiſtitem facit, agens, ſe vidiſſe ait chartam ab illo Pontifice Keledeis de Lochlevin conceſſam, in qua ipſe ſeſe MAXIMUM SCOTTORUM EPISCOPUM appellat. De Maldwino autem, qui ei ordine ſextus collocatur, ſcribit eum donationem confirmâſſe à prædeceſſoribus ſuis S. Servano & Keledeis de Lochlevin factam, *de patrimonio* ſciz. *de Portmohack & Kilgad, jacen. prope hoſpitale de Fonte Scotiæ*; additque eum in illo diplomate ſe ECCLESIÆ S. ANDREÆ MINISTRUM HUMILEM vocare. De binis hiſce diplomatibus, cum inſtituti id Ac primùm de diplomatis Kellachi II. & Maldwini.

(k) De re diplom. lib. 2. cap. 21. § 7. *(l)* Fœder. Angl. tom. 1. p. 263. 671. & tom. 2. p. 1064. 604.

noſtri ratio poſtulare videatur, quo paullò diſtinctiùs agam, primùm de eorum αὐθεντίᾳ, deinde de tempore quo ſcripta ſunt, ſigillatim eſt diſquirendum.

Kellachi II. diploma à ſuſpicione falſitatis liberatur.

XIV. Et quidem, ut inde exordiar, de eorum fide & veritate quò minùs dubitemus, viri & probi & docti teſtimonium ſatis facere videtúr. Prioris tamen auctoritatem ſuſpectam reddere conatur quem ſupra laudavimus D. Jac. Dalrymplius *(m)*, ex eo præcipuè, quòd quem ſibi aſſumit ille Antiſtes MAXIMI SCOTTORUM EPISCOPI titulus Pontifici Romano quàm Epiſcopo S. Andreæ convenientior ſit. Sed hæc ratio, ad tam apertum teſtimonium convellendum, infirma admodum, me judice, aut potiùs nulla, debet exiſtimari. Cum enim ab antiquiſſimis temporibus Epiſcopi S. Andreæ inter omnes Scotiæ Antiſtites primas ſemper ſine controverſia tenuerint, hoc eſt, *ſummi* ſive *maximi* fuerint habiti, quid quæſo obſtat quò minùs honoris tanto muneri ac loco debiti prærogativam in diplomatis ſuis ſibi adſciſcerent? Certè ab ipſis ferè Chriſtianæ religionis primordiis, Eccleſiarumque per orbem terrarum diſſeminatione optimè conſtitutum eſt, ut in unaquaque provincia unus aliquis Epiſcopus, quem vel ætas grandior, vel reliquorum electio, vel, quod uſu maximè erat receptum, urbis in qua ſedem fixerat dignitas, cæteris in conciliis ſive ſynodis vocandis habendiſque præeſſet; qui propterea à Græcis ὁ πρῶτος, ſive PRIMUS, appellatus, atque à Suffraganeis ſuis tanquam ipſorum CAPUT *(n)* & *Princeps* agnitus & honoratus fuit. Hic nimirum idem erat quem poſtera ætas *Archiepiſcopum*, *Metropolitanum* ac *Primatem* nominabat.

MAXIMI SCOTORUM EPISCOPI ab eo aſſumptus titulus nihil de ejus fide derogare exiſtimandus.

Sed, ut ad rem propiùs accedamus, hunc morem Epiſcopum S. Andreæ PRIMUM ſive SUMMUM appellandi ſatis vetuſtum fuiſſe, alia exſtant eaque locupletia admodum documenta. Inſigne in primis eſt illud, quod apud Jo. Fordonum, vel ejus continuatorem Walterum Bowmakerum, in Scotichronico *(o)*, & Andream Wintonum in vita Regis Indulfi *(p)*, habetur, de tegmine, ſive capſula, Evangeliorum, cui laminis argenteis ornatæ *(q)* & eorum ætate in æde D. Andreæ conſervari ſolitæ hoc diſtichon inſculptum ſe illi ſuis oculis vidiſſe teſtantur:

Priſcos S. Andreæ Epiſcopos hoc titlo honeſtatos fuiſſe probatur.

Hanc Evangelii thecam conſtruxit aviti
Fothad, qui Scotis primus Epiſcopus eſt.

In his quidem verſibus ſcribendis variant libri: in aliis enim Fordoni codicibus MSS. *avites* & *avitus*, apud Wintonum verò & Fordonum ex edit. Tho. Hearnii, *Fodach, qui primus Scotiæ Epiſcopus erat*, repugnante metro, poſitum invenimus. At in Excerptis ex regiſtro prioratûs S. Andreæ tota ea res multò dilucidiùs enarratur, hoc modo *(r)*: *Epiſcopus S. Andreæ dictus eſt Epiſcopus Scotorum: & ſic in ſcriptis tam antiquis quàm modernis inveniuntur dicti* [ſummi Archiepiſcopi *(ſ)*, ſive] *ſummi Epiſcopi Scotorum; unde & conſcribi fecit in theca Evangelii Fothet Epiſcopus,*

Hanc Evangelii thecam conſtruxit aviti
Fothet, qui Scotis ſummus Epiſcopus eſt.

Sic & nunc quoque in vulgari & communi locutione Eſcop Alban, id eſt, Epiſcopi Albani appellantur: ſic & dicti ſunt & dicuntur per excellentiam ab univerſis Scotorum Epiſcopis, qui à locis quibus præſunt appellantur. Ex his pa-

(m) Collect. Hiſtor. p. 129. *(n)* Vide canones qui Apoſtolorum vocantur 27. al. 34. & in eum Beveregium; & Pet. de Marca de concord. ſacerd. & imperii, lib. 1. cap. 3. & lib. 6. cap. 1. *(o)* In libro peculiari de Epiſcopis S. Andreæ, ſub init. *(p)* De hoc ſcriptore vide quæ dicta ſunt in Præf. ad Buchanani opera à Rob. Fribarno edita, p. 15. *(q)* De more involucra codicis Evangeliorum auro, argento, gemmis, &c. ornandi, vide Schlegelium de nummis Abbatum Hersfeldenſium, p. 16. & chronicon Gottwicenſe, lib. 1. cap. 1. p. 32. *(r)* Vide Dalrymplii Collect. p. 127. *(ſ)* D. Rob. Sibbaldus de libertate & independentia regni & eccleſiæ Scot. p. 6. idem ex his Excerptis referens, voces *ſummi Archiepiſcopi* non habet, quod & rectiùs videtur.

lam est *aviti*, non *avitus* in ista theca inscriptum fuisse: vox quippe ad τῷ *Evangelii* referenda est non ad *Fothadum*, qui si ipse hoc distichon conscribi fecerit, se *avitum*, i. e. *priscum* sive *vetustum* nullâ ratione appellare poterat. Utrum verò PRIMUS an SUMMUS sincerior lectio sit, parum interest: eodem enim res redire videtur, sive Fothadus ille *primus* sive *summus* Scotorum Episcopus insigniatur (*t*). Cæterùm, Episcopos S. Andreæ priscis temporibus summos vocari solitos fuisse extra dubium ponit memorabilis illa DE PRIMATU SEDIS EBORACENSIS IN SCOTIÂ, à NICOLAO quodam AD EADMERUM DEI GRATIA IN CATHEDRAM S. ANDREÆ, regnante apud nos Alexandro I. ELECTUM, scripta EPISTOLA (*u*) his verbis: *Cesset ergo Eboracensis Ecclesia primatum Scottiæ sibi vendicando appetere; quam si haberet, cum Præsul S. Andreæ* SUMMUS PONTIFEX SCOTTORUM *appelletur;* SUMMUS *verò non est, nisi qui super alios est; qui autem super alios Episcopos est, quid nisi Archiepiscopus est? licet barbaries gentis pallii honorem ignoret. Si, inquam, super hunc, qui* SUMMUS *vocatur* PONTIFEX SUÆ GENTIS *prælationem haberet Præsul Eboracæ; jam non tantùm Metropolitanus, immò Primas esset alterius etiam regni: quod nusquam legitur.* Ex hac porrò epistola, cujus auctorem Nicolaum fuisse Ecclesiæ Wigorniensis Priorem, qui anno MCXXIV. è vivis excessit, arbitratur Whartonus (*x*), validissimum, ut id obiter notem, & planè invictum habemus ab inimico etiam, i. e. ab Anglo homine testimonium de Ecclesiæ Scoticanæ à sedis Eboracensis jurisdictione immunitate. Quò magis miror D. Robertum Sibbaldum, in libello *de regni & Ecclesiæ Scoticæ*, quam vocant, *independentia*, egregiè alioquin scripto, hujus epistolæ, licet ante duodecim annos editæ (*y*), non meminisse. Monstrum haud parùm auget, quòd eodem libello (*z*), ex Whartoniani operis eodem tomo ii. chartam Turstini Archiepiscopi Eboracensis, quæ illam Nicolai epistolam proximè sequitur, de consecratione Roberti Episcopi S. Andreæ, D. Sibbaldus adferat. Cujus rei nullam aliam conjicere possum rationem, quàm quòd ei quo usus est vir cl. exemplari, vel bibliopegi incuriâ, vel alio casu aliquo, folia illa Nicolai epistolam continentia abfuerint. Quòd autem D. Jac. Dalrymplius, de eadem Ecclesiæ Scoticanæ immunitate agens, hanc Nicolai epistolam, licet alia quædam ex Whartoni opere citet (*a*), tacitus prætervehat; hæc, neque obscurè, se prodit caussa, quòd multa in ea epistola, ac præsertim quæ supra adduximus verba, suis rationibus multùm adversantia conspicabatur.

Sed, ut ad propositum revertamur, cum ex dictis abundè liqueat, Antistites S. Andreæ, à prima ferè ejus sedis origine, PRIMOS vel SUMMOS SCOTORUM EPISCOPOS appellari consuevisse; importunum sanè atque à ratione alienum videri debet, ut quo alii omnes honoris titulo eos honestabant, ipsi usurpando prohiberentur. Quòd si SUMMOS se nominare liceret, quidni (cum eadem vocis vis & significatio sit) MAXIMOS se etiam nominare licuerit? Certè apud veteres Romanos, qui summi sacrorum præsides erant, PONTIFICES MAXIMI vocabantur: quod nomen munusque omnes à Julio Cæsare ad Constantinum usque Magnum (*b*) Imperatores sibi etiam assumpserunt. Ab ejus ferè tempore, cùm, repudiatis jam impiis Deorum gentilium

(*t*) Vide reverendissimi doctissimique viri Jo. Gillani in D. Jac. Dalrymplii Collectanea animadversiones, p. 6. & 145. (*u*) Apud Whartonum in Anglia sacra, tom. 2. p. 234. (*x*) In præfat. tom. 1. p. 13. (*y*) Editus enim est D. Sibbaldi libellus Edinburgi anno 1703; Whartoni autem opus Londini anno 1691. (*z*) Pag. 16. (*a*) Vide eum p. 200. & 237. (*b*) Sed & nonnulli Constantini Magni successores *Pontificis maximi* titulum retinuerunt; vide Antonium van Dale de oraculis Ethnicorum, dissert. 1. p. 251. & seqq. Unde apud Zosimum, hist. lib. 4. exstat dicterium Gratiano Imp. stolam Pontificalem renuenti à flaminibus injectum, *Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodum brevi Pontifex Maximus fiet*; quo intelligebant Magnum Maximum, qui postea purpuram sumpsit, ac Gratianum per satellites suos interficiendum curavit, brevi Pontificem maximum futurum. Sed & ipsum Gratianum *Pontificis maximi* titulum sibi assumpsisse apparet ex inscriptione apud Anselm. Bandurum, in numism. Impp. Rom. tom. 2. p. 482. &, diu post eum, Imp. Justinum, ex altera inscriptione, apud prædictum Van Dale, p. 153.

ritibus,

ritibus, ac purâ Christi religione per orbem Romanum legibus sancitâ, cultûs divini administratio non nisi hominibus ad id munus electis & ordinatis permitteretur, *summi* vel *maximi Pontificis* nomen ad primos cujusque provinciæ Episcopos est translatum. Unde & Præsules Romani in nummis suis & inscriptionibus per multa retro secula *Pontifices se maximos* ferè semper appellent. Et verò, si Antistites illi Romani, qui *universalis Ecclesiæ episcopatum* jam diu sibi arrogârunt, se propterea *Pontifices maximos* absolutè nominent; cur non jus fasque sit illis, qui cæteris in unaquaque gente vel provincia Episcopis præmineant, se etiam *summos* vel *maximos* istius gentis aut provinciæ *Episcopos* vocitare? Ad Episcopos autem Scotorum quod attinet, alia & peculiaris aderat ratio, cur qui cæteris inter eos præsidebant, eo se titulo insignirent; hæc nimirum, quòd, consentiente omnium scriptorum nostrorum testimonio, priscis illis temporibus nullæ certæ regiones Episcopis nostris essent definitæ; sed unusquisque, ubi obvenerat occasio, munus suum obiret (c). Quò igitur, qui inter eos dignitate anteibat, faciliùs posset à reliquis, qui generatim SCOTTORUM EPISCOPI nuncupabantur, discriminari; visum ei fuit SUMMI vel MAXIMI sibi appellationem adsumere. Non ignoro posterioribus temporibus, cùm jam sua cuique sedes ac territorium esset in Scotia assignatum, S. Andreæ Antistites se haud raro SCOTTORUM EPISCOPOS, omissâ voce MAXIMI, nominare consuevisse. Cujus rei exempla suppeditant nonnulla Roberti & Arnaldi, qui sub Davide nostro I. floruerunt, in sæpiùs laudato prioratûs S. Andreæ registro perscripta diplomata (d). Quo in libro hi quos diximus Antistites se nunc SCOTTORUM EPISCOPOS, nunc S. ANDREÆ HUMILES MINISTROS appellant: quo posteriore titulo eorum successores ferè erant contenti, nisi quòd, postquam sedes S. Andreæ ad Archiepiscopatûs honorem anno MCCCCLXXII. esset evecta, qui hinc secuti sunt ejus loci Præsules, aliorum per orbem Christianum Archiepiscoporum more, modestiore adhuc titulo usi se MINISTROS HUMILLIMOS appellârint. Quamvis autem nonnulli apud nos Davidis I. ætate, & aliquanto pòst tempore, Episcopi Andreapolitani se simpliciter SCOTTORUM EPISCOPOS nominare voluerint; id tamen non impedit quò minùs vetustissimis illis quæ præcesserant seculis, cum nulli adhuc certus esset in munere suo obeundo locus destinatus, qui cæteris dignitate antecellebat, PRIMI, SUMMI vel MAXIMI nomine cohonestaretur. Sed, ut omnis ferè de hac re dubitandi ansa, si fieri possit, amoveatur, hoc illud est quod disertè nos docet H. Boethius, qui (e), de Kennetho II. Scotorum Rege scribens, hæc habet: *Pontificiam sedem, dudum Pictorum, ab Abbernethi oppido, eo ferro & igni deleto, ad templum Reguli transtulit. Exinde huic oppido Sancti Andreæ ædes nomen est factum, eosque qui illic per plusculła inde tempora sacrum gessere magistratum* MAXIMOS SCOTORUM EPISCOPOS *appellant.* Idem tradunt Spotiswodius (f) & Georgius Martinius de Camerona (g). Id autem referentem Martinium notat ipse cl. Dalrymplius (h), atque ex eodem libello Latinè scripto, quem is paullò antè citaverat, de Episcopis & Archiepiscopis Fani Andreæ, ab eo depromptum conjectat. Ex dictis, ut id demùm adjiciam, veri plusquam simile efficitur, alios præter D. Jac. Balforeum ejusmodi priscorum S. Andreæ Pontificum diplomata MAXIMI titulum præ se ferentia conspexisse. Sed & ipse cl. Dalrymplius (i) *se negat adeò de Balforeo sinistrè sentire, ut præfatum Kellachi Episcopi instrumentum ab eo prorsus confictum arbitretur. Contrà se credere ait, illius exemplum, aut aliquid de eo scriptum alicu-*

Causa peculiaris, cur antiquissimi S. Andreæ Episcopi se MAXIMOS SCOTORUM EPISCOPOS nominarint.

(c) Vide Hect. Boethium, Hist. Scot. lib. 10. fol. 201. Geo. Buchananum, rer. Scot. hist. lib. 6. sub initio; Spotiswodium, Hist. Scot. Eccles. lib. 1. p. 4. (d) Et multò luculentiùs in sigillis, non modò Roberti & Arnaldi, sed qui illis proximè successerunt, Ricardi, Rogeri, Willelmi Malvoisin & Willelmi Fraser, quorum typi in hoc volumine, tab. 100. exhibentur. (e) Hist. Scot. lib. 10. fol. verso 201. (f) Hist. Eccles. Scot. lib. 1. sub fin. (g) In libro MS. cui Reliquiis D. Andreæ nomen dedit, cap. 2. (h) Collect. Scot. p. 133. (i) Pag. supra cit. 129.

bi à Balforeo visum; magnopere tantùm suspicari chartam ipsam autographam neutiquam ei fuisse adspectam: aliter eum culpæ haud immunem esse, quod nos de ea re certiora non docuerit. Utut verò hæc se res habeat, proposito nostro satis videtur, si instrumentum quodcunque, vel quomodocunque, ab hoc Episcopo scriptum unquam exstitisse concedatur.

De fide alterius diplomatis, quod à Maldwino datum Balforeus memorat, nullam movet Dalrymplius litem. Ex eo tantùm, quòd modestissimo titulo, se *Ecclesiæ S. Andreæ MINISTRUM HUMILEM* vocando, utatur; ansam rursus arripit de priore illo Kellachi, nimis (ut ipsi visum est) arrogantem titulum sibi assumentis, diplomate dubitandi. Sed titulum à Kellacho in sua charta adhibitum neutiquam fastuosum aut arrogantem, sed verum & proprium, & pro eo tempore quodammodo necessarium, suprà ostendimus: nec demissior ille, quo successores ejus contenti erant, titulus de ejus fide detrahere quicquam debet. Neque enim id magis mirum, quàm quòd iidem Pontifices Romani, superbissimos aliàs & divinos nonnunquam honores sibi vindicantes, in bullis tamen, quas vocant, & rescriptis suis, SERVOS se SERVORUM DEI, quo titulo nihil ferè humilius abjectiusve comminisci poterant, jam inde à Gregorii Magni temporibus *(k)* appellent. Sed, ut ab Episcopis Romanis discedam, alios etiam ineunte seculo xi. SUMMOS PRÆSULES & PONTIFICES insignitos notat cl. Mabillonius *(l)*. Quin & apud Hibernos, PRINCIPES nonnunquam & REGES dictos idem ex Dacherii Spicilegio testatur *(m)*.

HUMILIS MINISTRI titulus, posterioribus seculis usitatus, de prisci illius fide nihil detrahere debet.

XV. Hactenus de horum diplomatum veritate satis dictum; proximum est ut de ætate quâ scripta sunt anquiram. Et hîc quidem tam stupenda occurrit scriptorum nostrorum, in veterum S. Andreæ ad Eadmerum usque Episcoporum serie & ætate describenda, inter se dissensio, ut quem potissimùm sequare haud facilè reperias. Ex his Andreas quidem Wintonus plerorumque, sed sparsim, in suis Chronicis mentionem facit: Geo. autem Martinius, quæ ipsi notabiliora videbantur, de iis commemorat. At, quos ego conspexerim, tres tantùm sunt, qui plenum eorum catalogum exhibere præ se ferunt, Fordonus, Spotiswodius & Balforeus. Quo autem ordine ad prædictum illum Eadmerum, i. e. ad annum MCXX. hi eos posuerint, hæc brevis tabella indicabit:

De tempore quo prisca illa Episcoporum S. Andreæ diplomata scripta sunt.

Fordonus.	Spotiswodius.	Balforeus.
1. *Fothad.*	1. *Hadrianus.*	1. *Sfothad* I.
2. *Kellach* I.	2. *Kellach* I.	2. *Kellach* I.
3. *Malisius* I.	3. *Malisius* I.	3. *Kellach* II.
4. *Kellach* II.	4. *Kellach* II.	4. *Malisius.*
5. *Malmore.*	5. *Malmore.*	5. *Malisius Albuinus.*
6. *Malisius* II.	6. *Malisius* II.	6. *Maldwinus, qui & Tuthaldus.*
7. *Alwinus.*	7. *Alwinus.*	7. *Sfothad* II.
8. *Malduinus.*	8. *Maldwinus.*	8. *Gregorius.*
9. *Tuchald.*	9. *Tuthaldus.*	9. *Catharus.*
10. *Fothald.*	10. *Fothadus.*	10. *Edumarus.*
11. *Gregorius.*	11. *Gregorius.*	11. *Godricus.*
12. *Cathre.*	12. *Edmundus.*	12. *Turgotus.*
13. *Edmarus.*	13. *Turgotus.*	13. *Edamerus.*
14. *Godricus.*	14. *Godricus.*	
15. *Turgotus.*	15. *Eadmerus.*	
16. *Eadmerus.*		

(k) Vid. Mabillon. de re diplom. lib. 2. cap. 2. § 5. *(l)* Ibid. § 9. *(m)* Ibid.

In his catalogis alios videre est prorsus omissos, alios ex duobus unum factos, alios denique inverso ordine collocatos. 1. enim Spotiswodius, Sfothado vel Fothado præterito, ejus loco Hadrianum primum illius sedis Episcopum nominat, non aliam reor ob caussam, quàm quòd Boëthius *(n)* hunc sanctum virum (quem â Danis in insula Maia anno 872. regnante apud nos Constantino II. refert interfectum) *maximum Scotorum Episcopum* appellet. Atqui cùm Constantini II. tempore nullæ essent Episcopis Scotis certæ sedes definitæ *(o)*, poterat is Hadrianus, quanquam id neget cl. Dalrymplius *(p)*, ex eorum numero unus, & primarius quidem fuisse, licet S. Andreæ sedem, quæ nulla tum strictè loquendo erat, non tenuerit. 2. Balforeus Malisium & Alwinum (sive, ut eum ille nominat, Albuinum) itemque Maldwinum & Tuthaldum, qui Fordono, Spotiswodio aliisque diversi statuuntur, unum eundemque Episcopum facit. 3. Spotiswodius, illo quem Fordonus Cathre, Balforeus Catharum vocat, omisso, Edmundum, qui illis Edmarus vel Edumerus dictus, proximum Gregorio dat successorem. 4. Idem Spotiswodius, ejusque exemplo Martinius, Turgotum, quem alii ferè omnes postponunt, Godrico præmittit. Neque minus de tempore quo quisque episcopatum inierit, annorumque quibus eum rexerit numero, ut postea videbimus, definiendo, inter se discrepant hi scriptores.

De priscorum S. Andreæ Antistitum serie & ætate rectè constituenda disseritur.

XVI. Ut igitur inter tam diversas, sæpe etiam & pugnantes, rerum narrationes, quod verum aut vero proximum sit, quantum pote, eruamus; id nobis primùm & fundamenti quasi loco est assumendum, ut qui ex nostris hisce scriptoribus cæteris ætate prior fuerit, illius potior sit in hac re auctoritas. Cùm autem Fordonus (vel etiam ejus continuator Bowmakerus) Spotiswodio, &, qui ei tempore suppar est, Balforeo, ducentos ferè annos præcesserit, verius proinde est, ut nisi graves alioquin in contrarium adsint rationes, hujus potiùs quàm illorum hac in disquisitione fidem sequamur. Hac igitur regulâ, quam nemo justam æquamque esse inficiabitur, præstitutâ, ad rem ipsam aggrediamur.

Kellachum primum fuisse S. Andreæ Episcopum, non Fothadum, ostenditur.

Et hîc in primo statim limine haud levis se offert difficultas, quòd nempe Fothadus, qui in hoc Fordoni syllabo primus S. Andreæ Episcopus statuitur, à Rege Indulfo expulsus, & post expulsionem ab episcopatu octo annos vixisse dicatur. Et tamen idem Fordonus alio loco *(q)*, eumque secutus Wintonus *(r)*, Kellachum, qui proximus in hoc catalogo post Fothadum collocatur, Regi Gregorio tempore æqualem faciunt. Hæc autem nullo posse pacto inter se consistere rectè observavit cl. Dalrymplius *(s)*, ex eo quòd Indulfus, consentiente omnium nostrorum scriptorum, ipsiusque adeò Fordoni testimonio, non modò Gregorio posterior fuisse; sed & lviii. ab ejus obitu annis, i. e. æræ Christianæ DCCCCLII. regnum capessivisse tradatur. Atque hinc est quòd idem Dalrymplius *(t)* hunc Kellachum, qui Gregorii tempore vixerit, non Episcopum, sed Presbyterum fuisse se dicat credere. Ex eademque caussa ortum arbitror, quòd Spotiswodius, in recensendis hujus sedis Episcopis, eum ex hoc numero prorsus eximat. Sed alia multóque facilior est harum rerum conciliatio, si nimirum dicamus in hoc Fordoni catalogo luxatum esse Episcoporum ordinem, Kellachumque non secundum, sed primum S. An-

(n) Lib. 10. fol. 206. *(o)* Boethius quidem, lib. 10. fol. 201. verso, ut suprà notavimus, *sedem Pontificiam*, ait, *Pictorum, iis deletis, ab Abernethio ad fanum Reguli*, i. e. ædem S. Andreæ, à Kennetho nostro II. qui regnate desiit anno 854. *fuisse translatam.* Idem tamen, eodem loco, Scotorum regnum nondum tum dicit in diœceses fuisse divisum: additque hanc diœcesium in Scotia partitionem non nisi Milcolumbi II. (ita enim legendum, non III. ea quæ mox sequuntur postulant) tempore factam [illegible] ergo hic auctor sibi aliisque eadem narrantibus constet, dicendum cum rev. viro Jac. Dundasio, in supplem. ad suum tractatum de Episcoporum in primitiva Ecclesia electione, p. 207. & seqq. quamvis [illegible] Episcopi, quidam ad ædem S. Andreæ, alii ad Glasguam, alii ad Candidam casam, &c. lares [illegible] plerumque fixerint; non tamen iis locis aut regionibus eorum munus ac jurisdictionem [illegible]. *(p)* Collect. hist. p. 125. *(q)* Lib. 4. cap. 17. *(r)* In Chronico, cap. m. 106. *(s)* Collect. hist. p. 127. *(t)* Ibid.

dreæ

dreæ Antiſtitem eſſe numerandum. Atque id non temerè aut præter rationem à me proponi ſequentia ferè confirmant.

Ac *primò*, Wintonus *(u)* Kellachum non ſecundum, quod Dalrymplius *(x)* ait, ſed primum S. Andreæ Epiſcopum memorat.

Secundò, Ipſe Fordonus, ut ſuprà notatum, in vita Regis Gregorii diſertè ait, *Hujus tempore Kellach fuit Epiſcopus de Kilreymont (y), h. e. S. Andreæ; id enim antiquum loco nomen fuit.* Quod ſi verum ſit, eum Fothado, qui tempore Regis Indulfi, id eſt, lxiii. minimùm pòſt annos vixerit, ætate priorem fuiſſe neceſſe eſt.

Tertiò, Quod adhuc multò validius mihi videtur, in libro Cuprenſi *(z)*, cujus ſcripturam Jacobi noſtri II. ætatem exæquare exiſtimem, Fothadus non niſi ſecundo loco, ac poſt Kellachum, ponatur. Ejus verba, quò omnia dilucidiora fiant, hîc ſubjicienda cenſuimus. *Viſum eſt mihi conveniens de Epiſcopis S. Andreæ ſucceſſivè à tempore Regis Kenedi primi Monarchæ utriuſque regni, Pictiniæ viz. & Scotiæ, quæ nunc unum Scotorum regnum efficiunt, qui Pictos & eorum geſta evacuavit, uſque in præſentem diem inſerere; potiſſimè cùm quiſque eorum qui pro tempore fuerat, non tanquam Primas, ſed primus & præcipuus in regno habeatur, ne ſi ſparſim juxta ordinem annalium inſerantur, eorum notitia tepidiùs à quærentibus inveniatur. Primus fuit Kellach, ſecundus Fothad, qui poſtquam magno tempore epiſcopavit, ab Indulff Rege expulſus eſt, & poſt expulſionem vixit octo annis, & obiit quarto nonas Maii. Quidam tamen tenent, quòd fuit primus Epiſcopus, de quo ſic reperi in circumferentia textûs argentei Evangeliorum adhuc in Sancto Andrea ſervati inſculptum,* Hanc Evangelii thecam conſtruxit avites Fothad, qui primus Scotis Epiſcopus eſt *(a)*. Hæc ille, atque ex poſtremis ejus verbis liquet, non ex oſcitantia eum, ſed conſilio animi Fothado ſecundum locum tribuere, cùm ſtatim addat, QUIDAM TAMEN TENENT, QUOD FUIT PRIMUS EPISCOPUS. Nempe etiam eo tempore ſeriem Antiſtitum S. Andreæ perſcribentibus eadem quæ cl. Dalrymplio impoſuit ambigua vocis PRIMUS in hoc diſticho acceptatio. Et hoc quidem in Dalrymplio eò minùs mirandum, cum præcipuum in toto ſuo opere viri illuſtris conſilium eò collineet, ut non modò ritus Pontificios, ſed & ipſum Eccleſiæ per Epiſcopos regimen ſeriùs multò quàm vulgò exiſtimatum, ac decimo tantùm ſeculo, receptum fuiſſe oſtendat: id quod impenſiori quo in Presbyterianorum partes ſcriptor alioquin egregius ferebatur ſtudio imputandum. At prodigii inſtar habet, Fordonum vel Bowmakerum, eorúmve exſcriptores, quorum ævo hæc de Eccleſiæ regimine lis erat incognita, eâ vocis PRIMUS amphiboliâ decipi ſe paſſos; præſertim cum paullò ante ea vox eodem quo nos ſenſu ab Auctore, quicunque is fuerit, accipiatur. Sic enim inquit, *Cum quilibet eorum qui pro tempore fuerit, non tanquam Primas, ſed* PRIMUS *&* PRÆCIPUUS *in regno habeatur.* Dicit autem *non tanquam PRIMAS*, non quòd hi S. Andreæ Antiſtites reapſe PRIMATES non eſſent, i. e. ante alios omnes PRIMATUM tenerent, ſed quòd eum honoris titulum nondum eſſent adepti *(b)*. Ad rem verò ipſam quod attinet, non magis ex eo quòd Fothadus PRIMUS SCOTTORUM EPISCOPUS appelletur, argui poteſt nullos ante eum in Scotia Epiſcopos exſtitiſſe, quàm Salluſtium antiquiſſimum fuiſſe rerum Romanarum ſcriptorem, quòd apud Martialem *(c) PRIMUS in Romana hiſtoria perhibeatur:* aut ex eo quòd Petrus à D. Matthæo *(d)* inter Apoſtolos πρῶτος ſive PRIMUS dicatur, inde colligas eum ante alios omnes ad id munus electum, cùm plerique omnes ejus fratrem Andream à

(u) In Chronico, cap. 106. & 107. *(x)* Collect hiſt. p. 125. extr. *(y)* Ita habet optimæ notæ codex membranaceus in bibliotheca Academiæ Edinburgenæ, item libri Perthenſis & Cuprenſis in Juriſconſultorum bibliotheca ſervati. At hæc verba, utpote in ſuis exemplaribus, ut credibile eſt, non comparentia, tum Galeus, tum Hearnius, in ipſorum editionibus omiſerunt. *(z)* In bibliotheca Juridica, ut modò dictum, repoſito. *(a)* Sic quidem in hoc libro ſcriptum, *avites.* At veram lectionem, *avti*, ſuprà oſtendimus. *(b)* Vide de hac re Nicolai ad Eadmerum epiſtolam, cujus ſuprà meminimus. *(c)* Lib. 14. epigram. 191. *(d)* Cap. 10. verſ. 2.

Chriſto

Chriſto Domino ante eum in diſcipulatum accitum putent; multi etiam ex iis qui Pontificiorum errores rejecerunt, hac voce PRIMUS Petri ſupra reliquos in collegio Apoſtolorum principatum quendam ſive eminentiam ſignificari interpretentur. Sed, his miſſis,

Quartò, Totum hoc negotium conficere, atque extra omnem dehinc dubitationem ponere, videtur parvulum quidem, ſed omnibus noſtris qui nunc exſtant ſcriptoribus longè vetuſtius fragmentum, cui titulus eſt, *Excerpta ex veteri chronico de Regibus Scottorum à Kennetho Mac-Alpin ad Mac-Malcolm*, i. e. à Kennetho II. Alpini filio ad Kennethum III. filium Malcolmi ſive Milcolumbi I. Id ex MS. quod in bibliotheca Colbertina Pariſiis aſſervatur, in lucem edidit ſuprà laudatus Tho. Inneſius *(e)*. Hujus autem fragmenti ſcriptor, quicunque demum is fuerit, de Conſtantino III. Scotorum Rege agens, *Eum* ait *& Kellachum Epiſcopum* [S. Andreæ] *leges diſciplinaſque fidei atque jura Eccleſiarum Evangeliorumque pariter cum Scottis in colle Credulitatis prope regalem civitatem Scoan devoviſſe cuſtodiri*. Hoc ad annum DCCCCVI. regnique ejus Conſtantini ſextum refert Inneſius *(f)*. Pòſt, de Rege Duffo (quem ille Nigrum, Latino ejuſdem ſignificationis vocabulo pro Scotico ſubſtituto) Indulfi fratre & ſucceſſore ſcribens, *Ejus tempore*, ait, *Fothach Epiſcopus pauſavit*, i. e. mortuus eſt. Hic nempe eſt Fothadus, quem Fordonus à Rege Indulfo expulſum ait, & poſt expulſionem ab epiſcopatu vixiſſe octo annos. Proximus quem Auctor ille Epiſcopum memorat eſt Maëlbrigd, quem ſub Culenrig, i. e. Culeno Rege Indulfi filio, *pausâſſe*, i. e. obiiſſe, narrat. Huic denique ſucceſſorem dat Cellach [ſive Kellach] filium Ferdulaig, quem ejuſdem Culeni tempore *regnâſſe (g)*, i. e. Eccleſiam rexiſſe, ait. Hîc quatuor habemus Epiſcopos, Kellachum I. Fothadum, Maëlbrigd, (quem eundem eſſe qui Fordono & aliis Maliſius nominatur, dubium non eſt,) & Kellachum II. qui filius Ferdlag ſive Ferdulaig à Fordono etiam dicitur. His ex antiquiſſimis rerum noſtrarum ſcriptoribus ſic conſtitutis, quatuor primi S. Andreæ Antiſtites hoc ordine annorumque ſerie collocandi videntur.

Quatuor primorum S. Andreæ Epiſcoporum ordo & ætas.

1. *Kellachus* I. *ante annum* DCCCXCII. *vel* DCCCXCIII. *quo mortuus Rex Gregorius (h), Epiſcopus creatur: concilium provinciale ſub Conſtantino* III. *celebrat anno* DCCCCVI. *quamdiu vixerit incertum.*
2. *Fothadus, quo anno Antiſtes factus, incertum: Indulfi Regis anno primo, i. e. Chriſti* DCCCCLII. *epiſcopatu pulſus; primo vel ſecundo Regis Duffi, i. e.* DCCCCLXI. *aut* DCCCCLXII. *exſtinctus.*
3. *Maliſius, regnante Duffo electus, epiſcopatum tenuit octo annos; obiit ſub Rege Culeno circa annum* DCCCCLXX. *(i).*
4. *Kellachus* II. *filius Ferdlag electus Epiſcopus circa annum* DCCCCLXXI. *à Pontifice Romano eodem, ut credibile, eſt anno confirmatus: poſtquam epiſcopatum* XXV. *annos tenuerat, fatis conceſſit circa annum* DCCCCXCVI.

Juxta hanc ſeriem, quam ſi non veram, veræ tàmen cæteris longè propiorem eſſe haud dubitamus, vel primo adſpectu palam eſt, hoc quod ſe vidiſſe ait Balforeus Kellachi II. diploma, ante annum DCCCCXCVI. fuiſſe exara-

(e) In tentamine de antiquis Britanniæ ſeptentrionalis incolis, tom. 2. p. 782. Vide eum de hoc fragmento ibid. p. 603. *(f)* Ibid. p. 588. *(g)* Eodem loquendi genere, quo quoſdam Hiberniæ Epiſcopos REGES apud Dacherium dictos notat cl. Mabillonius: de quo ſuprà p. 13. *(h)* Gregorii tempore Kellachum Epiſcopum S. Andreæ fuiſſe, disertè, ut ſuprà notatum, ſcribit Fordonus. *(i)* Horum Epiſcoporum tempora ex vetere illo fragmento & Fordono ſic diſpunguntur. Maliſium II. octo annos Epiſcopum ſtetiſſe ſcribit Fordonus; ſub Culeno obiiſſe tradit vetus fragmentum. At hanc ejus mortem ad ultimum Culeni annum, qui fuit Chriſti nati 970. rejiciendam, inde colligitur, quòd Fothadus, qui ei proximè in ea ſede præivit, ſub Rege Duffo, qui regnare cœpit anno 961. in fragmento illo deceſſiſſe dicatur. Octo autem anni quibus Maliſius Epiſcopus ſtetit, temporiſque ab illius Fothadi obitu ad hujus Maliſii electionem aliquod intervallum, ſpatio iſti perimplendo ferè ſufficiunt. Idem porrò ex ætate Fothadi, qui ab Indulfo expulſus, & poſt expulſionem vixiſſe octo annos, à Fordono traditur, inferri poteſt.

tum,

tùm, atque adeò diplomate Duncani II. quod primum in hoc Anderſoni noſtri volumine exhibetur, centum præterpropter annos antiquius eſſe.

XVII. Proximum eſt, ut de Epiſcopi Maldwini charta, à D. Jac. Balforeo, ut diximus, memorata, ætateque quâ illa ſcripta ſit, nonnihil adjiciam. Sed priùs quàm eò deveniam, non ab re, ſpero, fuerit, errores alios quoſdam, eoſque ſatis craſſos, à recentioribus noſtris ſcriptoribus in texenda reliquorum D. Andreæ Antiſtitum, ad Robertum Eadmeri ſucceſſorem, ſerie admiſſos, annotâſſe.

Reliquorum à Kellach. II. ad Robert. S. Andreæ Antiſtitum ſeries & tempora, quantum fieri poteſt, conſtituuntur.

Et hîc primùm ſe offerunt duo vel tres Spotiſwodii lapſus, ex prioribus illis (ut error nunquam ferè ſolitarius eſt, ſed alius alium plerumque ſecum trahit) ſubnaſcentes. Is enim poſtquam Kellachum I. Hadriano (quem à Danis cæſum ait anno DCCCLXXII.) ſucceſſorem dediſſet, & huic (Fothado omiſſo) Maliſium I. & Maliſio denique I. Kellachum II. ut temporum ratio ſibi conſtaret, Maliſium I. tempore Regis Gregorii, Kellachum autem II. tempore Regis Conſtantini III. vixiſſe ſcribit. Quo pacto Kellachum I. (quamquam id non affirmet) regnante Etho Alipede, vel Conſtantino etiam II. vixiſſe neceſſe eſt. At hîc luxatum rerum ordinem, & adverſus antiquiorum ac propterea certioris auctoritatis ſcriptorum noſtrorum, Fordoni, Wintoni, ac præſertim vetuſtiſſimi, de quo diximus, illius fragmenti fidem, lxx. ferè annos anticipatos facile cuivis eſt deprehendere. Ex eodem fonte eſt, quòd paullò pòſt, de Kellachi II. ſucceſſoribus agens, de prioribus quinque Malmorio, Maliſio II. Alwino, Maldwino filio Gilladris vel Gillandris, & Tuthaldo, nihil ferè præter nomina in medium adferat, præterquam quòd Alwinum quinque annos ſediſſe, & Tuthaldi tempore controverſiam de Clericorum cœlibatu, circa annum DCCCCLXXVII. violenter fuiſſe agitatam ſcribat. At hæc ægrè inter ſe, minimè autem cum iis quæ ſuprà diximus, conveniunt. Porrò ſimili errore abreptus Fothadum, quem Tuthaldi ſucceſſorem, ac decimum S. Andreæ Epiſcopum facit, pacem ait inter Grimum & Conſtantinum IV. de regno contendentes conciliâſſe, i. e. circa annum DCCCCXCIV. Idem de Fothado quodam, viro ſancto & venerabili, narrat Boethius *(k)*, & ex eo Leſlæus *(l)* & Buchananus *(m)*. At nemini eorum Fothadus iſte diſertim Antiſtes Sanctandreanus nominatur. Leſlæus enim & Buchananus eum ſimpliciter *Epiſcopum* appellant. Boethius autem *maximum Scotorum Epiſcopum* vocat, eâque deſcriptione Præſulem quidem S. Andreæ eum indicare videtur. Cæterùm, quicunque is, aut cujuſcunque loci Antiſtes fuerit, alium oportet fuiſſe ab eo qui Fordono (ut & ipſi Spotiſwodio) decimus ejus ſedis Epiſcopus numeratur. Nam (præterquam quòd ex iis quæ apud Fordonum & vetuſtum illud fragmentum habentur, Kellachi II. epiſcopatus, ut ſuprà docuimus, ad annum DCCCCXCVI. ſit producendus) inter eum & hunc Fothadum quinque ab ipſo Spotiſwodio interponuntur Epiſcopi, Malmorius, Maliſius II. Alwinus, Maldwinus & Tuthaldus, quorum propterea conjunctas ætates longè infra annum DCCCCXCIV. ſubſidere neceſſe eſt. Id porrò, inſignemque per totam hanc ſeriem Spotiſwodii hallucinationem, ulteriùs adhuc oſtendunt quæ ab eodem de proximo Fothadi ſucceſſore Gregorio traduntur. Nimirum hic Gregorius electus ac conſecratus à Spotiſwodio narratur ante debellatos à Milcolumbo II. Danorum ſive Norvegorum exercitus anno MX. cujus tamen epiſcopatus ad initia Gulielmi Rufi Angli, i. e. ad annum MLXXXVII. ab eo protenditur. Hac autem ratione dicendum erit Gregorium illum lxxvii minimùm annos ſacrum illud munus obiiſſe: quod, cùm nuſquam aliàs accidiſſe, vel memoriæ proditum, vel fando auditum ſit, id, ut abſque teſte dictum, ita fide abſonum exiſtimandum eſt. Certè antiquiores noſtri ſcriptores, tantum abeſt ut Spotiſwodio hac in re conſentiant,

Varii hac in re Spotiſwodii errores.

(k) Hiſt. Scot. lib. 11. fol. 236. *(l)* De rebus geſtis Scotorum, lib. 5. p. editionis Romanæ, 201.
(m) Rerum Scot. lib. 6.

ut quamvis inter se in nonnullis discordes, ab eo tamen in omnibus ferè diversi abeant.

Fordonus enim, aut ejus continuator Bowmakerus, Episcopos post Kellachum II. ad Turgotum usque hoc ordine & strictim persequitur. *Dehinc successivè,* inquit, *Malmore, Malisius* II. *Alwinus, qui tribus annis stetit Episcopus. Maldwinus filius Gilladris. Tuchald quatuor annis. Fothald. Gregorius, Cathre, Edmarus & Godricus obierunt electi. Anno Domini* MCIX. *Turgotus Prior Dunelmensis electus est in translatione S. Augustini, & consecratus stetit Episcopus ferè septem annis.* E quibus verbis, ad annorum seriem quod attinet, ab anno DCCCCXCVI. *(n)* ad annum MCIX. nihil ferè certi elici potest. Paullò distinctior Wintonus, qui Kellacho II. (inverso Fordoni ordine) successorem dat primùm Malisium II. deinde Malmorium, sed nullâ aliâ temporis significatione adjectâ, nisi quòd eos Gregorio VI. Papâ (qui pontificatum iniit anno MXLIV.) priores faciat. Post Malmorium autem Episcopos S. Andreæ nominat Alwinum, Maldwinum filium Gillandri, & Tualdam, aliis Tuthaldum. Primo tres annos, secundo viginti septem assignat; tertii annos non definit, nisi quòd ejus tempore Nicolaum II. summum Romæ pontificatum tenuisse (quod fuit ab anno MLIX. ad MLXI.) affirmet. Fordonus autem, Maldwini annis non numeratis, Tuthaldo quadriennium tribuit. Huic dehinc Tuthaldo successorem facit Wintonus Fothadum, quem Milcolumbum III. & beatam Margaretam connubio junxisse scribit, quod factum anno MLXVII. refert Chronicon de Mailross *(o)*, alii anno MLXIX. *(p)*, at rectiùs D. Dalrymplius ex Chronico Saxonico has nuptias in annum conjicit MLXX. *(q)*. Post Fothadum denique nominat Turgotum, sub finem Regis nostri Edgari, i. e. anno MCVII. quo quidem anno electum eum scribit Simeon Dunelmensis *(r)*, consecratumque anno (in quem malè ejus electionem confert Fordonus) MCIX. *(s)*.

In hac à Wintono tradita Episcoporum S. Andreæ serie prorsus omittuntur, non modò Gregorius, cujus pontificatum ultra consuetos vitæ humanæ (ut suprà observatum) limites producit Spotiswodius; sed etiam Cathre, Edmarus & Godricus, à Fordono memorati. Id autem ab eo propterea factum videtur, quòd hi omnes, licet electi, tamen ob vigentem tum (ut credibile est) inter Sanctandreanam & Eboracensem Ecclesiam controversiam consecrati non fuerint; id quod disertè ait Fordonus, qui hos omnes, Gregorium, Cathre, (Catharum Balforeus *(t)* vocat,) Edmarum & Godricum, *electos* tradit *obiisse*. At hîc mira se prodit Spotiswodii oscitantia: nam Godricum hunc Turgoto successisse, & Regem nostrum Edgarum inunxisse ait anno MXCVIII. *(u)*, & tamen, apertè sibi contradicens, ejus hoc pacto prædecessorem Turgotum sedem tenuisse scribit xxv. aut xxvi. annos, & fato concessisse anno MCXVII. ex quo computo eum ante Edgarum (quem ille à successore suo Godrico an-

(n) Quo Kellachum II. obiisse ostendimus. *(o)* Pag. 158. *(p)* Ut Jo. Brompton in Chronico, inter decem scriptores Twysdeni, p. 966. *(q)* Collect. p. 157. & 185. Hoc matrimonium anno 1070. celebratum disertè referunt Simeon Dunelmensis inter decem scriptores Twysdeni, p. 201. Turgotus apud Fordonum, lib. 5. cap. 15. & ipsum Chronicon de Mailross, quamvis sibi contradicens, p. 160. *(r)* Pag. 208. & 232. *(s)* Vide Dalrymplii Collect. p. 234. Whartonum Angl. sacra, tom. 2. in notis ad Nicolai Epist. suprà cit. p. 234. *(t)* Qui eum ex Keledeis lacûs Levini electum scribit: unde, & præcipuè ex ejus nomine *Catharo*, quod Græcè *purum* sonat, eum *Puritanicum Episcopum* fuisse colligit cl. Dalrymplius, p. 232. At inanis est quæ à nomine captatur conjectura: neque magis ex eo quòd *Cathre* vel *Catharus* ille de Keledeorum numero erat, eum *Puritanum*, i. e. Romanæ Ecclesiæ tum adversum, argui potest, quàm alium quemvis eo tempore Scotiæ Episcopum; cùm omnes ex Monachis, qui non alii ferè eo ævo quàm Keledeorum nomine (agnoscente ipso Dalrymplio) erant appellati, eligerentur. *(u)* Idem ante eum tradunt Boethius lib. 12. fol. 261. & Leslæus lib. 6. p. 218. qui hoc privilegium, ut Scotorum Reges exinde inungerentur, à D. Margareta Edgari matre, ab Urbano II. Pontifice Rom. impetratum scribunt. Verùm ut de hac re vehementer dubitem facit bulla Joannis XXII. hoc unctionis privilegium Roberto nostro I. anno 1329. concedens, in qua nulla diplomatis Urbani II. nec ejus ceremoniæ antea apud Scotos usitatæ, mentio fit. Hujus bullæ Joannis XXII. autographum in bibliotheca Juridica servatur, cujus exemplum in nobilissimum suum opus Conciliorum Magnæ Britanniæ retulit vir summæ juxta eruditionis ac sedulitatis David Wilkins Archidiaconus Suffolciensis, tom. 2. p. 555.

no MXCVIII. inunctum vult) sex, & post ejus mortem decem annos eo honore potitum fuisse necesse est. At Turgotum anno demum MCVII. (i. e. mortuo tum Rege Edgaro, tum Episcopo Godrico) & octo tantum annos, duos menses ac decem dies, Episcopum sedisse, atque decessisse anno MCXV. ex Simeone Dunelmensi aliisque palam est. Cæterum appendicis, quæ Spotiswodii historiæ plerumque subnexa est, scriptor (x), dum has res inter se nequicquam conciliare conatur, à vero longissimè omnium recessit. Is enim Turgotum episcopatum iniisse vult anno MLXIII. eique successisse Godricum anno MXCVIII. huicque Eadmerum anno MCX. ac isti denique Robertum anno MCXIV. juxta quem calculum Godricus, quem Turgoto præponere debuerat, ei postponitur; Turgoti autem episcopatus xliv. annos, Eadmeri x. Roberti viii. anticipatur; cùm ex indubiis documentis constet Turgotum anno, ut diximus, MCVII. Eadmerum MCXX. Robertum MCXXII. fuisse electos.

Ex his, ut ad institutum nostrum revertamur, inter se collatis, Episcoporum S. Andreæ post Kellachum II. series, quatenus ex scriptoribus nostris jam superstitibus aliisque, ad Robertum, qui Eadmero successit, ea erui potest, ad hunc modum constitui posse videtur.

5. *Malisius* II. & 6. *Malmorius*, } *ab anno* DCCCCXCVI. *ad* MXXXI.
7. *Alwinus*, *ab anno* MXXXI. *ad* MXXXIV.
8. *Maldwinus*, *ab anno* MXXXIV. *ad* MLXI.
9. *Tuthaldus*, *ab anno* MLXI. *ad* MLXV.
10. *Fothaldus*, *ab anno* MLXV. *ad* MLXXVII.
11. *Gregorius*, 12. *Catharus*, 13. *Edmarus*, & 14. *Godricus*; } *electi*, *sed antè consecrationem mortui*, *ab anno* MLXXVII. *ad* MCVII.
15. *Turgotus*, *ab anno* MCVII. *ad* MCXV.
Sedes vacavit ad annum MCXX.
16. *Eadmerus Monachus Cantuariensis*, *ab Alexandro* I. *accitus*, *ac Episcopus electus anno* MCXX. *sed cùm Rex eum ab Archiepiscopo Cantuariensi consecrari*, *quod ille volebat*, *non pateretur*, *ex offensione ad suos non multò pòst rediit* (y).
17. *Robertus Prior Sconensis*, *anno* MCXXII. *electus*, *at non nisi anno* MCXXVIII. *si Florentii Wigorniensis continuatori credendum*, *à Turstino Archiepiscopo Eboracensi*, *absque obedientiæ professione*, *consecratus*. *Fordonus autem eum consecratum refert biennio post suam electionem*, *i. e. anno* MCXXV. *At cl. Dalrymplius id factum anno* MCXXVI. *existimat* (z), *certè non seriùs anno* MCXXVII. *ostendit* (a).

XVIII. His paullò prolixiùs sum immoratus, non solùm ut chartarum apud nos usum antiquiorem quàm quidam fortè sunt arbitraturi, esse commonstrarem; sed ut præterea etiam historiæ nostræ, in definiendis priscorum S. Andreæ Antistitum temporibus & successionibus, clariorem, quàm hactenus factum, lucem affunderem. Cæterùm, ut ad id, quod in hac disquisitione mihi propositum erat, revertar, ex dictis utcunque constare videtur, hanc (quam se vidisse ait cl. Balforeus) Maldwini chartam intra annum MXXXIV.

Ex supradictis de chartæ Episcopi Maldwini à Balforeo visæ tempore statuitur.

(x) Is vulgò J. quidam Middletonius existimatur. (y) Vide de tota hac re Eadmerum ipsum, in historia sua novorum à Seldeno edita, lib. 5. p. 130. & seqq. (z) Collect. p. 250. ubi chartam ab hoc Roberto prioratui de Coldingham xvi. kal. Aug. anno MCXXVII. concessam, in qua se non *electum*, sed simpliciter *Dei gratia S. Andreæ Episcopum* appellat, in chartophylacio Dunelmensi servari commemorat. Confer eundem p. 240. & 241. (a) Ab hujus Roberti morte, quæ accidit anno MCLIX. Episcoporum S. Andreæ series & tempora sic satis accuratè ab Auctoribus nostris perscripta sunt.

&

Ejus successores Tuthaldum & Fothaldum donationes scripto consignâsse, verisimile esse.

& MLXI. fuisse exaratam. Unde etiam verisimile efficitur, aliam ejusdem Maldwini donationem, cujus in sæpius laudato prioratûs S. Andreæ libro mentio fit; sub his verbis, *Malduinus Episcopus S. Andreæ contulit Ecclesiam de Markinsh, cum tota terra, honorificè & devotè, Deo & Sancto Servano & Keledeis de insula Lochlevin, cum præfata libertate* (b); scripto fuisse consignatam. Idem quoque conjicere licet de duabus aliis donationibus à proximis Maldwini successoribus Tuthaldo & Fothado eisdem Monachis concessis, ac in eodem libro commemoratis, quæ sic se habent: *Tuadal Episcopus S. Andreæ contulit Ecclesiam de Sconyn præfatis viris religiosis devotè & integrè, cum omni libertate & honore pro suffragiis orationum.* Item, *Modath filius Malmykel, vir piissimæ recordationis, Episcopus S. Andreæ, cujus vitâ & doctrinâ tota regio Scottorum feliciter est illustrata, contulit Deo & S. Servano, & Keledeis heremitis, apud insulam Lochlevin in schola virtutum ibidem degentibus, devotè & honorificè, cum præfatis libertatibus, Ecclesiam de Hurkendorath,* &c. Hæc enim de rebus ejusdem generis facta tam diverso stilo narratio eam ex scriptura primitùs haustam indicium præ se aliquod ferre videtur. Quod autem pro Tuthaldo Tuadal, pro Fothado, vel Fothaldo, Modath, scriptum sit; id ex nominum quæ temporis lapsu fit mutatione, posterius etiam ex librarii errore profectum censendum est.

Diplomatum apud nos ante annum 996. indicia aliqua ex scriptoribus nostris adferuntur.

XIX. Hactenus diplomatum apud Scotos vetustatem supra Duncani II. tempora, i. e. annum MXCIV. investigantes, non usquequaque spernenda eorum vestigia temporibus Milcolumbi III. Macbethi, Milcolumbi II. ac denique Constantini IV. ad annum retrò usque DCCCCXCVI. nobis deprehendisse videmur. Cæterùm, rem altiùs repetentibus, quamvis eorum non æquè cum præcedentibus clara sese offerant indicia, supersunt tamen apud nostros scriptores quædam loca, quæ diplomatum usum etiam anterioribus seculis nobis haud ignotum fuisse quadantenus videntur significare.

1. Tempore Regis Gregorii.

Primum est, quod de nobilissimo Scotorum Rege Gregorio, quum ab aliis, tum præcipuè à Fordono memoratur (c), his verbis: *Neque principio suæ regnationis divini cultûs exstitit immemor aut negligens: quin & Ecclesiæ Dei perpetuam ac personis Ecclesiasticis consensu Principum libertatem concessit, confirmatam à Papa Johanne* VIII. *qui quartam synodum Constantinopoli celebravit. Nam eatenus Ecclesia more Pictorum subacta fuerat servitute.* Hanc autem libertatem, privilegiaque personis Ecclesiasticis à Rege Gregorio concessa, ideo scripturæ commissa credere par est, quòd ea à Johanne VIII. (qui summum pontificatum ab anno DCCCLXXII. ad DCCCLXXXII. gessit) Fordonus dicat confirmata. Cùm enim Pontificum Romanorum confirmationes, illis & antiquioribus multò temporibus, non nisi per literas (vulgò bullas vocant) peragi solerent, vix dubium relinquitur, quin & res ipsæ confirmandæ literis etiam mandatæ ad Pontifices confirmationis ergô essent deferendæ. Hoc adeò si verum est, chartarum apud nos scribendarum ritum seculo etiam nono invaluisse credibile est. Ad fidem porrò huic rei faciendam nonnihil ponderis confert, quod à Buchanano nostro (d) de eodem Gregorio proditum est, quem postquam injurias Hibernorum Scotis illatas vindicâsse, ac Regis eorum tum pueri tutelam in se suscepisse narrâsset; continuò addit, *eum jusjurandum à proceribus exegisse, neminem se Anglum, Britonem aut Danum in insulam, sine DIPLOMATE ipsius, admissuros.*

2. Tempore Kennethi II.

Alterum, sed minore probabilitate subnixum, ejusdem rei argumentum nobis suppeditare videtur prædictum prioratûs D. Andreæ Chartularium, in quo sic scriptum invenimus: *Brude filius Dergard, qui ultimus Regum Pictorum secundum antiquas traditiones fuisse recolitur, contulit insulam Lochlevin Deo omnipotenti, & Sancto Servano & Keledeis heremitis, ibidem commorantibus, & Deo servientibus & servituris in illâ insula.* Quæ ultima verba rem non sola

(b) Qualem sciz. libri compilator suprà descripserat. (c) Lib. 4. cap. 17. (d) Lib. 6.

oris

oris loquelâ; aut ſymbolo traditionis aliquò perfectam, quod antiquiſſimis temporibus, & ante diplomata inventa, moris erat, ſed etiam ſub inſtrumenti formam redactam fuiſſe innuere videntur. Quòd ſi tum inter Pictos, i. e. ante annum DCCCXLII. (quo Brudeum ultimum Pictorum Regem exſtinctum vult Tho. Inneſius (e), ſed rectiùs Fordonus (f) ante annum DCCCXXXVIII.) chartarum uſus receptus fuit; dubitari vix poteſt, quin etiam eodem tempore, apud tam eis finitimam tantâque aliàs neceſſitudine conjunctam gentem, idem aliquatenus mos obtinuerit. Sed, ut nihil in hac re diſſimulem, fieri poteſt ut hic ſcriptor, in hac Brudei donatione tradenda, ſui ſeculi conſuetudinem, quâ omnes quæ alicujus eſſent momenti rerum alienationes ſcripturæ interventu perficiebantur, ſecutus aliquantulum fuerit. Si cui igitur hoc teſtimonium minus ponderis habere videbitur, nullam propterea ei litem movebo. Ad opinionem tamen meam nonnihil roborandam conducere videtur, quod protinus in iiſdem excerptis ſubjicitur: *Et præfati Keledei dederunt locum cellulæ Epiſcopo S. Andreæ ſub tali forma, quòd Epiſcopus exhiberet eis victum & veſtitum: &, ne ignoretur quis contulit Epiſcopo locum ibi, Ronanus Monachus & Abbas, vir admirandæ ſanctitatis, primò conceſſit precariò locum ibi Epiſcopo, ſciz. Fothath filio Bren, qui nunc & tunc per totam Scotiam fuit celebris & ſatis commendabilis vitæ. Præfatus Epiſcopus dedit benedictionem ſuam plenariè omnibus his qui obſervarent conventionem iſtam & amicitiam initam inter Epiſcopum & Keledeos, & versâ vice dedit maledictionem ſuam omnibus Epiſcopis qui infirmarent & revocarent præfatam conventionem.* In hâc etenim narratione voces, SUB TALI FORMA, indicium præ ſe aliquod ferre videntur CONVENTIONEM iſtam (ita enim poſtea bis vocatur) ad majorem rei fidem chartæ commiſſam fuiſſe. Eòdem etiam pertinere dici poſſunt, quæ de Epiſcopi hinc benedictione, illinc maledictione habentur: Epiſcopis enim tum & diu poſtea ſolenne fuit ſuarum chartarum violatores diris devovere. Cæterùm, quod hîc præcipuè nobis venit notandum, Epiſcopus in hoc excerpto laudatus Fothath, ſive Fothadus, is ipſus eſt, de quo diſtichon, quod thecæ Evangeliorum Andreapoli olim ſervatorum inſcriptum diximus (g), eſt intelligendum; quem non primum, quod D. Dalrymplius volebat, ſed ſecundum illius ſedis Epiſcopum fuiſſe, ac circa annum DCCCCLXI. obiîſſe, ſuprà oſtendimus. Quò autem faciliùs (ut id obiter adjiciam) chartarum apud nos ſcribendi morem Fothadi illius ævo cognitum credamus, facit illud ipſum cujus meminimus diſtichon. Qui enim parvum hoc munuſculum nominis ſui inſcriptione poſteris teſtatum eſſe volebat, à veriſimili non abhorret, res eum majoris multò momenti literarum ſive inſtrumentorum ope firmare ac in futura ſecula demittere voluiſſe. Eorum quæ ſuprà diximus ſumma huc redit, rationi nimirum haud prorſus diſſentaneum videri, ut credamus Regum noſtrorum Duffi & Gregorii, fortè etiam & Kennethi II. temporibus, hoc eſt, anno DCCCCLXI. DCCCLXXVI. & DCCCXXXVIII. hominum inter ſe conventiones apud nos ope chartarum firmandi ritum haud inuſitatum fuiſſe.

(e) In tentamine critico, vol. 1. p. 139. (f) Fordonus, Scotichron. lib. 4. cap. 3. *Kennethum* II. ſcribit, *in regnum Scotorum ſucceſſiſſe anno* DCCCXXXIV. *in regnum Pictorum, ipſis ſuperatis*, DCCCXXXIX. At idem, eod. lib. cap. 8. *Kennethum*, ait, *peractis plenè regnationis in monarchiâ* [Scotiæ ſciz. & Pictiniæ] xvi. *annis & octo menſibus, apud Fortevìot migrâſſe ad Dominum*; quo pacto, cùm juxta ipſum anno DCCCLIV. Kennethus deceſſerit, eum totius, qualis nunc eſt Scotiæ, Pictis deletis, eorumque Rege exſtincto, imperium anno DCCCXXXVIII. obtinuiſſe. Hîc autem præterire non poſſum egregium ac planè ſtupendum Tho. Inneſii, viri alioquin docti & perſpicacis, errorem; qui, vol. 1. p. 140. eo ipſo quo ſuas rationes ſtabilire conatur, eas evertit. Ait enim "ex eo quòd, in vetuſtiſſimo illo (cujus ſuprà meminimus) "de primis Albaniæ Regibus chronico, Kennethus II. *idibus Februarii feriâ tertiâ* mortuus dicatur, planè "patere, eum obiîſſe anno DCCCLIX. quum illo anno idûs [i. e. 13. dies] Februarii in feriam tertiam, i. e. "diem Martis, inciderit." At malè profectò ſuas rationes ſubduxit vir clariſſimus: nam eo ipſo anno DCCCLIV. quo Fordonus aliique omnes noſtri ſcriptores Regem illum vitâ exceſſiſſe tradunt, Februarii idus in feriam tertiam incidiſſe docent canones chronologici. Iſto quippe anno litera dominicalis, quam vocant, erat G, dies Paſchæ 22. Aprilis, indictio 2, numerus aureus 19. Anno autem DCCCLIX. litera dominicalis erat A, ac proinde 13. Februarii feria ſecunda, ſive dies Lunæ. Videſis Calviſium, Petavium, Pagium, alioſque chronographos ea quæ diximus ſatis ſuperque confirmantes. (g) Vide ſuprà p. 10.

XX. Poſtremum, quod ad aſſerendam chartarum apud nos vetuſtatem, atque earum originem paullò ſupra ſeculum nonum evehendam allaturi ſumus, teſtimonium ex priſca illa deſumetur, cujus initio meminimus, inter Carolum Magnum & Achaium noſtrum anno DCCXCI. aliis DCCXCII. inita amicitia. Eam veram ac genuinam fuiſſe ex indubitatis æqualium, aut non multò inferiorum iis temporibus, ſcriptorum teſtimoniis jam antea confirmavimus. Sub inſtrumenti autem formam redactam diſertè (ut ſuprà notatum) tradit Fordonus, & rem porrò veri admodum ſimilem facit, quòd ab Eginhardo ejus ætatis ſcriptore memoratur de crebro Carolum Magnum inter & Reges Scotorum literarum commercio *(h)*. Cùm enim diplomatum conficiendorum conſuetudo diu ante Carolum M. apud Francos introducta fuiſſet, fieri vix poterat, quin Scoti ex hac epiſtolarum alterna communicatione, arctiſſimoque perpetui fœderis vinculo, adeò utile, ac in omnibus majoris ſaltem momenti negotiis penè neceſſarium inſtitutum, ſi non priùs arreptum, à Francis didicerint. Id verò quo proniore animo credamus, ex eo efficitur, quòd vicini Anglo-Saxones, inter quos & populum Scotorum ſatis frequentes intercedebant belli pacisque per ea tempora viciſſitudines, ſuperiore etiam (ſi ſcriptoribus eorum fides habenda) i. e. ſeptimo ſeculo, eum morem recepiſſent. Atque hæc de chartarum ſive diplomatum apud nos initiis, quoad ea per monumentorum inopiam indagare mihi licuerit, dicta ſufficiant.

Diplomatum duplex utilitas: *primaria*, ſive *civilis*; & *ſecundaria*, ſive *hiſtorica*.

XXI. AD alteram jam pergendum eſt propoſiti mei partem, ut nimirum inſignem ex diplomatibus, ac præſertim ex eorum quæ hoc volumine exhibentur ſpecimine, capiendam utilitatem paucis exponam. Diplomatum autem nomine hîc intelligo, non ſolùm ea quæ propriè ſic dicta à Regibus, Pontificibus aliiſque viris illuſtribus, edebantur, quæque aliter *literas patentes chartas* aut *bullas* vocamus; ſed, laxiore vocis ſignificatu, cujuſcunque generis ſcripta vel inſtrumenta, quibus juris & dominii tranſlationes, pactorum contractuumque declarationes, univerſæ denique hominum inter ſe negotiationes ſanciuntur & confirmantur. Horum verò omnium duplex eſt utilitas; altera *primaria*, quæ & *civilis*; altera *ſecundaria*, quæ & *hiſtorica* nominari poſſit.

Utilitas diplomatum *civilis*.

XXII. Et *primaria* quidem (quam & *civilem* idcirco appellavimus, quòd ad *civium* aliorum erga alios officia pertineat) ejuſmodi ſcriptorum utilitas, vel potiùs neceſſitas, tanta tamque in omnes partes diffuſa eſt, ut hominum inter ſe ſocietas & conjunctio iis quodammodo contineri conſervarique videatur. Apud incultos quidem priſcorum ſeculorum mortales, cùm *jus bonumque non legibus magis*, ut Salluſtius *(i)* ait, *quàm naturâ valeret*, ſimplexque recti æquique amor & reverentia ad eos in officio continendos ſufficeret; nihil ferè ad eorum inter ſe pacta conventioneſque ſtabiliendas, præter nuda verba, aut teſtes aut ſigna aliqua adhibita, requirebatur. At poſtquam ambitio, divitiarum cupiditas aliæque malæ artes terras occupavere, homineſque ſuis rebus haud contenti, quæ aliorum eſſent omnia ad ſe trahere ac rapere cœperant; bonis, qui paci, juſtitiæ continentiæque ſtudebant, cùm aliter improborum audaciam & injuriam reprimere non poſſent, ad vim armatam decurrendum fuit. Hinc publica conſilia inire, leges condere, judicia conſtituere neceſſe habebant. Atque hæ quidem leges, pœnæque earum violatoribus irrogandæ propoſitæ, non aliter primò quàm populi concione advocatâ, ſummi magiſtratûs, aut præconis ad id munus deſtinati voce, abſque ſcripturæ ſolennitate, in publicum promulgabantur. Procedente verò tempore, quò cuncta magis rata ac teſtatiora fierent, apud omnes ferè gentes, quibus

(h) Nullas quidem à Carolo M. ad Scotorum Reges miſſas epiſtolas meminit Eginhardus; verùm cùm *exſtare* dicat *epiſtolas ab iis ad eum miſſas, quibus affectus eorum erga illum indicatur*, dubitare non licet, quin (cùm amicitia niſi ex utraque parte conſiſtere non poſſit) literas etiam nonnullas ad eos Carolus M. remiſerit. *(i)* Bell. Catilin. cap. 9.

lite-

literarum vitæque humanioris erat consuetudo, usu receptum est, ut leges suas tabulis lapideis æneisve incisas, vel alio quocunque modo scripturæ consignatas, civibus legendas cognoscendasque proponerent. Ex eadem caussa, neque, ut credibile est, multò pòst invaluit, ut quò major certiorque rebus fides constaret, universa ferè quæ majoris momenti essent, hominum inter se acta & negotia, tam publica quàm privata, literis committerentur. Quanta autem ex sapientissimo hoc instituto commoda promanent, supervacaneum est dicere, cùm nullus ferè jam populus adeò barbarus reperiatur, qui, si modò literarum notitiâ sit imbutus, non aliquem illius usum arripuerit. Apud cultiores verò gentes tam longè latèque sparsa est ejus utilitas, ut hominum non modò privatorum fortunæ, sed etiam regnorum rerumque publicarum pax & securitas ex eo maximopere, si non unicè, pendeat.

XXIII. Hactenus de primario sive civili diplomatum usu; proximè de ipsorum usu secundario, quem & *historicum* ideo nominare libuit, quòd circa historias, i. e. rerum gestarum narrationes, versetur, quædam sunt dicenda. Et hîc quoque, quamvis priori illi cedat, summa deprehenditur eorum utilitas. Historiam ipsam tot laudibus ornârunt, fructusque ex ipsius lectione hauriendos tam luculenter exposuerunt viri omnis ævi doctissimi ac prudentissimi, ut si ulteriorem illius commendationem in me susciperem, non solùm actum agere, sed post multos Homeros, quod dici solet, Iliada canere viderì possem. Illa autem rerum utilissima atque jucundissima historia, quam oratorum princeps (k) *testem temporum, lucem veritatis, magistram vitæ, nunciam vetustatis*, appellat, ex diplomatibus, i. e. Regum populorumque actis publicis privatisve, præcipuam suam fidem & auctoritatem fœneratur. Hujus rei gnari viri hoc præsertim binisque superioribus seculis eruditissimi, cùm viderent rerum à majoribus suis gestarum commemorationes, vel fabularum vanitate inquinatas, vel à scriptoribus incertæ famæ rumoribus confisis, vel partium studio implicatis, traditas; huic malo ut obviam irent, & ad veritatis lancem omnia exigerent, ad acta Principum aliaque in scriniis publicis privatisve reposita scripta, tanquam fidelissima certissimaque omnis historiæ documenta, sibi unicè confugiendum existimârunt. *Ex omnibus* quippe (ut ab Andersono nostro (l) observatum) *ad historiæ fidem firmandam testimoniis validissima maximéque apposita sunt diplomata. Ea pro se ipsa loquuntur, neque ullis rhetoricæ artis lenociniis aut verborum fuco ad persuadendum opus habent. Unde factum est, ut chartæ aliaque acta vetera ab omnia rimantis hujus seculi hominibus tanto studio pervestigentur & excutiantur. Cùm enim historiæ pleræque, hinc miraculis somniisque refertæ, illinc ex fabulosis narrationibus traditionibusque coagmentatæ essent; ad prava corrigenda, obscura explicanda, quæ deessent denique supplenda, nulla alia tuta relicta est via, quàm sedula priscorum scriptorum monumentorumque indagatio. Ad egregios autem istos, veritatique eruendæ tam necessarios thesauros liberum omnibus aditum patere, eosque cum aliis mutuò communicari, quicunque verâ probitate generosoque animo præditi sunt, haud ægrè patiuntur.* Hæc ipse Andersonus, & rem ita se habere omnes ferè omnium gentium historiæ confirmant. Quid exteri in suorum quique annalium vitiis horum monumentorum ope expurgandis præstiterint, supersedeo dicere. Ad scriptores autem nostros quod attinet, non ab re facturum me existimavi, si ex innumeris, quos in historia Scotica admissos errores actorum publicorum aliorumque adminiculo viri apud nos docti detexerunt, nonnullos exempli loco in medium proferrem.

XXIV. *Primum* autem nobis suppeditat non celebris magis quàm funesta illa de regno Scotico, post Alexandri III. aut potiùs illius neptis Margaretæ Norvegorum Regis filiæ mortem, circa annum MCCXCI. orta controversia. Qui competitores, aut quo jure quisque in regno petendo se tueretur, non

Utilitas diplomatum *historica.*

Errorum in historia Scotica diplomatum ope detectorum quædam exempla.

Primum exemplum.

(k) Cic. de Oratore, lib. 2. cap. 9. (l) De absoluta sceptri Scotici potestate, p. 15.

hîc

hîc, cùm res notissima sit, attinet dicere. Cæterùm, cùm liti dirimendæ Eduardus I. Anglus à proceribus Scotis arbiter esset electus, ut alios quamplurimos scriptorum nostrorum, in primis Geo. Buchanani in hac re commemoranda errores prætercam, unus præ cæteris ad rem nostram appositus, & in se insignis, animadversionem meretur. Constanter nimirum tradunt nostri omnes annales *(m)* Eduardum ex præcipuis duobus competitoribus Brussio & Balliolo (nam cæterorum jus infirmo aut potiùs nullo fundamento nitebatur) Brussium priùs convenisse, eique regnum Scotorum pollicitum, si se in Regum Anglorum clientela, eorumque ditioni subditum profiteri vellet. Cùm autem Brussius, turpem conditionem aspernatus, se non ita cupidum regnandi respondisset, ut ea de caussa libertatem à majoribus relictam imminueret, Eduardum, eo dimisso, Balliolum accivisse, eumque regni quàm honestæ famæ avidiorem conditionem oblatam libenter arripuisse, eâque ratione ad solium evectum fuisse. At longè se aliter rem habuisse, totamque adeò hanc narrationem falsam ac commentitiam esse ostendunt acta Angliæ publica, in turre Londinensi asservata, & in nobilissimo illo ejusmodi monumentorum ad res istius regni spectantium à Thoma Rymero regiis auspiciis antè aliquot annos in lucem edito thesauro contenta. Ex iis enim liquidò apparet, omnes competitores, ipsumque adeò Robertum Brussium, ejus qui pòst regnavit avum, Eduardum Anglum Scotiæ dominum superiorem sæpiùs agnovisse. Duo in primis illic habentur diplomata *(n)* Gallico sermone conscripta, quorum priori hic titulus præfigitur: *Submissio competitorum regni Scotiæ juris eorum Edwardo primo tanquam superiori domino regni Scotiæ. Dat. Norhami die Martis proximo post Ascensionem Domini,* (i. e. quinto die Junii anno MCCXCI.) posteriori autem, *Concessio competitorum regni Scotiæ Edwardo primo absolutæ regni possessionis, donec quæstio juris determinata fuerit. Dat. Norhami* die postero, nempe *die Mercurii proximo post* idem *Ascensionis festum.* In utroque Robertus Brussius disertè nominatur. Alteri autem à Rymero hæc rei confirmatio adjicitur: *Sub sigillis singulis competitorum pendentibus à filis sericis intextis rubei viridisque coloris; viridi colore tinguntur omnia. Nota quòd primum à sinistra desideratur sigillum.* Alteri verò: *Sub competitorum sigillis pendentibus à caudis pergam. colore viridi tinguntur omnia. Notandum verò quòd primum desideratur sigillum à sinistra (o).* Sed neque geminâ hac superioris sui in Scotiam dominii professione contentus Eduardus, à singulis competitoribus haud multò pòst, i. e. xiii. ejusdem mensis, fidelitatis sibi juramentum præstari etiam voluit *(p)*; in quod etiam non modò proceres, sed plerosque omnes honestioris sortis per universum regnum homines vi & metu adegit *(q)*. Id porrò in hac re dignum observatu, quòd Robertus Brussius, cùm ad hoc ab Episcopo Bathoniensi & Wellensi nomine Eduardi appellaretur, primus *(r)* Scotiæ regnum Angliæ beneficiarium sit professus: quòd à Balliolo inter postremos factum *(s)*, utpote qui eo die, secundo sciz. Junii, fortè moras nectens abfuerit.

Secundum exemplum.

XXV. *Secundum* exemplum præbeat res haud minùs memorabilis, in qua intolerandâ historicorum nostrorum, ne quid durius dicam, oscitantiâ, turpissima Roberti nostri III. natalibus, haud leve in omnem ipsius progeniem, atque adeò in maximè illustres tam regias quàm alias totâ fere Europâ familias probrum tractura, labes inuritur. Referunt sciz. vel potiùs fabulantur nostri ad unum omnes scriptores *(t)* Robertum II. Stuartinæ stirpis primum Scotorum

(m) Excipio unum Pat. Abercrombium, qui in opere suo de heroibus Scotis non ita pridem edito, actorum publicorum fidem secutus, quid verum rectumque in hac re vidit ac asseruit, vol. 1. p. 469. *(n)* Acta publ. tom. 2. p. 529. & 530. *(o)* Quæri potest an hoc primum à sinistra sigillum Rob. Brussii fuerit, & casûne an consilio ablatum. *(p)* Act. publ. tom. 2. p. 558. *(q)* Ibid. p. 567. & seqq. *(r)* Ibid. p. 545. *(s)* Ibid. p. 548. *(t)* Ex hoc numero excipit Jo. Sagius in sua ad Gul. Drummondi de Hawthornden opera nuper edita præfatione, p. 29. & Jo. Gillanus, Animadv. in Dalrymplii Collect. p. 157. Jo Majorem. Sed verior mihi videtur opinio illustris Georgii Comitis Cromartiæ, & D. Jac.

Scotorum Regem, postquam ex pellice Elizabetha Mora hunc Robertum III (quod nomen, Joannis, quo primùm appellabatur, nomine deposito, is postea assumpsit) cum duobus fratribus, Roberto & Alexandro, susceperisset, Euphemiam Comitis Rossiæ filiam uxorem duxisse, ex eaque duos filios Davidem & Walterum cum filiabus aliquot genuisse; tertio autem ipsius regni anno, cùm Euphemia Regina, eodemque tempore (quod addit Buchananus) Giffardus vir in Lothiana nobilis, cui Elizabetha collocata erat, fato essent functi, Regem concubinam suam Elizabetham matrimonio sibi junxisse, filiosque ex ea antea susceptos, contra omne jus tam divinum quàm humanum, legitimos factos, liberis ex Euphemia creatis in regni successione prætulisse. At totam hanc narrationem merum esse figmentum, vel potiùs mendaciorum malè concinnatorum congeriem ex diplomatibus actisque regni publicis viri apud nos docti jam pridem evicerunt. Ex iis quippe luce meridianâ clariùs ostensum est, 1. Elizabetham Moram primam fuisse, non secundam, Roberti II. uxorem; 2. Eam non modò ante ipsius regni initium, sed & nuptias cum Euphemia contractas, fato suo fuisse functam; 3. Joannem Stuartum Elizabethæ filium, qui postea Robertus III. est appellatus, regnante adhuc ejus proavunculo Davide Brussio, & diu antequam pater ipsius Robertus II. rerum potiretur, ab eo Rege Davide, universoque Scotorum populo legitimum Roberti II. filium ac heredem semper habitum ac renuntiatum fuisse. Quin ex Reginæ Euphemiæ diplomate, quod in hoc volumine tabulâ lviii. est perscriptum, planè apparet, ipsam anno MCCCLXXV. i. e. quarto Roberti II. vivere haud desiisse. Fordoni autem continuator Bowmakerus (qui primus hujus fabulæ architectus existimatur) cæterique ferè ante Buchananum nostri scriptores, secum ipsi apertè pugnantes, Euphemiam Reginam anno demùm MCCCLXXXVII. mortuam tradunt. E contrario ex charta authentica, à cl. viro Ludovico Innesio antè aliquot annos Parisiis publicâ luce donata, perspicuum quàm quod maximè est, Elizabetham Moram Roberti III. matrem ante annum MCCCLXV. id est, vi. minimùm annis priùs quàm Robertus II. ejus pater regnum iniîsset, & xxii. quàm Euphemia Regina mortem oppetiisset, rebus humanis fuisse sublatam. Non ignoro Gul. Atwodum, pro solita sua impudentia, hanc Roberti II. chartam supposititiam pronunciare. At inanibus istius hominis argutiunculis refutandis commodior postea se offeret locus. Cæterùm, ut huic chartæ auctoritas defuerit, tot alia tamque varia certissimæ sinceritatis inveniuntur hanc rem confirmantia documenta, ut qui in posterum ei fidem derogaverit, frontem vel ipsius Atwodi perfrictiorem habere eum necesse sit.

XXVI. At ne in re apertissima nimis morari videar, pergo ad *tertium* quod promiseram exemplum, quo diplomatum aliorumque ejusmodi scriptorum ad historiam nostram emendandam utilitas ostendatur. Id autem ex rerum à Jacobo nostro III. gestarum commemoratione deprometur. Narrant nimirum plerique nostræ historiæ auctores, in primis Geo. Buchananus, hunc Regem, pravâ quos circa se habebat infimæ sortis hominum consuetudine corruptum, dum perniciosa ipsorum consilia sectatur, sinistrasque ac injustas de ipsius fratre Alexandro Duce Albaniæ aliisque Scotiæ proceribus fovet suspiciones, ex moderati primùm ingenii Principe in immanem tyrannum degenerâsse; eoque pacto, civium in se odio concitato, civili bello semel atque iterum implicitum, acie tandem ac meritâ morte cæsum occubuisse. At summi numinis beneficio jam effectum est, ut tota ferè luctuosæ hujus tragœdiæ series ex densis quibus eam nostri scriptores involverant tenebris eruta, ac in apertam lucem horum monumentorum ope protracta sit. Ex amplissimo enim Tertium exemplum.

Jac. Dalrymplii, qui Jo. Majorem, non minùs quàm cæteros, Fordoni continuatorem, Boethium, Leslæum, & Buchananum in hac re errâsse, & licet perplexè rem narret, idem quod illi de Roberti III. natalibus scribere voluisse existimant.

illo nunquamque satis laudando actorum publicorum Angliæ thesauro manifestè apparet horum omnium malorum originem, non pravo, ut nostri volunt, Regis ingenio, sed Ducis Albani ambitioni, procerumque quorundam cum eo in illius caput summo scelere conjuratorum cupiditati dominandique libidini unicè acceptam referendam esse. Has quippe regni ab Albano affectati, quas inanes videri vult Buchananus, suspiciones, justis omnino rationibus subnixas fuisse ostendit conventio inter eum & Eduardum IV. Angliæ Regem x. & xi. Junii anno MCCCCLXXXII. inita, qua Dux Albaniæ (qui se *Alexandrum DONO REGIS ANGLIÆ SCOTORUM REGEM* appellat) solenniter promittit (u), 1. *Se quàm posset maximas Eduardo Anglo adversus quoscunque Principes & mortales suppetias laturum.* 2. *Se intra sex menses post subditum sibi Scotorum sceptrum, Angli beneficiarium sese professurum.* 3. *Se oppida & arces Bervici & Lacûs Mabani, regionesque Lidaliam, Esciam & Annandiam ditioni Anglicæ in perpetuum subjecturum.* 4. *Se fœderi Gallico renuntiaturum.* 5. *Se, repudiatâ, si fieri posset, uxore, Cæciliam Eduardi filiam ducturum.* Contra ea paciscitur Anglus, *Se summâ ope adnixurum, ut, Jacobo fratre exauctorato, Alexander regnum apud Scotos adipisceretur, atque in eo retinendo adversus Jacobum, qui tunc rerum potiebatur, validis auxiliis suffulciretur.* Notandum verò hîc in primis est hanc conventionem factam fuisse aliquot mensibus priusquam Regis Anglorum frater Dux Glocestriæ cum Alexandro Duce Albaniæ Scotiam invasissent. Unde & illud præterea manifestum est, eam, quæ in Scotorum castris ab Archibaldo Angusiæ Comite aliisque factiosis hominibus, sub idem tempus excitata est, ad Lauderam seditionem, non derepente ortam, sed diu antea inter ipsos agitatam destinatamque fuisse. Id ipse fatetur Buchananus (x), qui Ducem Albaniæ Anglo *pollicitum*, ait, *simulac ipse Scotiam attigisset, magna equitum peditumque auxilia conventura, & Nobilitatem cum Rege discordem suam fore* : id quod perfidiâ & dolo Comitis Angusiæ magna ex parte effectum est. Narrat porrò Buchananus (y), Regem post hanc seditionem, relicto exercitu, *in arcem Edinburgensem se abdidisse.* Alii autem captivum eum ductum, atque in eam arcem inclusum, tradunt. Quod confirmant duo hujus Regis diplomata (z); alterum quo Alexandrum Ducem Albaniæ comitatibus Marriæ & Garriochæ donat, hac memorabili causâ adjectâ, *Pro nostram de carceribus ex castro nostro de Edinburgh liberando personam, dignitatem suam ac nobilem personam gravibus vitæ exponendo periculis, dictum castrum de Edinburgh obsidendo, ex quo insultu nostra jam persona gratâ libertate congaudet*; alterum, quo varia privilegia senatui populoque Edinburgeno conceduntur, in primis verò Prætori urbano Vicecomitis intra urbis pomœria jurisdictio, quod ipsius fratri Albaniæ Duci in se de castro de Edinburgh liberando strenuam operam contulissent, xvi. Novembris MCCCCLXXXII. Addit autem Buchananus (a), *Quamvis Alexander residua fratris erga se odia mitigare, & novo hoc beneficio novam inire gratiam* studuerit, *plus tamen apud animum impotentem valuisse veterum offensarum, quàm recentis beneficii memoriam. Accessisse*, porrò ait, *ad priores suspiciones calumnias inimicorum Alexandri, qui nimiam ejus popularitatem assiduè criminabantur; idque non dubium affectati regni argumentum asseverabant. Illum autem admonitum per amicos, consilia adversus suum caput in aula agitari, clam in Angliam secessisse.* Hæc ille. At suspiciones priores non vanas, sed certissimâ fide innixas, suprà docuimus : quas autem ad eas accessisse ait inimicorum calumnias justas ac veras criminationes fuisse hinc liquet, quòd altero post Regem custodiâ eductum mense, xii. viz. Januarii anni MCCCCLXXXIII. missis in Angliam legatis Archibaldo Comite Angusiæ, Andreâ Graiæ Regulo, & Jacobo Lidalio Halkerstoniæ Comarcho,

(u) Vide Rymeri acta publica, vol. 12. p. 156. & notas nostras ad Geo. Buchanani historiam lib. 12. pag. edit. Fribarnianæ anno 1715. in fol. 445. (x) Rerum Scotic. lib. 12. p. 234. (y) Ibid. (z) In publicis archivis. (a) Rerum Scotic. lib. 12. p. 235.

fœdus

fœdus ante ſex menſes cum Anglo initum iiſdemque legibus renovaverit, hac etiam cæteris adjectâ, *Se nullis conditionibus à Jacobo fratre, aut quocunque ejus ſanguine genito, adductum, arma unquam depoſiturum* (b). Porrò prædicti ipſius legati *ſuo nomine, atque per fidei, honoris & militiæ ſacra ſe obſtrinxerunt, ſi Albaniæ Dux abſque ſobole ipſi in regnum Scoticum ſucceſſura decederet, ſe amicos clienteſque ſuos in nullius ditionem præterquam Angli unquam conceſſuros* (c), &c. (d). Reſtabat manus ultima tot ſceleribus à rebellibus civibus contra Regem ſuum conjuratis poſt aliquot annos imponenda, quòd poſtquam filium, ſedecim annorum puerum, in patrem armaverant, ipſumque ad iniquam certaminis aleam ſubeundam coëgerant, atque ex acie fugientem percuſſerant; in proximo ab ipſis indicto conventu, omnium qui earum partium erant Ordinum decreto *ſuâ culpâ*, id eſt, jure, *cæſus* ſit judicatus, hoc præcipuè ei crimini dato, *quòd Anglos in Scotiam arceſſere, regnumque adeò Anglorum ditioni ſubjicere adniteretur* (e). At abſurdiſſimum hoc & ab omni fide abhorrens commentum refellunt acta quæ diximus Angliæ publica, ex quibus apparet nihil aliud Scotiæ & Angliæ Reges tum animo agitâſſe, quàm ut ipſi eorumque ſubditi arctiore pacis & amicitiæ vinculo, tribus matrimoniis propoſitis, conjungerentur (f). Ex adverſo autem ex iiſdem actis videre licet immanem perduellium civium impudentiam. Ab iis ſcilicet ipſis hoc crimen Jacobo intentatur, qui Anglis infeſto exercitu Scotiam invadentibus ſeditione excitatâ auxiliatrices quaſi manus commodârant; qui ſe in Angli fidem ſæpiùs dediderant; qui regnum ejus ſceptro (quantum in ipſis eſſet) ſubdituros, ſeque nunquam Jacobo ejuſque ſtirpe genitis obtemperaturos, jurejurando confirmaverant.

Diplomatum ad rem chronologicam, geographicam, genealogicam, &c. illuſtrandam & emendandam uſus.

XXVII. Hæc pauca ſpeciminis loco ex hiſtoria noſtra proferre viſum eſt exempla, quò chartarum & omne genus inſtrumentorum ad eam corrigendam utilitas quaſi ob oculos poneretur. Cæterùm, præter jam dicta, quæ Hiſtoriæ ipſius intimam naturam & ſubſtantiam quaſi reſpiciunt, innumera alia ſunt, quæ ad exteriorem ejus faciem, id eſt, rerum geſtarum adjuncta & circumſtantias, pertinent: quo nomine cenſeri poſſunt ea omnia quæ circa rem chronologicam, geographicam, genealogicam, heraldicam, quam vocant, aliaque ſimilia, verſantur. Quot autem vitiis & erroribus harum rerum neglectus & ignoratio, omnium ferè gentium, & noſtræ præ primis, annales deturpârit, plus nimio cognitum habent, qui ejuſmodi ſtudiis animum appulerunt. At verò his deprehendendis expungendiſque certiſſima, ac ferè unica, ex veterum actorum perveſtigatione ab iis inventa eſt via. Et, ut alia prætercam, quot in re ſola chronologica (quæ dexter hiſtoriæ oculus, ut geographica ſiniſter, haud ineptè appellari ſolet) à vetuſtioribus noſtris ſcriptoribus admiſſi errores ejuſmodi monumentorum ope à recentioribus detecti ſunt & emendati (g)? Poſſem & hîc commemorare quantum iis qui res publicas tractant, ad Politicen ſive ſapientiam civilem comparandam, & ad Principum aularumque arcana penitiùs introſpicienda ejuſmodi ſcriniorum excuſſio momentum habeat: & quanta denique ad antiquas variarum gentium leges & conſuetudines intelligendas, rituſque tam ſacros quàm profanos explicandos, ſubſidia inde peti poſſunt. Sed cùm hæc aliaque ejuſmodi, viris doctis alioquin ſatis comperta, fuſiorem quàm inſtituti noſtri ratio patiatur, tractationem poſtularent, ſatis mihi in præſenti fuerit ea ſummatim attigiſſe (h).

Eorum in re politica, itemque ad antiquas gentium leges & ritus cognoſcendas, utilitas.

XXVIII. Sed,

(b) Vide Rymeri acta publica, tom. 12. p. 172. & ſeqq. (c) Ibid. p. 174. (d) Exſtat in archivis Scotiæ parliamentariis proceſſus judiciarius, quo Alexander Dux Albaniæ, & Jacobus Lidale de Halkerſton Miles, à tribus regni Ordinibus læſæ majeſtatis damnantur, à 27. Junii ad 8. Julii 1483. (e) Vide act. 12. parl. 1. Jacobi IV. in quo quæſtio de jure prælii ad Stirlinum proponitur. Exſtat in editione Actorum Parliam. Scotiæ, quam, quòd typis Saxonicis impreſſa eſt, nigram appellant, fol. verſo 82. (f) Vide act. publ. Rymeri vol. 12. p. 328. (g) Plurimas hoc genus pravas in hiſtoria noſtra temporum notationes, actorum publicorum aliorumque ope, ipſe obſervavi, & ad verum calculum reduxi, in Annotationibus meis ad Buchanani rerum Scoticarum hiſtoriam anno 1715. editis. (h) Qui plura de multiplici

De diplomatibus suppositiis.

XXVIII. Sed, ut nihil sceleri inaccessum, nihil ab hominum improbitate undique tutum est & securum, utilissimum hocce atque ad omnes vitæ partes propemodum necessarium diplomatum institutum corrumpi tandem & ad falsitatis injustitiæque omnis generis patrocinium traduci cœpit. Cùm enim usu deprehensum esset, nullâ re certiùs hominum inter se commercia negotiationesque quàm literis chartæ commissis firmari posse; homines avidi & facinorosi, quo fraudibus suis velum obtenderent, & res injustè quæsitas & occupatas sibi securiùs vindicarent, ad diplomata & cujuscunquemodi scripta ementienda falsaque pro veris supponenda animum adjecerunt. Neque hoc fine stetit hominum quorundam nequitia, sed per omnia quum sacra tum profana ingrediens, historias aliosque omne genus libros procudere, atque sub commentitiis veterum auctorum nominibus evulgare est ausa. Et hìc quidem dolere simul & mirari convenit, non homines apertè malos, justique & injusti prorsus negligentes, sed vitæ monasticæ sectatores, i. e. viros Deo rerumque cœlestium meditationi dicatos, fallaciis ejusmodi texendis se præter alios omnes tradidisse.

Doctorum virorum in iis detegendis sollertia laudatur.

Cæterùm, cùm hoc pacto tam latè grassatum sit, & etiamnum grassetur hoc malum, ut nihil ferè impuras istorum falsariorum & impostorum manus effugerit; laudari satis non potest doctorum hominum sollertia & assiduitas, qui hoc duobusque superioribus seculis in id certatim & communi quasi consilio incubuerint, ut suppositiis omne genus scriptis larvâ, quantum pote, detractâ, veris & genuinis suum pretium constituerent. Quot ejusmodi libros speciosis se titulis venditantes horum industria detexerit, furtivisque suis coloribus nudaverit, ut non hujus loci, ita neque mearum facultatum est, hìc recensere. Ad diplomata autem chartasque antiquas quod attinet, exquisitâ eorum doctrinâ stupendâque ingenii sagacitate eò res deducta est, ut vera diplomata à falsis secernendi rationes ad artis jam formam & naturam quodammodo redactæ videantur (i). In hac nimirum, ut in aliis artibus, quædam regulæ traduntur, quarum ope instrumenta omnia ad examen revocari, legitimaque à spuriis, indubitata à suspectis internosci queant. Ex his nonnullæ magis sunt generales: quales sunt, ætati quâ quæque diplomata scripta sunt congruens vel disconveniens literarum forma; recta aut prava temporis notatio; ritus, vocabula, & loquendi formulæ eo seculo receptæ vel insolitæ, &c. Aliæ autem magis particulares, & ex variis circumstantiis rerumque adjunctis accuratè inte se aut cum aliis collatis, prout cujusque diplomatis expendendi naturâ postulaverit, petendæ (k).

Falsa diplomata à veris præcipuè secernuntur factâ eorum inter se accuratâ collatione.

Hæ autem omnes præcipuum suum fundamentum in iis scriptis, quæ extra dubium vera & genuina esse cognoscuntur, positum habent. Cùm enim, quod vulgò dicimus, *RECTUM sit SUI INDEX ET OBLIQUI*; ita nullâ re certiùs accuratiúsque diplomatum fides explorari potest, quàm eorum cum illis quæ manifestæ sunt sinceritatis factâ comparatione. Certè, quod in re morali olim cecinit Horatius (l),

plici diplomatum, aliarumque chartarum usu scire avet, adeat Jo. Mabillonium de re diplomatica, Gul. Leibnitii Codicem juris gentium diplomat. Jo. Pet. Ludewigii Reliquias MSS. omnis ævi diplomatum, Godefridi Abbatis Chronicon Gotwicense, Tho. Madoxi Formulare Anglicanum, Geo. Hickesii thesaurum linguarum septentrionalium, in suis Præfationibus, &c.

(i) De hac re in primis legi merentur, quæ habet, ut alibi passim, cl. Mabillonius in prænobili suo nunquamque satis laudando de re diplomatica opere, præcipue verò libri 3. cap. 1. 2. & 6. & supplementi cap. 1. § 3. Regulas quidem à doctissimo illo viro, in epilogo sui operis, id est, prædicto illo libro 3. cap. 6. & ultimo, traditas, ut incertas aut fallaces carpit in re antiquaria itidem versatissimus Geo. Hickesius in præfatione ad linguarum septentr. thesauro, p. 36. & seqq. At eas, me judice, egregiè vindicavit Fr. Theodericus Ruinart, in præfatione ad secundam operis Mabillonæi editionem, in qua Hickesium regulas illas malè intellexisse, aut in alienum ab auctoris mente sensum detorsisse, ut mihi quidem videtur, ostendit. (k) Jo. Mabillonius, in supplemento ad libb. de re diplom. cap. 4. de variis corruptorum instrumentorum generibus agens, sic § 4. concludere non dubitavit: *Ex his omnibus, sive falsis, sive interpolatis, nullum tantâ arte effingi vel refingi posse puto, cujus falsitas vel interpolatio à perito antiquario detegi non possit. Ea est enim veritas, ut luceat per sese, totque circumstantiis munitur, ut, mendacio & falso, quantumvis bellè fucato, semper aliqua desit.* (l) Lib. 1. epist. 10.

Non

Non qui Sidonio contendere callidus oſtro
Neſcit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum propiuſve medullis,
Quàm qui non poterit vero diſtinguere falſum.

hîc etiam locum habet. Niſi enim quorundam diplomatum γνησιότητα certis aliquibus notis & indiciis perſpectam quis habeat, fieri non poteſt ut de aliis quæ dubiæ ſuſpectæque fidei ſunt rectè atque ex vero ſententiam ferre poſſit.

Hic, inter alios, in hoc opere edendo, ab Anderſono finis propoſitus.

XXIX. Hujus rei optimè gnarus doctiſſimus noſter Anderſonus, inter alia ſua in hoc opere edendo conſilia, hunc neque eum poſtremum ſibi propoſitum finem habuit, ut nempe, ex chartarum extra controverſiam verarum per aliquot ſecula deductis ſpeciminibus, de aliorum quæ horum ſeculorum ſcripturam præ ſe ferunt αὐθεντίᾳ dijudicari queat. Hunc autem uſum ex diplomatum inter ſe collatione cepiſſe cl. auctorem oſtendit ipſius de abſoluto ſceptri Scotici dominio adverſus Gul. Atwodum liber, in quo omnia ferè, quæ ab iſto ſcriptore in contrarium adferuntur, diplomata falſa atque adulterina ex eo præcipuè eſſe coarguit, quòd à veris & legitimis eorum Regum, quorum illa eſſe finguntur, tantopere diſſentiant. Id quo dilucidiùs intelligatur, haud ab inſtituto noſtro alienum exiſtimavimus, nonnulla ejus rei exempla in medium proponere.

Eâque ratione diplomata ab Atwodo allata ſpuria eſſe ab eo convincuntur.

XXX. Et primum ſit Milcolumbi III. diploma, quo ſe Edwardi Regis Angliæ, quem vulgò Confeſſorem vocant, beneficiarium profitetur; quod ex archivis publicis Weſtmonaſterii aſſervatis æri incidendum ac publici juris faciendum curavit eruditiſſimus Angliæ Hiſtoriographus Thomas Rymerus. Id autem ita ſe habet:

Et, 1: diploma Milcolumbi III. pro homagio Scotico falſitatis condemnatur.

Malcolmus Dei gratiâ Rex Scotorum & inſularum adjacentium, omnibus Chriſtianis ad quos preſentes litere pervenerint, ſalutem, tam Danis & Anglis quàm Scotis: Sciatis nos & Edwardum primogenitum filium noſtrum & heredem, Comitem de Carrick & de Rotſaye, recognoviſſe nos tenere totum regnum noſtrum Scotie & inſulas adjacentes de excellentiſſimo Domino noſtro Domino Edwardo filio Ethelredi nuper Regis Anglie, ſuperiore Domino regni Scotie & inſularum adjacentium, per homagium ligium & fidelitatem, prout anteceſſores & progenitores noſtri pro antea temporibus retroactis ſatis notabiliter recognoverunt & fecerunt, prout per antiquiora recorda corone ſatis nobis conſtat. Quare ex jure directo nos devenimus homines veſtros, O Domine noſter ſereniſſime, Edwarde fili Ethelredi, Rex Anglie & ſuperior Dominus Scotie & inſularum adjacentium, durante vitâ noſtrâ, contra omnes homines vobiſcum vivere & mori, tanquam ligii ſubditi veſtri fideles, & ligiam fidelitatem vobis & heredibus veſtris portabimus. Sic Deus nos adjuvet & ſanctum Dei judicium. In cujus rei teſtimonium preſentibus ſigillum noſtrum apponi fecimus, pro nobis & filio noſtro predicto, apud Eboracum quinto die Junii, anno regni noſtri nono, in parliamento predicti Domini ſuperioris noſtri ibidem tento, ex conſenſu & conſilio Margarete conſortis noſtre filie Edwardi filii Edmundi Ferrei Lateris, Edgari Atheling fratris ejuſdem conſortis noſtre, & quàm plurium Magnatum aliorum regni noſtri predicti.

Hujus diplomatis falſitatem (quam ejus editor, licet id genuinum primò exiſtimâſſe videatur, poſtmodo *(m)* agnoſcit) Georgius Ridpathus, in præfatione ad ſuam D. Thomæ Cragii *de hominio* libri verſionem Anglicam inter alia argumenta hoc præcipuè evicit, Quòd Milcolumbi III. uxor Margareta, ejuſque frater Edgarus Athelingus ei conſentire dicantur, cùm extra omnem dubitationem poſitum ſit Margaretam Reginam cum ejus fratre Edgaro, non niſi poſt Angliam ſub imperium Gulielmi Normanni ſubjectam, hoc eſt, pluribus poſt Edwardi Confeſſoris obitum annis, in Scotiam veniſſe. Quanquam

(m) In ejus epiſtola prima ad Epiſcopum Carleolenſem, p. 18.

H autem

autem hoc ſolo hujus inſtrumenti auctoritas ſatis evertatur, Anderſonus tamen noſter, ut ipſi impudentiæ, ſi fieri poſſit, os obturetur, idem porrò multis aliis indiciis ex illius cum aliis ejus ævi collatione petitis demonſtrat: 1. Quòd literarum in eo adhibitæ figuræ aliquot centenis annis Milcolumbi ætate recentiores ſint. 2. Quòd in veteribus Regum noſtrorum, quæ genuinæ ſunt, chartis, vox SCOTTORUM gemino *tt*, non ſimplice, ut in hoc, SCOTORUM, ſemper ſcribatur. 3. Quòd in hoc Milcolumbus, de ſe loquens, plurali numero utatur, qui mos nondum apud Angliæ aut Scotiæ Reges erat introductus: inter Anglos quippe Ricardus I. inter Scotos verò Alexander II. qui pluralem de ſe ſolis loquentes adhibuerint, primi reperiuntur; quorum utrumque Milcolumbus III. centum minimùm annos præceſſit. 4. Denique, huic diplomati appenſum eſt ſigillum inſcripta gerens arma Scotiæ gentilitia, i. e. leonem rubrum gemino liliorum intus & extus poſitorum ordine circumdatum. Ex quo manifeſtum præbetur hujus impoſturæ argumentum. Nam, præterquam quòd dubitari poſſit an ſigillorum appenſio eo tempore, vel apud nos, vel vicinos Anglos in uſu fuerit; ex aliorum noſtrorum Regum, qui Milcolumbum III. ſecuti ſunt, ſigillis evidentiſſimè apparet, nulli eorum ante Alexandrum cujus meminimus II. aut certè ante Gulielmum ejus patrem *(n)*, inſignia Scotiæ gentilitia, qualia modò deſcripta ſunt, inciſa fuiſſe. Quinimo, ſi peritiſſimis rerum heraldicarum ſcriptoribus fides habenda, arma gentilitia gerendi mos vix totâ Europâ, nedum apud Scotos anno Milcolumbi III. nono, i. e. æræ Chriſtianæ MLXV. aut MLXVI. invectus fuit *(o)*. Unde, ut id obiter notem, evidenter pateſcit auctorum noſtrorum Boëthii, Leſlæi & Buchanani error, qui Haium quendam plebeiæ ſortis hominem, ob præclaram de Danis ſuâ præcipuè & filiorum ejus virtute ad Lancartem vicum partam victoriam, non ſolùm ampliſſimis honoribus prædiiſque auctum, ſed armis inſuper gentilitiis, ut mos eſt nobilitati, ſcuto nimirum argenteo, in cujus ſolo tria ſcuta rubricata inſunt, à Rege noſtro Kennetho III. donatum affirmant. *Quæ inſignia*, ait Buchananus, *hoc, opinor, indicant, ſalutem publicam trium hominum ſingulari in prælio virtute fuiſſe defenſam.* At graviſſimè hac in re hallucinatos fuiſſe noſtros ſcriptores exinde palam eſt, quòd armorum ejuſmodi ferendorum conſuetudo, non niſi undecimo ſeculo *(p)*, i. e. multis poſt Kennethi III. deceſſum annis, uſpiam gentium initium ceperit *(q)*.

XXXI. Se-

(n) Vide quæ nos poſtea, cùm de ſigillis Scoticis agetur, ſumus dicturi. *(o)* Vide doctiſſimum & in hac arte longè peritiſſimum C. F. Meneſtrierium, in libro cui titulum dedit, *De l'origine des Armoiries & du Blaſon.* *(p)* Vide prædictum Meneſtrierii librum, cap. 3. p. 53. & quos illic laudat ejuſdem cum ipſo ſententiæ aſſertores, Velſerum, Ducheſnium, Tilletum, Blondellum, Sammarthanos fratres, Spelmannum, Juſtellum, &c. Hic tamen mirari ſubit eundem Meneſtrierium, eod. libro, cap. 7. p. 172. hæc arma gentilitia Haio ejuſque poſteris à Rege Kennetho III. data ex Boethio Scotor. hiſt. lib. 11. tanquam rem veram narrare. Atque haud ſcio an qui ex noſtris de arte heraldica ex profeſſo ſcripſere, D. Georgius Mackenzæus & Alex. Nisbetus, excuſari debeant, qui non modò eadem de armis primo illi Haio tributis commemorant, ſed armorum apud nos uſum ad Achaii uſque tempora, ſive ſeculi noni initium, quidam & multò altiùs, attollunt. *(q)* Non ab re fore duxi, ut hîc ſubjicerem quæ ad hujus Milcolumbi III. diplomatis νοθείαν demonſtrandam adfert judex omninò idoneus Geo. Hickeſius, in ſuprà memorata præfatione ad ſuum linguarum ſeptentr. theſaurum, p. 25. " Denique (inquit) agmen claudat " ingenio excellens & humaniorum literarum, præſertim dramaticæ poëſeôs ſcientiâ clarus Thomas Ry- " mer, qui literaturæ Saxonicæ prorſus ignarus, commentitium inſtrumentum ante ducentos circiter an- " nos fictum, ſigilloque Malcolmi Regis Scotorum munitum eſſe ſimulatum, quo Rex ille S. Eadwar- " do II. Anglorum Regi, tanquam Scotiæ ſuperiori Domino, homagium ligium & fidelitatem ſpopon- " diſſe, & profeſſus eſſe dicitur, cælaturâ ſplendide expreſſum, quaſi ad pompam edidit. Quod tamen, " non dicam, ſi linguam, antiquitates & ſolennia verba, ſed ſi vel literas manuſque Saxonicas typorum- " que ſcutariorum originem cognoviſſet, adeò tanquam genuinum & verum edere noluiſſet, ut id planè " uti figmentum primo intuitu, & omni procul dubio damnâſſet. Etenim manus ipſa quâ inſtrumentum " ſcriptum eſt; vox PARLIAMENTUM, quod ante annum xxviii. Henrici III. regnantis in monumentis " Anglicanis non ſcriptum occurrit; voceſque feudales, *ligii ſubditi*, *ligia fidelitas*, *homagium ligium*, *jus* " *directum*, *recorda coronæ*, omnes ante victoriam Nortmannicam Anglis ignotæ; ut de ſigillo, quod ſcuti " regii ſymbolum gentilitium eſt; ut de tempore quo eſſe confectum & ſigillatum fingitur, nihil dicam; " id falſum eſſe evincunt. Equidem viri cæteroquin doctiſſimi non potui non dolere vicem, qui membra- " nam iſtam publicando ſe Scotis caſtigandum expoſuit. Quorum unus vir eruditus Geo. Ridpath clien- " telarem illam Malcolmi Regis profeſſionem merum eſſe commentum oſtendit, in præfatione quam præ-

" miſit

XXXI. Secundum diploma, quo regnum Scoticum Anglici clientelare probare nititur Atwodus, est charta *Deo & Sancto Cuthberto Confessori, Willelmo Episcopo, Drugeto Priori, & Monachis Dunelmiæ Deo servientibus*, à Rege Scotorum Edgaro concessa, in qua *Willelmum* [II.] *Angliæ Regem superiorem dominum regni Scotiæ* bis appellat. At chartam istam, ex illius cum quinque genuinis ejusdem Regis Edgari, in chartophylacio Dunelmensi servatis (*r*), quarumque duas huic operi inserendas curavit, collatione, falsam prorsus & commentitiam ostendit Andersonus, ob hasce tres præcipuè rationes : 1. Quòd diversa sit hujus ab illarum characterum forma. 2. Quòd contra quàm in illis factum, numero multitudinis de se uno loquens Rex Edgarus utatur. 3. Quod, ut in spuria Milcolumbi III. charta, arma Scotiæ gentilitia, quæ tum & diu postea incognita erant, hujus chartæ sigillo sunt impressa. Alia etiam sunt argumenta, quibus hoc Edgari diploma manifestæ falsitatis ab Andersono nostro damnatur : quale in primis est illud, quod toto principatûs ejus tempore nullus Dunelmiæ Episcopus nomine Willelmus fuerit (*s*) : sed ea, quia non ex aliis chartis, sed ex veteribus historiis sunt petita, prætereo. 2. Diploma R. Edgari pro homagio ficti esse ostenditur.

Sed quid ad hæc omnia Atwodus ? an ut hominem, cui ulla verecundiæ mica supererat, decebat, victus veritatis viribus manus dedit ? Nullo prorsus pacto. E contrario, quâ obfirmatâ est adversus ea omnia quæ suis consiliis repugnant oris pervicaciâ, turbatas ac loco pulsas suas copias denuò in aciem restituere, & binorum horum Milcolumbi III. & Edgari diplomatum auctoritatem summâ ope defendere ac stabilire conatur. At futiles ejus strophas & versutias utpote responsione indignas, nihilque nisi tædium legentibus creaturas, ad alia properans hîc parco recensere.

XXXII. Tertio igitur loco memoranda nobis sunt illa Regum nostrorum, Roberti I. Davidis II. & Roberti II. diplomata, ab egregio falsario Joanne Hardingo Poetastro & Historico Anglo primùm conficta, ac deinde ab Atwodo ejusdem frontis & ingenii homine, ad astruendum hominium Scoticum, pro genuinis avidè arrepta. Ea diplomata cum sigillis appensis servata notat Tyrellus (*t*) in domo capitulari Westmonasteriensi in ampla cista, cui SCOTIÆ nomen inscriptum est, eorumque exempla pro veris venditata in codice MS. bibliothecæ Juridicæ Edinburgensis, cui titulus inditus est TRACTATUS SCOTICI, ab Anglo quodam ante centum & quinquaginta annos satis eleganter descripta continentur. Quamvis autem Hardingus iste ab Henrico VI. Anglo, deceptis aut potiùs decipi volentibus qui imbellis ejus Principis consilia tum regebant, annuum redditum viginti quatuor librarum, operæ in iis ex Scotorum manibus, summo, ut ferebat, cum vitæ periculo, recuperandis navatæ pretium, diplomate regio, quod in tabulariis publicis adhuc exstat, confirmatum (*u*) impetraverit : tot tamen tamque aperta eorum falsitatis se produnt indicia, ut celeberrimi Anglorum Historici Rymerus & Tyrellus (*x*), De diplomatibus aliorum Regum pro homagio Scotico astruendo.

" misit libro, quem Scotland's Soveraignty asserted inscriptum Londini edidit anno 1695." Videsis etiam Gul. Nicolsoni biblioth. Scot. hist. p. 277. & ejusd. præf. ad leges Marchiarum, p. 34.

(*r*) Harum omnium, tam spuriæ istius, quàm quinque verarum exempla vide apud Andersonum de absoluto sceptri Scotici imperio, in appendice num. 2. 3. & 4. & in appendice ad Rev. Thomæ Smithi Bedæ historiæ editionem p. 760. & 761. & in appendice ad Gul. Nicolsoni leges Marchiarum n. 4. p. 349. & seqq. (*s*) Miror autem egregium virum ac in falsis diplomatis detegendis oculatissimum, Geo. Hickesium, hoc non advertisse, qui in dissertatione epistolari ad Barth. Showerum, p. 74. non solùm hanc Edgari chartam, sed & aliam Gulielmi Angliæ Regis eam confirmantem, pro genuinis habet. Sed illud magis mirandum, quòd vir clarissimus hanc chartam confirmatoriam Gulielmo I. sive Conquæstori attribuat. Ejus verba, *de sigillis pensilibus absque testibus* agentis, sunt hæc : " Hujus generis (inquit) est charta li- " terarum patentium Willelmi Conq. quâ magno sigillo adpendente tantùm munitâ, Ecclesiæ Dunelmensi " terras in Lodoneio Scotiæ confirmat, quas Eadgarus R. filius Malcolmi R. Scotorum, illi priùs donave- " rat." Nihil etenim certius est quàm Gulielmum Conquæstorem novem minimùm annos priùs quàm Edgarus rerum apud Scotos potiretur, fato fuisse functum. Quòd si eam chartam à Gulielmo Rufo Conquæstoris filio datam supponamus, nihilo eam minùs fictitiam esse inde apparet, quòd Willelmus Dunelmiæ Episcopus, ut in charta R. Edgari, in ea memoretur. Ex scriptoribus enim Anglicis constat nullum eo nomine Dunelmiæ Episcopum toto R. Edgari tempore fuisse. Adde super hac re Gul. Nicolsoni Episc. Carleol. præf. ad leges Marchiarum, p. 36. & seqq. (*t*) In introduct. ad hist. Angl. vol. 3. p. 9. (*u*) Ejus exemplum vide apud Jac. Andersonum, de absol. Scot. imper. append. num. 7. (*x*) Vide Andersonum, lib. cit. p. 105. — 109. & p. 131.

ut

ut & reverendus admodum, morumque juxta ſanctitate ac eruditionis laude conſpicuus Carleolenſium Epiſcopus, Gul. Nicolſonus *(y)*, ea pro commentitiis habeant & agnoſcant. Ut è multis eorum fraudem & impoſturam patefacientibus pauca ſeligam, 1. In his Reges noſtri non SCOTTORUM, quod in omnibus germanis eorum ſcriptis conſtanter factitatum invenimus, ſed SCOTIÆ ſe REGES appellant. 2. Multæ in iis voces occurrunt Regibus noſtris aut ignotæ aut inuſitatæ, quales ſunt, *Recorda, irrotulamenta, indictamenta, occaſionari*, &c. 3. Diploma Davidis II. datum dicitur *in pleno parliamento primo die Novembris, anno regni ſui quinto.* At eo tempore, i. e. MCCCXXXIII. vel MCCCXXXIV. *(z)* bellum inter duas gentes flagrantiſſimum fuiſſe, & Davidem noſtrum, ut extra periculum eſſet, in Gallias miſſum, nec niſi anno MCCCXLII. reverſum, hiſtoriæ omnes teſtantur. 4. Quæ Roberto ſive I. ſive II. tribuuntur, ſuâ ſe abſurditate perimunt: id quod magis enucleatè & particulatim à nobis oſtendendum eſt.

Eorum fraus in genere oſtenditur.

Speciatim charta Roberti ſive I. ſive II. falſi damnatur.

Primum igitur, quod HOMAGIUM ROBERTI BRUIS titulum gerit, annoque Domini MCCCXIX. ſcriptum dicitur, primis ſui verbis ſe poſt Roberti I. ſive Bruſſii mortem exaratum ſe indicat. Sed, ut demus hanc epigraphen ab ignaro rerum Scoticarum ſcriptore poſtea adjectam, nihilque inde chartæ ipſius veritati derogari debere, chartam idcirco ipſam videamus. Ea autem ſic incipit: *Robertus Dei gratiâ Rex Scotiæ, omnibus ad quos preſentes literæ pervenerint, ſalutem. Sciatis per præſentes nos irrotulamenta literarum patentium chariſſimi Domini noſtri & nepotis David nuper Regis Scotiæ, filii chariſſimi Domini noſtri & avunculi Roberti Bruis, quondam Regis Scotiæ, inſpexiſſe, quarum tenor ſequitur in hæc verba: David Dei gratiâ Rex Scotiæ,* &c. Quæ portentoſa hîc rerum noſtrarum inſcitia vel primo adſpectu ſe oſtendit? Nempe Robertus iſte Robertum Bruſſium, quondam Scotiæ Regem, avunculum ſuum; Davidem autem nuper Regem Scotiæ, i. e. qui ſibi proximè præceſſit, ſuum nepotem appellat *(a)*: cùm contrà ex omnibus non modò hiſtoriis, ſed & regni actis publicis manifeſtum ſit, Robertum Bruſſium Davidis patrem, Roberti ejus II. avum, Davidem verò poſterioris illius Roberti avunculum fuiſſe.

Sed dici forſan poteſt, hos in diplomate lapſus Notarii oſcitantiæ imputandos eſſe, qui priore loco pro *avunculi, nepotis*; poſteriore autem pro *avi, avunculi* ſcripſerit. At, præterquam quòd hoc in ſe vix credibile ſit, an exiſtimandum eſt tres regni ſtatus, quorum conſenſu hoc diploma conceſſum dicitur, aut Regis Clericum, ſive Scriniarium, errores tam craſſos, tamque apertè in oculos legentium incurrentes, non fuiſſe animadverſuros? Porrò hanc chartam adulterinam eſſe arguit temporis ei adjecta notatio: data enim dicitur *apud Dundee ultimo Decembris anno regni* ſui *primo.* Eam non eſſe Roberti I. quamvis ita inſcribatur, ſuprà oſtendimus: neque eam Roberti III. eſſe patitur ipſius tenor, quo ſe regnum Scoticum ab Eduardo Anglo beneficii nomine obtinere Robertus iſte profitetur. Tempore enim Roberti III. nullus Eduardus rerum apud Anglos potiebatur. Hoc ergo diploma, ſi genuinum ſit, Roberti noſtri II. eſſe neceſſe eſt. At eo ipſo anno, i. e. Roberti noſtri II. primo, menſiſque Octobris die xxviii. renovatum eſt antiquum inter eum Robertum & Carolum V. Galliarum Regem fœdus *(b)*, cujus præcipuæ, ſi non omnes, conditiones & articuli eò ſpectabant, ut alter Rex alterum, quandocunque opus eſſet, adverſus Regem Anglorum veterem ac

(y) In bibliotheca Scotorum hiſtorica, p. 282. *(z)* Cur hîc incertus hæream, cui Chriſti anno, an 1333. an 1334. quintus Davidis II. annus reſpondeat, ratio haud multò pòſt reddetur. *(a)* Addo & rem abſurdam hic narrari: eo enim pacto dicendum erit Robertum Bruſſium, contra quàm jus faſque ſinunt, fratris ſororiſve ſuæ filiam uxorem duxiſſe. *(b)* Ejus exemplum vide apud Rymerum, Act. publ. tom. 6. p. 696. Du-Montium in corpore ſuo diplomatico, tom. 2. part. 2. p. 81. præcipuè verò in codice MS. nunc in bibliotheca Juridica Edinb. ſervato, cui titulus, *Traittez entre les Roys de France & les Roys d'Eſcoſſe*, (quem ex tabulariis Franciæ publicis elegantiſſimè deſcriptum Ludovicus XIV. Ricardo Vicecomiti de Preſton, tum Caroli II. Britanniæ Regis ad eum Legato, dono dedit,) p. 40.

com-

communem utriusque gentis hostem conjunctis viribus tutaretur. Ab omni autem verisimilitudine prorsus abhorret, ut Scotorum Rex, intra duos ferè menses, adversus jurisjurandi fidem, nullâque cogente necessitate, se suosque perpetuo ipsorum hosti in clientelam, vel potiùs servitutem, addiceret. Si cui verò super hac re suspicio ulla vel dubitatio restare potest, eam prorsus amovere debet hæc ultima illius fœderis conditio, quæ Gallicè scripta in hunc sese modum habet. *Item, que si le Sainct Pere, de sa volenté, & de son propre mouvement, ou par induction d'aucunes personnes quelconques, vouloit absouldre le dit Roy de France, nous & nos hoirs & successeurs, les dits royaulmes ou subgiez du serment dessusdit, ou icelui serment annuller, le dit Roy de France, ses hoirs & successeurs, nous, nos hoirs & successeurs, ne userons, pourrons ou devrons user, par aucune voye, du benefice de telle absolution; mais tendrons & garderons loyaument & entierement cette alliance en tous points, sans fraude, & mal engin, & sans jamais faire ou dire aucune chose au contraire, tout & ainsi comme si celle absolution ou annullation ne fust oncques faite ou donnée.* Quæ conditio, cùm fœdus inter Jacobum IV. & Ludovicum XII. *(c)*, ut & inter Jacobum V. & Franciscum I. *(d)*, Scotiæ & Franciæ Reges, postea renovaretur, hunc in modum Latinè est reddita. *Item, si sanctissimus Dominus noster Pontifex maximus proprio velit motu, aut personæ alicujus inductione, Christianissimum Francorum Regem, suos heredes & successores, aut nos Scotorum Regem, nostros heredes & successores, regna aut subditos, à juramento prædicto absolvere, vel hujusmodi jusjurandum annullare : nec Francorum Rex, sui heredes & successores; nec nos, nostri heredes & successores, uti poterimus aut poterunt, debebimus aut debebunt ullâ viâ hujusmodi absolutionis beneficio : quinimò nos Reges, heredes nostri & successores, servabimus & servabunt, & inviolabiliter custodiemus & custodient perpetuis futuris temporibus verè & sanctè hujusmodi confœderationes, in omnibus articulis & membris, absque dolo & malo ingenio, sine aliqua re in contrarium agenda, sic & eo modo ac si dicta absolutio juramenti & hujusmodi annullatio à dicto summo Pontifice nunquam fuissent emanata.*

Ex his autem verbis luculentissimè apparet, quàm anxiâ curâ & sollicitudine in hoc utriusque gentis Reges incubuerint, ut hanc amicitiam quantum possent firmissimam & inviolabilem per omnia secula conservarent. Nullo igitur pacto fieri potuisse credendum est Robertum II. Scotorum Regem, tum præsertim cùm ipsius Gallique res florentiore quàm dudum statu esse, Angli verò retro fluere cœpissent, fœdus, cui promovendo perficiendoque octo ferè menses *(e)* consumpti fuerant, intra totidem ferme hebdomadas infringere atque penitus abrogare voluisse.

XXXIII. Sed, ut ad diploma Davidis II. quod ab hoc Roberti II. confirmari fingitur, aliquantisper regrediar, inter egregia ipsius falsitatis indicia haud postremum illud annotavi, quod datum Edinburgi, annoque ejus regni quinto dicatur; cùm nihil certius sit, quàm eâ tempestate, i. e. anno MCCCXXXIII. aut MCCCXXXIV. Davidem nostrum II. apud Philippum VI. Galliarum Regem diversatum, ac anno demùm MCCCXLII. ad suos reversum fuisse. At quid hîc regerit Atwodus? Nempe, quâ ferreâ est & inexpugnabili frontis duritie, hunc ait *(f)* quintum regni Davidis annum, non à patris obitu, (quod factum oportebat,) sed ab *investituræ* suæ tempore repetendum esse. At quàm vellem aut ipse Atwodus, aut alius quivis rerum Britannicarum scriptor nobis indicâsset, quò anno hæc *investitura*, sive regni Scotici possessio, Davidi nostro ab Eduardo Anglo tradita fuerit? Aliter enim nulla certa temporis designatio ex hac Davidis charta erui potest. Si

Davidis II. diploma, pro homagio Scotico ab Atwodo aliisque productum, adulterinum esse probatur.

(c) Edinburgi 16. Martii 1511. & 10. Julii 1512. codice cit. fol. 88. *(d)* Edinburgi 2. Januarii, & *collat. cum originali*, 18. April. 1515. eod. cod. fol. 105. *(e)* Hoc ex ejus processu in libb. modò citatis apparet. *(f)* Vide eum de superioritate coronæ Anglicæ supra Scoticam re-asserta, p. 96.

enim hic quintus Davidis annus ab ipſius inveſtitura numerandus ſit, annus autem quo ea inveſtitura ſit facta vagus prorſus atque incertus relinquatur; nullo pacto reſciri poteſt quo Chriſti anno ab MCCCXXXIII. aut MCCCXXXIV. qui quintus regni Davidici annus verè fuit, ad MCCCLXXI. quo fatis conceſſit, hoc diploma exaratum fuerit. Qualis autem hæc temporis notatio eſt, in qua xxxvi. aut xxxvii. annorum, hac computandi ratione, intercapedo pro nihilo quaſi habenda ſit?

Atwodi pro ejus fide ſtabilienda effugium, multis rationibus evertitur.

Sed hoc in ſe ſatis ridiculum Atwodi effugium præterea evertunt ipſa hujus chartæ verba, in quibus nullâ *inveſtituræ* mentione factâ, ſe ideo David regnum Scoticum de Eduardo Anglo beneficii nomine tenere profitetur, non quòd ipſe id ab Eduardo Anglo eâ lege acceperit, ſed *eâ conſideratione quòd prædeceſſores & progenitores noſtri*, inquit, *quondam Reges Scotiæ, ab antiquioribus temporibus tenuerunt, & de jure tenuiſſe debuerunt regnum Scotiæ de Regibus Angliæ, per ligium homagium & fidelitatem, & pro eodem regno ſimpliciter, purè & ſponte homagia ligia & fidelitates quamplures eorum perſonaliter fecerunt, prout per antiquiora recorda & placita coronæ, tam in parliamentis, quàm in itineribus Camerariorum & Juſtitiariorum prædeceſſorum & progenitorum noſtrorum prædictorum nobis ſatis conſtat.* Ex quibus verbis apparet, non ex ullo anteriore ſuo facto, ſed ex chartis progenitorum ſuorum (quas tamen, ſi unam illam Gulielmi excipias (*g*), omnes commentitias eſſe ſuprà oſtendimus) Eduardum ſuperiorem Scotiæ Dominum in hac charta recognoſci. Quòd ſi regni Scotici poſſeſſio, fiduciario nomine tenenda, Davidi noſtro ab Anglo conceſſa fuiſſet, an credibile eſt Anglum tanti (ſi Diis placet) beneficii confeſſionem in tot ab inveſtitura tradita annos differre voluiſſe? Annon potiùs exiſtimandum eſt, Eduardum, priùs quàm ei regnum Scoticum traderet, chartam à Davide impetraturum, quâ ille ob id munus ſe Eduardi clientem fore profiteretur? Certè Eduardi Ballioli diploma, quo ſe regnum Scoticum de eodem Eduardo Anglo tenere agnoſcit, conditiones inter eos antea initas commemorat; quarum hæc præcipua erat, ut quoniam ipſe *prompto & efficaci auxilio* Regis Angliæ *ſtatum & poſſeſſionem pacificam* regni Scotiæ eſſet adeptus, ſe ideo ſub ejus clientela futurum, &c. promitteret (*h*). Id porrò in his aliiſque Eduardi Ballioli inſtrumentis animadvertere licet, regni ejus initium, non ab *inveſtituræ*, ſed coronationis ſuæ tempore perpetuò arceſſiri (*i*).

At quid levioribus hiſce argumentis adverſus Atwodum velitamur, cùm ex horum Regum extra dubium authenticis actis planè demonſtratum habeamus nullam ejuſmodi chartam à Davide noſtro potuiſſe proficiſci. Ex his etenim quàm quod maximè conſtat Eduardum Anglum, ab anno MCCCXXXII. quo Eduardus Balliolus, ipſius præcipuè viribus adjutus, regnum Scoticum invaſerat, ad annum MCCCLV. quo idem Eduardus regno ſe abdicavit, hunc ſolum atque unicum Scotorum Regem agnoviſſe. Toto autem hoc tempore, quoties Davidis noſtri nominandi occaſio ferebat, nuſquam eum Scotorum Regem, ſed ſimpliciter vel *Davidem de Brus*, vel ignominiæ notâ additâ *adverſarium ſuum de Scotia*, & poſt ejus captivitatem *Priſonarium ſuum* Anglus appellat. Hoc igitur toto annorum ſpatio credi non poteſt, aut Anglum regni Scotici poſſeſſionem Davidi traditurum, aut Davidem ob id in ejus verba juraturum fuiſſe; niſi ſimul credamus Anglum duos eodem tempore Scotorum Reges, ſibique ambos beneficiarios agnoviſſe, & Davidem præterea adeò ſocordem mentiſque inopem fuiſſe, ut ſe ſuoſque in ejus fidem dederet, qui ipſum Regis nomine nunquam erat dignatus, quique Balliolum regni æmulum & inimicum infenſiſſimum ad id faſtigium evexerat, atque in eo tuendo ſummâ ope adjutare per totum illud tempus perſeverabat.

Non igitur ante annum MCCCLV. hæc clientelaris regni Scotici poſſeſſio

(*g*) Chartas Joannis Ballioli non moror, utpote qui Davidis Bruſii *progenitor* dici non poſſit. (*h*) Vide act. publ. tom. 4. p. 536.—539. 548. 590.—595. (*i*) Vide ead. act. publ. locis citatis.

Davidi

Davidi nostro II. ab Anglo tradita est: jam videamus an post id tempus hoc fieri potuerit. Et hic quoque quò minus talis possessionis traditio ab anno MCCCLV. quo Balliolus regno cessit, ad annum MCCCLXXI. quo David fato suo est functus, locum habuerit, eadem aut paria impedimenta se injiciunt. Ac primum, quòd cùm duos adhuc post præfatum tempus annos David noster captivus in Anglia egerit, hoc est, anno demùm MCCCLVII. ad suos redierit; inter conditiones tamen illius liberationis, cujus seriem satis prolixè apud Rymerum *(k)* perscriptam habemus, nulla de ejusmodi sceptri Anglici in Scoticum dominio, aut juramento fidelitatis ob id à Davide nostro præstando vel minimùm mentio fit. Contra ea, tantum abest, ut in toto hoc negotio Anglus sibi *superioris Domini* nomen, aut David *beneficiarii* adsumat, ut toto Davidis vitæ tempore Anglus eum Scotiæ Regem rarissimè appellet *(l)*. Mira autem fuisset, ac in omne ævum pudenda in Davide nostro animi abjectio & ignavia, si se suosque in ejus clientelam subjiceret, qui suam amicitiam repudiabat, nec ullo ferè alio quàm *prisonarii* (ut diximus) aut *adversarii sui* titulo eum dignabatur. Et tamen ita se rem habuisse, inter plurima alia documenta, luculentissimè demonstrat Eduardi Angli diploma anno MCCCLXXII. conscriptum *(m)*, in quo cùm Robertus noster II. caussaretur syngraphas, pro pensionibus ad Davidem nostrum redimendum variis temporibus solutis, non satis validas ac firmas videri, eò quòd Davidis nomini REGIS SCOTORUM titulus non adjungeretur; Eduardus, ut omnem hac de re scrupulum Roberti animo eximeret, hoc ei responsum dat, quod cùm in se singulare sit, eaque omnia quæ superiùs diximus magnopere confirmet, hic visum est subjicere.

Edwardus Dei gratiâ Angliæ, &c. Rex, omnibus ad quos, &c. salutem. Sciatis quòd, cùm in singulis nostris literis acquietantiæ fratri nostro Scotiæ David de Bruys, dum vitam gerebat in humanis, super receptionibus summarum pro redemptione ejusdem fratris nostri factis, ipsum fratrem nostrum Scotiæ David de Bruys absque adjectione nominis REGIS SCOTIÆ *nominaverimus; quas quidem literas idem frater noster, pro se & subditis suis in hac parte sufficientes reputabat, sicut nobis & concilio nostro sufficientes videbantur: per quod causam non videmus formam mutare literarum nostrarum prædictarum. Set in casu, quo Robertus consanguineus noster Scotiæ metuat sibi dictas literas acquietantiæ minus fore sufficientes ex hoc quòd nomen* REGIS SCOTIÆ *in eisdem literis minimè specificatur, ad majorem securitatem dicti consanguinei nostri, volumus & concedimus, & tenore præsentium declaramus, quòd intentionis nostræ & concilii nostri extitit, & adhuc existit, quòd dictæ literæ acquietantiæ eidem consanguineo nostro priùs factæ, & similiter literæ acquietantiæ, præfato consanguineo nostro, per nomen Roberti consanguinei nostri Scotiæ tantùm, super receptionibus redemptionis prædictæ imposterum faciendæ tanti sint valoris, ac si idem consanguineus noster in eisdem literis* REX SCOTIÆ *fuit nominatus, & eundem sortiantur effectum. In cujus,* &c. *Teste Rege apud Westmonasterium, duodecimò die Decembris.*

Alterum argumentum, quo evincatur hanc Davidis II. in regnum Scoticum, quæ ab Eduardo Anglo ei data fingitur, investituram, anno MCCCLV. seriorem non fuisse; desumi potest ex alio (conficto illo quidem, ut mox ostendetur, sed) quod ab Hardingo, ejusque hyperaspiste Atwodo, pro genuino venditatur, ejusdem Davidis diplomate; quo scil. coram Henrico Percy Domino de Alnewyke, & Rodulpho Nevil Domino de Rabye, à Rege Angliæ ad id legatis, David eidem Regi conceptis verbis fidelitatis juramentum præstare perhibetur in hunc modum: *O excellentissime Domine Edwarde Rex Angliæ & Franciæ, ego David Rex Scotiæ devenio per præsentes homo ve-*

(k) Act. publ. tom. 6. p. 12. 31.—37. 39.—65. 66. 68. *(l)* Semel quidem atque iterum ipse Eduardus & Legati sui eum *Scotiæ Regem* nominant. Vide Rymer. act. publ. tom. 6. p. 15. & 69. At hoc, cùm aliàs semper hoc titulo Anglus abstineat, scribæ incuriæ aut obreptioni tribuendum videri possit. *(m)* Ibid. p. 756.

ster

ſter ligius de cætero, de vita, membris & terreno honore, fidem ligiam vobis & heredibus veſtris Regibus Angliæ tanquam Dominis ſuperioribus regni Scotiæ totâ vitâ meâ portabo, & vobiſcum vivere & mori contra omnes homines. Sic Deus me adjuvet & ſanctum Dei judicium. Et per præſentes recognoſco, concedo & obligo me, heredes & ſucceſſores meos Reges Scotiæ, de vobis & heredibus veſtris ac ſucceſſoribus in perpetuum tenere per ſervitia prædicta, omnibus ac ſingulis relaxationibus, quietis clamationibus, remiſſionibus, & aliis literis quibuſcunque per Reges Angliæ in contrarium Regibus Scotiæ per antea factis ſive conceſſis non obſtantibus, &c. Hoc autem diploma datum ſe dicit *in monaſterio de Coldingham*; literas autem patentes Eduardi Angli legatos ſuos prædictos ad hoc juramentum accipiendum deputantes datas ait xx. *die Martii anno regni prædicti Domini ſui* xxvi. qui annus anno reſpondet æræ Chriſtianæ vulgaris MCCCLII. ac propterea hoc, ſi verum eſſet diploma, quatuor ferè annos prius fuiſſe oportet illo Eduardi Ballioli diplomate, quo jus ſuum omne in regnum Scoticum ad Eduardum Anglum tranſtulit. Id enim verè ſcriptum eſt *apud Rokesburghe* xx. *die Januarii, anno Domini* MCCCLV. h. e. juxta conſuetudinem Romanam, MCCCLVI. *(n)*. Ut verum fateamur, prædicto illo anno MCCCLII. Davidi Bruſſio in Scotiam redeundi ab Eduardo Anglo poteſtas eſt facta *(o)* ut de ipſius redemptione cum ſua nobilitate colloqueretur; obſidibus interim datis, ut ni de conditionibus conveniret, ipſe ſe in cuſtodiam rurſus traderet. Ex actis autem Anglicis liquet, nihil ex hoc Davidis noſtri cum ſuis colloquio ad ipſius liberationem profectum fuiſſe, eumque adeò re infectâ in arcem ut antea Londinenſem claudendum rediiſſe *(p)*. Quod cùm ita eſſet, creditu prorſus injuſtum eſt, Davidem noſtrum tam puſilli aut nullius potiùs animi futurum, ut in tali rerum ſtatu conſtitutus ſe ſuoſque in Angli clientelam manciparet. Præſertim ſi & illud quod ſuprà diximus addamus, Davidem neque tum, neque unquam ferè poſtea *Scotiæ Regem* ab Anglo ſalutatum fuiſſe. Imò verè toto eo tempore quo hæc gerebantur, Davidis hoſtis regnique æmulus Eduardus Balliolus, non ſolùm REX SCOTORUM ab Anglo conſtanter compellabatur *(q)*; ſed etiam fides ei ſemel iterumque eſt data, nihil eorum quæ cum Davide tum agebantur in illius præjudicium verſurum *(r)*. Cùm igitur ex his manifeſtè appareat, hoc Davidis noſtri inſtrumentum adulterinum planè ac fictitium eſſe, rationi utique conſonum eſt, ut cætera ejuſmodi ab eodem egregio falſario Hardingo profecta ſimilis farinæ, id eſt, commentitia omnia exiſtimentur.

Si quis autem tam præfracto adverſus veritatem animo ſit, ut hæ ad eum de ſententia dimovendum rationes non ſufficiant; at ei quantumvis invito & reluctanti confeſſionem extorquebit, quod tertio loco adferemus, Davidis ipſius ejuſque ad Aulam Gallicam Legatorum Roberti Erskini & Normanni Leſlæi teſtimonium, quodque in conventione inter Joannem Franciæ Regem & Carolum Delphinum ejus filium ex una, & Davidem Scotiæ Regem ex altera parte, Pariſiis penultimo die Junii anno MCCCLIX. inita, habetur his verbis *(ſ)*: *Nous Robert & Normant deſſuſdits diſons, que noſtre dit Seigneur le Roy d'Eſcoſſe tant par ſes lettres, comme par nous a ce par luy envoyez, avec ſes lettres de creance devers Monſieur le Regent deſſuſdit, que certaine choſe eſtoit comment le Roy & le royaume d'Eſcoſſe de long temps avoient eſté travaillez, grevez & dommagiez par les Anglois ennimis des Roys & royaumes de France & d'Eſcoſſe, & avoit eſté prins en bataille ledit noſtre dit Seigneur le Roy d'Eſcoſſe, & longuement detenu priſonnier en Angleterre; de la quelle priſon il ſe peut eſtre deſlivrez plus ayſement, & eut pu avoir paix aſſez aiſiée, ſi il ſe vouloit eſtre departy des confederations & alliances qui eſtoient & ſont entre*

(n) Ejus exemplum ex autographo deſcriptum vide apud Rymeſum, tom 5. p. 823. *(o)* Ibid. p. 722. &c. *(p)* Ibid. p. 736. 737. 746. *(q)* Ibid. p. 733. 742. 759. 789. 815. *(r)* Ibid. p. 748. 788. *(ſ)* In ſupradicto codice MS. cui titulus, *Traittez entre les Roys de France & d'Eſcoſſe*, fol. 20.

les

les Roys & royaumes de France & d'Escoſſe, laquelle choſe il n'a oncques voulu conſentir, & á traitté ſeulement ſur la delivrance de ſa perſonne, &c. Ex poſtremis hiſce verbis meridiano jubare clariùs pateſcit Davidem noſtrum toto captivitatis ſuæ tempore, h. e. ab anno MCCCXLVI. ad annum MCCCLVII. nihil adverſus veteris inter Francos & Scotos amicitiæ fidem feciſſe, ſed de ſola *perſonæ ſuæ liberatione* cum Anglo tranſigere voluiſſe: quod utrumque falſiſſimum fuiſſet; ſi ſe ſuoſque in Anglorum ſervitutem turpiter mancipaſſet. Quòd ſi diuturnus carceris ſqualor id ei exprimere nequiverat, multò certè minus exiſtimandum eſt eum libertati reſtitutum animum ut id faceret induci potuiſſe.

Hæc paullo prolixiùs; & magis fortè quàm par erat (t) ſumus proſecuti, non tam quòd ab Anderſono noſtro, cui tanti ea non videbantur, levi brachio ſunt tranſmiſſa, quàm ut eâdem operâ & Atwodum refutarem, & uſum ex chartis genuinis ad adulterinorum fraudes detegendas oſtenderem.

XXXIV. Priùs autem quàm hanc materiam prorſus miſſam faciam, continere me non poſſum, quin unum adhuc, ſed ex contraria parte; inſcitiæ an potiùs impudentiæ Atwodianæ exemplum in medium proferam. Is nimirum eâdem ratione quâ ſpuria diplomata, prout uſibus ſuis inſervire videbantur, pro legitimis venditare ac tueri præſumit; ita genuina quæ ſunt, ſi modò conſiliis ſuis adverſentur, fraudis ac impoſturæ inſimulare haud veretur. Hujus rei inſigne documentum ſuppeditat charta Roberti Seneſcalli Scotiæ Comitis de Stratherne, poſtea ſub nomine Roberti II. Scotorum Regis, data apud Perth xii. die Januarii anno MCCCLXIV. i. e. juxta computationem Romanam, quâ nunc utimur, MCCCLXV. quam ex autographo, quod in archivis collegii Scotorum Pariſiis aſſervatur, Ludovicus Inneſius ejuſdem collegii Primarius, ad vindicandos Regiæ Stuartorum ſtirpis ab inuſta à quibuſdam Hiſtoricis noſtris labe natales, in lucem edendam curavit anno MDCXCV. Hoc autem nobiliſſimum inſtrumentum non ante typis mandari voluit cl. Inneſius, quàm de ejus fide & auctoritate ex teſtimonio doctiſſimorum & rei in primis antiquariæ peritiſſimorum virorum ſibi conſtaret. Ex hoc numero, ut alios omittam, præcipui erant Euſebius Renaudotius Hiſtoriographus Regius, Stephanus Baluzius juris Canonici Profeſſor Regius, & bibliothecæ Colbertinæ Præfectus, Joannes Mabillonius & Theodericus Ruinartius Monachi Benedictini congregationis S. Mauri, omnes ob multiplicem eruditionem & ſcripta æternùm victura celeberrimi; qui, ut ipſorum verbis rem efferam, *convenientes anno Domini* MDCXCIV. *die* xxvi. *menſis Maii, chartam ſupra commemoratam nobis*, inquiunt, *ab eodem cl. viro Ludovico Inneſe exhibitam, diligenter inſpeximus, examinavimus; & eâ curâ quâ major adhiberi non potuit, excuſſimus, eamque teſtamur eſſe antiquam, genuinam, ſcriptam charactere omnino illorum temporum, nullam falſi aut ſuppoſitionis ſuſpicionem facere poſſe, ſigillis duobus ſigillatam, quæ teſtamur etiam eſſe antiqua & integra*, &c.

Diploma Roberti Seneſcalli Scotiæ authenticum & genuinum adverſus frivolas Gul. Atwodi cavillationes probatur.

Chartæ hujus tam illuſtri luculentoque teſtimonio comprobatam αὐθεντίαν, non dico in dubium vocare, ſed apertè negare auſus eſt Atwodus (u); qui non aliam ob cauſſam, credo, quàm quod ſuis rationibus obſtare videretur, eam à Scotici collegii Jeſuitis (x) aliiſve monaſtici cujuſdam ordinis apud Pariſienſes hominibus fabricatam manifeſta impoſturæ indicia prodere affirmat.

(t) Hujus autem à mendace illo Hardingo Davidi noſtro obtruſi diplomatis fallacia eò nobis accuratiùs excutienda videbatur, quòd egregius alioquin rerum Anglicarum ſcriptor Robertus Bradius, (in continuata ſua hiſtoria, p. 198.) itemque reverendiſſimus Gul. Nicolſonus, in Anglorum bibliotheca hiſtorica, p. m. 68. id pro genuino habuerint: quanquam hic (ut ſuprà notatum) meliora doctus ſententiam ſuam retractaverit. Regum verò Anglorum, Henrici VI. VII. & VIII. quæ pro fictitiis hiſce Regum noſtrorum chartis ab Atwodo (*ſuperior. Angl. re-aſſerta*, p. 99. 100. & 101.) adſertur, auctoritatem non moror, utpote qui non ſum neſcius, Principibus belli adverſus vicinos cauſſas quærentibus ſolenne eſſe eas ex rebus leviſſimis, ſæpe etiam & nullâ ratione ſubnixis, arceſſere. (u) De ſuperiore & directo dominio, p. 514. (x) Collegium Scotorum Pariſienſe neutiquam ex Jeſuitis, quod ſomniavit Atwodus, conſiſtit.

At quæ sunt manifesta illa imposturæ indicia? Nimirum hæc quatuor vel quinque adfert Atwodus (y): 1. Quòd Robertus II. licet tum tantùm Scotiæ Senescallus, Regio tamen more plurali numero utens, *sigillum NOSTRUM præsentibus appensum* dicat. 2. Quòd ex affectata Regia potestate, se suosque heredes in quacunque diœcesi degentes, cuicunque libitum esset Episcopo subjiciat. 3. Quòd illustris Tarbatiæ Vicecomes, quanquam Elizabethæ Moræ, Roberti II. in ea charta commemoratæ uxoris, familiam ostenderit, consanguinitatem tamen illam aut affinitatem, quæ contractui matrimoniali inter eos impedimentum in illa charta dicuntur injecisse, haud repererit. 4. Quòd decem marcarum, quæ capellano sustentando in illa charta concessæ supponuntur, nulla solutio, aut colore juris nixa requisitio, quæ rei fidem confirment, factæ obtendantur. 5. Quòd in illa charta Joannes Roberti filius *Dominus de Kyle* insigniatur, qui tamen ante xiv. annos, id est, anno MCCCL. ex nobilissimi Tarbatii calculo, in charta Regis Davidis *Comes de Carrick* est appellatus: nunquam autem compertum, ut Comes instrumento subscribens se solo *Baroniæ* titulo nominare sit contentus.

Ex his (si Diis placet) indiciis hujus chartæ fallaciam deprehendisse se somniat vanissimus nugator. At ego faxo, Lector candide, si vacuum mihi animum vel paullum commodaveris, ut nihil in his, præter propudiosam hominis inscitiam pari arrogantiâ pensatam, sis deprehensurus. Id autem quò certiùs intelligere possis, chartæ ipsius exemplum tibi ob oculos ponendum existimavi.

Omnibus hanc cartam visuris vel audituris, Robertus Senescallus Scociæ, Comes de Stratherne, salutem in Domino sempiternam. Cùm dudum venerabili Patri Domino Willelmo Dei graciâ Episcopo Glasguensi fuerit per litteras Apostolicas specialiter delegatum, ut super matrimonio contrahendo inter nos & quondam Elyzabeth More, dum ageret in humanis, non obstante impedimento consanguinitatis & affinitatis contractui matrimoniali prædicto impedimentum præstante, auctoritate Apostolicâ dispensaret, dummodo duas cappellas vel unam, pro arbitrio ipsius Episcopi, perpetuò fundaremus; ac dictus venerabilis Pater, consideratis in hac parte considerandis, nobiscum super impedimento prædicto auctoritate quâ supra dispensans, nobis injunxerit, ut una cappellania in Ecclesia Glasguensi ad unum certum altare ad pensionem decem marcarum sterling. annuatim percipiend. de certis redditibus nostris fundaretur perpetuò, nosque eandem cappellaniam sic fundare fideliter promiserimus infra certum tempus jam transactum, nobis tunc per dictum Episcopum limitatum; noverit universitas vestra nos ex causa præmissa dedisse, concessisse, & hac præsenti cartâ nostrâ confirmâsse, pro nobis & heredibus nostris perpetuò, Deo, Beatæ Mariæ Virgini, Beato Kentegerno, & uni cappellano celebranti & celebraturo perpetuò in Ecclesia Glasguensi prædicta decem marcas sterling. ad sustentacionem ejusdem cappellani annuatim percipiend. de annuo redditu quadraginta librarum sterling. exeunte de terra del Cars Abbatis infra Vicecomitatum de Stryvelyne, & nobis & heredibus nostris debito per religiosos viros Abbatem & conventum monasterii Sanctæ Crucis de Edynburgh, tenend. habend. & percipiend. annuatim in perpetuum eidem Cappellano qui pro tempore fuerit, per manus dictorum religiosorum ad terminos Pentecostes & Sancti Martini in hyeme, per porciones æquales, in liberam, puram & perpetuam elymosinam, adeò liberè, quietè, plenariè & honorificè, sicut aliqua elymosina per totum regnum Scociæ liberiùs conceditur, percipitur, sive datur; & nichilominus totum jus nobis competens per cartam infeodacionis recolendæ memoriæ Domini Regis Roberti avi nostri, sive obligatorium dictorum Abbatis & conventûs, seu quascunque alias evidencias ad compellendum dictos Abbatem & conventum ad solucionem dicti annui redditûs decem marcarum in Episcopum Glasguensem qui pro tempore fuerit, & Capitulum Glasguense sede vacante, per hanc cartam nostram perpe-

(y) Pag. 515. & seqq.

tuò

tuò transferimus, ipsosque & eorum alterum, quantum ad hoc, nostros & heredum nostrorum assignatos & assignatum facimus, constituimus, & eciam ordinamus. Et si fortè contingat, quod absit, quòd dictæ decem marcæ annuæ per dictum cappellanum qui pro tempore fuerit percipi non potuerint, ut est dictum, vel ex eo quòd dicti Abbas & conventus solvere noluerint, aut compelli non poterint ad solucionem earundem, vel ex eo quòd nos aut aliquis heredum nostrorum, contra præsentem infeodacionem & concessionem nostram, solucionem dictarum decem marcarum impediverimus aut impediverit, aut per nos seu alium vel alios, clam vel palam, directè vel indirectè procuraverimus seu procuraverit impediri; obligamus nos & heredes nostros per omnia bona nostra mobilia & immobilia ad solvend. dictas decem marcas de aliis redditibus nostris, ubi Episcopus Glasguensis qui pro tempore fuerit, vel capitulum ejusdem sede vacante, duxerit eligend. toto tempore quo cessatum fuerit à solucione dictarum decem marcarum percipiend. de annuo redditu supradicto; subjicientes nos & heredes nostros jurisdictioni & cohercioni Episcopi Glasguensis & ipsius officialis qui pro tempore fuerint, ut ipsi per omnimodam censuram Ecclesiasticam nos & heredes nostros compellere valeant ad perficienda omnia & singula supradicta, in casu quo defecerimus vel defecerint, quod absit, in aliquo præmissorum. Et ultra omnia prænotata nos & heredes nostri prædicti donacionem & concessionem nostram de dictis decem marcis annuis percipiendis ut suprà de annuo redditu supradicto prædictis Episcopo, Ecclesiæ Glasguensi, & Cappellano qui pro tempore fuerint contra omnes homines & feminas warrantizabimus, acquietabimus, & in perpetuum defendemus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum unà cum sigillo Johannis Senescalli Domini de Kyle primogeniti & heredis nostri præsentibus est appensum. Hiis testibus, venerabili Patre Domino Roberto Abbate monasterii de Kylwynnyne, & Dominis Johanne Senescallo fratre nostro, Hugone de Egglyntonne & Thomâ de Fauside Militibus, Johanne Mercer burgensi de Perth, Johanne de Rose, & Johanne de Tayt Armigeris nostris, & aliis. Apud Perth, duodecimo die Januarii, anno Domini millesimo tricentesimo sexagesimo quarto.

Hæc est memorabilis illa Roberti, tum Senescalli, postea Regis Scotiæ charta, cujus sinceritatem tot viri docti & illustres unanimi suffragio confirmârunt : nunc ad Atwodi adversus eam objectiones vel potiùs cavillas diluendas est pergendum.

1. *Primum* autem quod huic chartæ objicit, pluralis sciz. numeri usus, Atwodum in moribus istorum temporum (z) præsertim Scoticis planè hospitem ostendit. Quamvis enim apud Anglos ejusmodi pluralis pro singulari adhibendi consuetudo rarissimè (a) obtinuerit; nihil tamen apud Scotorum primi ordinis proceres, à Roberti saltem Brussii temporibus, in hunc usque diem magis frequentatum. Hujus rei innumera suppetunt exempla : sed nos quæ in privatorum scriniis asservantur omissis, (ne & ea, quâ frontis audaciâ est, conficta etiam arguat Atwodus,) pauca ex Davidis nostri II. (cui Robertus Scotiæ Senescallus tempore æqualis fuit) actis publicis, quæ nostris ipsismet oculis sunt lustrata, in medium proferemus. Chartæ autem à nobis hîc memorandæ ejus generis sunt, quæ *confirmatoriæ* appellantur, vulgò etiam INSPEXIMUS vel VIDIMUS dictæ (b), illarum quas confirmant literas in gremio suo complectentes.

1. Est *Confirmatio chartæ Willelmi Comitis de Sotherlande, factæ Nicolao fratri suo 17. Octob. regni sui 34.* i. e. anno Domini 1363.
2. *Confirmatio chartæ Patricii de Dunbarr Comitis Marciæ & Moraviæ, factæ Alexandro de Richinton 18. April. regni 35.* i. e. anno Dom. 1365.

(z) Possum innumera hîc proferre instrumenta, in quibus non solùm Principes, sed alii viri illustres, apud Germanos, Gallos, Italos, pluralem de se unis loquentes hoc & præcedente etiam tempore adhibuerint. (a) Non tamen adeò rarissimè, ut non quædam ejus rei exempla apud Dugdalium in suo Monastico Anglicano aliosque reperiantur. (b) Hoc nomen ejusmodi chartæ inde traxerunt, quòd Principes eas confirmantes, primo ferè initio se illas *inspexisse* aut *vidisse* perhibeant.

3. Con-

3. *Confirmatio chartæ Thomæ Comitis de Marr, factæ Egoni filio Fergusii* 9. *Sept. regni* 36. i. e. anno Dom. 1365.
4. *Confirmatio chartæ Patricii Comitis de Dunbarr, concessæ Thomæ Papedy* 10. *Feb. regni* 37. i. e. anno Dom. 1367.
5. *Confirmatio chartæ Patricii de Dunbarr Comitis Marciæ & Moraviæ, factæ Priori & conventui de Coldingham* ---- *Aug. regni* 38. i. e. anno Dom. 1367.
6. *Confirmatio chartæ Thomæ Senescalli Comitis de Anegus & Domini de Bonkyll, factæ Andreæ de Perkenton* 10. *Mart. regni* 39. i. e. anno Dom. 1369.
7. *Confirmatio chartæ Walteri de Lesley Domini de Filorth, factæ Joanni de Urchard* 8. *Decemb. regni* 40. i. e. anno Dom. 1369.
8. *Confirmatio chartæ Douenaldi Comitis de Levenax, factæ Mauritio de Buchanane* 26. *Januarii, regni* 41. i. e. anno Dom. 1371. (*c*).

Ex

(*c*) In annis Christi, annis regni Davidis II. respondentibus, notandis, normam secutus sum in omnibus, quod sciam, ejus chartis observatam. Hic autem (ne quid dissimulem) res occurrit prorsus admirabilis, & omnem fidem, nisi de ea certissimis documentis constaret, supergressa. Ea autem est, quòd in actis hujus Regis uno minimùm anno sit erratum; hoc est, primus regni annus pro secundo, secundus pro tertio, atque ita porrò, numeretur. Rem verò se ita habere hinc evidentissimè apparet, quòd non modò nostri scriptores, sed acta Angliæ publica Robertum Brussium, Davidis patrem, mense Junio anni 1329. (nostri idibus seu septimo ejus mensis) mortuum confirment. Vide & inter se confer Rymeri vol. 4. p. 397. 400. 406. 410. 445. & 462. Hoc igitur constituto, primus regni Davidis annus numerandus est à 7. Junii anni 1329. ad eundem diem anni 1330. secundus abhinc ad 7. Junii 1331. tertius ad 7. Junii 1332. & ita deinceps ad 7. Junii 1370. quo die incipere debet annus regni Davidici quadragesimus secundus, qui & (cùm ille è vivis excessit 22. Februarii sequentis) ultimus ei fuit. Etsi autem hæc omnia, æquè ac anni solisque vices, certissima sint & immutabilia; non tamen minùs certum est, Davidem nostrum vel ejus ministros in annis regni sui numerandis aliâ ac diversâ computandi ratione usos fuisse. Infinitum esset, quæ ad hanc rem confirmandam adduci possunt exempla hic recensere. Hæc igitur pauca, ex ipsis actis publicis pleraque desumpta, ac meismet oculis lustrata, selegisse suffecerit. *Primò*, ex actis publicis Scotiæ, (1.) Charta Regis Davidis, n. 166. Alexandro Cockburn concessa 17. April. anno gratiæ 1361. regni 31. (2.) ejusdem, n. 235. Tho. de Rate, 23. Octob. 1369. regni 40. (3.) n. 237. Jacobo de Douglas Militi, 8. Decemb. 1369. regni 40. (4.) n. 239. Alex. de Lindesay Militi, 15. Jan. 1369. regni 40. (5.) n. 256. Willelmo Comiti de Ross, in pleno parliamento, 23. Octob. 1370. regni 41. (6.) n. 257. Duenaldo Macnayre, 24. Octob. 1370. regni 41. *Secundò*, ex Rymeri act. publ. (7.) vol. 6. p. 68. Ratificatio conventionum pro ipsius redemptione, in pleno concilio suo apud Sconam, 6. Novemb. 1357. regni 28. (8.) Ibid. p. 632. Forma treugarum Scotiæ pro 14 annis, Edinburgi 20. Julii 1369. regni 40. *Tertiò*, ex ejusdem Rymeri epistola prima ad Episc. Carleol. p. 38. (9.) obligatio facta Domino Regi per David de Bruys, Londini 4. Junii 1370. regni 40. *Quartò* denique, ex conventione illa suprà memorata p. 36. inter Joannem Franciæ & Davidem Scotiæ Reges, in qua (10.) potestas Legatis suis de ea re agendi à Davide commissa est 10. Maii 1359. regni 29. Possem & alia ex monasteriorum nostrorum libris eòdem pertinentia testimonia afferre. Sed quæ hactenus protulimus ad rem extra controversiam ponendam sufficiunt, Davidem nimirum, aut qui ei à consiliis vel secretis fuerant, in ejus regni temporibus notandis annum unum prætermisisse. Res hæc mirifica ac planè stupenda, cujusque caussam inquirenti ac in omnes partes me versanti nulla alia occurrit præterquam hæc; quòd, cùm ardente apud nos per multos annos funestissimo bello, David, ut extra periculum esset, in Gallia diversaretur, nulla aut certè paucissima ejus nomine eo tempore diplomata edita fuisse credibile sit. Illo autem ad suos secundo die Junii anno 1342. i. e. exeunte ejus regni anno 13. reverso, qui ejus actis scribendis præfuit, non advertens septimum illius mensis diem novum regni annum inchoare, mirâ atque intolerandâ oscitantiâ totum qui secutus est annum decimo tertio ejus regni anno accensuit. Hoc autem errore semel admisso, eadem incuriâ, aut veri calculi postea forsan agniti dissimulatione, ad Davidis usque vitæ finem in eo est perseveratum. Quidam fortè existimabunt Reges olim nostros, non à parentum obitu, sed ab ipsorum inauguratione regnorum suorum exordia arcessisse, eamque adeò rationem in numerandis Davidis annis tum fuisse sectatam. In ea quidem hæresi fuit noster Buchananus, qui ex eo quòd David noster II. coronatus fuerit 24. die Novemb. anni 1331. ei non nisi 39 regnandi annos tribuit. At eam non fuisse Regibus nostris regni sui annos auspicandi consuetudinem, cùm multa alia, tum ipsa Davidis nostri acta publica, quorum multa se perhibent regni ejus anno 41. scripta, liquidò commonstrant. Porrò duo hujus Regis suprà memorata instrumenta, unum 20. Julii anno 1369. & regni 40. alterum 4. Junii anno 1370. & regni itidem 40. perscripta, manifestè ostendunt Davidis ministros regni ejus ab aliquo die inter 4. Junii & 20. Julii, intercedente, non à die coronationis, 24. sciz. Novembris, qui ab his mensibus longè distat, initium repetivisse. Cæterùm, cùm Robertus Davidis II. pater septimo die Junii, (ut superiùs dictum,) hoc est, medio illo inter 4. Junii & 20. Julii spatio, decesserit; hinc plus quàm probabile efficitur, septimum illum Junii diem terminum exstitisse, a quo Regis illius Scribæ (quanquam, ut suprà demonstravimus, unum annum ex incuria postverterint) in supputandis ejus regni annis, exordium constanter sumpsere. Quædam de hac re videri possunt in annotationibus nostris ad Buchanani hist. edit. Fribarnianæ p. 432. in quibus tamen (neque fateri pudet) hunc in actis nostris publicis parachronismum (quis enim id exspectaret?) nondum tum animadverteram. Id demùm hic adjicere libuit, syngraphæ Eduardi Angli de receptione 10000 marcarum à Davide Rege Scotiæ (cujus exemplum apud Rymerum vol. 4. p. 445. habetur) autographum in archivis nostris adhuc exstare: quod, cùm in multis ab altero illo diversum sit, hic visum est exhibere, vocibus in Rymeri exemplo omissis Italico quem vocant charactere

Ex his chartis (in quibus omnibus viri nobiles illic commemorati pluralem semper de se unis loquentes usurpant) prima anno uno & tribus ferè mensibus Roberti Senescalli instrumento antiquior est; secunda & tertia eodem anno scripta; quarta & quinta annis duobus; sexta annis quatuor; septima annis ferè quinque; octava denique sex annis eo posterior est. Huc addi potest, quòd Robertus Senescallus his omnibus dignitate præstabat, utpote qui, toto tempore quo Rex David captivus in Anglia tenebatur, Scotiæ Prorex fuerit, atque ex avi Roberti Brussii testamento Ordinumque decreto proximus post Davidem filium ipsiusque liberos regni heres designatus. Ex his autem exemplis manifestissimè elucet, pluralis apud nos numeri pro singulari usum, non solùm Regibus, sed proceribus etiam eo tempore receptum fuisse; tantumque adeò abesse, ut hæc Roberti Senescalli charta propterea sit falsitatis damnanda, ut contrà, si singularem in ea numerum de se loquens adhibuisset, haud levis de ejus fide suspicio inde oriri posset; cùm nemo, quod sciam, de Scotorum supremi ordinis viris alio eâ tempestate quàm multitudinis numero in suis chartis uteretur.

2. *Secundum* Atwodi argumentum, quo illustris hujus diplomatis auctoritatem convellere conatur, insigne ipsius ignorantiæ, aut (quod vero propius est) improbitatis fideique planè subiestæ specimen exhibet. Ait enim ex eo *quòd Robertus, quasi Rex esset, se suosque heredes, in quacunque diœcesi commorantes aut commoraturos, sub cujus ipsi lubitum esset Episcopi jurisdictionem supponat*, ejus fraudem apparere. At primùm totam hanc rem consultò & deditâ operâ Atwodus malè narrando corrumpit. Non enim Robertus se cujuscunque Episcopi potestati subjicit; sed ex promisso, quo se diu antea Willelmo Episcopo Glasguensi (in ipsius chartæ initio) devinctum testatur, se heredesque suos eidem (eique soli) Episcopo ejusque successori, aut ipsius Officiali, qui pro tempore fuerit, submittit, ut ad annuam decem marcarum suæ Ecclesiæ hac chartâ concessarum solutionem, ipsi, si necesse esset, per censuram Ecclesiasticam adigerentur. Quàm autem egregiæ manifestæque prævaricationis reus tenetur Atwodus, qui ex his hujus instrumenti verbis, *Subjicientes nos & heredes nostros jurisdictioni & cohercioni Episcopi Glasguensis*, &c. colligere præ se fert Robertum Senescallum se, ex unius in alterius cujuspiam Episcopi jurisdictione, pro lubitu transferre voluisse? Nullius enim in tota hac charta Episcopi mentio fit, præterquam solius (ut dixi) Glasguensis, cujus Ecclesiæ annua illa in ea memorata pecuniæ pensio ex præcedente pacto debebatur, cujusque in diœcesi pleraque ipsius Roberti prædia & possessiones, comitatus de Carrick, dominium de Kyle, ager Renfroanus & insula Bota sita erant. Ad rem verò ipsam quod attinet, nihil magis solenne iis temporibus fuisse, quàm ut, qui terras aliasque eleemosinas viris locisve religiosis concedebant, se, si fidem fallerent, diris ecclesiasticis percutiendos subjicerent, nôrunt omnes in ejusmodi monumentis vel levissimè versati *(d)*. Nihil autem absurdius, quàm quòd

ctero expressis: "Edwardus Dei gratiâ Rex Anglie, Dominus Hibernie, & Dux Aquitanie, omnibus, "ad quos presentes litere pervenerint, salutem. Noveritis nos recepisse, & *in pecunia numerata plenè habuisse*, ab excellentissimo Principe Domino David *Dei gratia* Rege Scotorum *illustri*, fratre nostro carissimo, decem millia marcarum sterlingorum de termino nativitatis beati Joannis Baptiste proximo preterito, in partem solutionis illarum triginta millium marcarum, in quibus prefatus *Dominus* Rex virtute pacis inter nos & celebris memorie Dominum Robertum nuper Regis Scotorum patrem ipsius Domini Regis David hactenus mittere tenebatur. De quibus quidem decem millibus marcarum fatemur "nos esse *plenè* pacatos, & dictum Dominum Regem *David*, *heredes suos & suos successores*, *ac ceteros* "*quorum interest*, tenore presentium acquietamus *imperpetuum*. In cujus rei testimonium has literas nostras fieri fecimus patentes, teste me ipso, apud Wodestok xv. die Julii, *anno regni nostri quarto*," i. e. anno Dom. 1330.

(d) Ex multis unum liceat hîc ex chartulario Moraviensi, fol. 82. exemplum referre; eóque magis, quòd non solùm hanc de qua loquimur consuetudinem, quâ viri illustres donaria ad pios usus conferentes se ad pacta sua implenda per coërcionem ejus loci Episcopi adigendos subjiciebant; sed & alterum illum pluralis pro singulari numero adhibendi ritum, diu ante annum 1364. apud nos invaluisse confirmet. Est autem diploma viri in omne ævum celebrandi Thomæ Ranulphi, Comitis Moraviæ, Domini vallis Annandiæ & Manniæ, dat. apud Elgyn xvi. die mensis Maii, A. D. 1328. quo, "Nos, *inquit*, (*verba sunt ipsius* "*instrumenti*,)

quòd *affectatam* hic arguat à Roberto Senescallo *regiæ potestatis quandam ante tempus similitudinem.* Nunquam enim Reges se cujusvis Episcopi, præterquam Romani, idque rarò, atque cùm ipsis cum Principibus exteris res erat, censuræ in suis pactis & conventionibus sanciendis subjiciebant.

3. *Tertium* Atwodi argumentum responso prorsus indignum. Qualis enim, amabo, hæc ratiocinatio est? *Illustris Tarbatiæ Vicecomes consanguinitatem illam, quæ matrimonio Roberti Senescalli cum Elizabetha Mora obstabat, indagando reperire nequiverat; ergo ea nulla, nuptiæque ipsæ confictæ erant.* Hoc enim pacto similique ratione quodcunque nobilissimum illum virum, vel alium quemvis, supra trecentos annos latuerit, id propterea pro falso habendum. Frustra igitur viri docti in veteribus ejusmodi monumentis excutiendis laborant, si quæcunque in illis scripta fide sunt caritura, nisi non de iis modò, sed & de omnibus eorum adjunctis & circumstantiis aliunde constiterit.

4. Quod *quartò* huic chartæ Atwodus objicit, communem planè sensum transgreditur. *Nulla*, inquit, *decem marcarum in illa charta ad capellanum alendum concessarum solutio, aut jure nitens requisitio facta, memoratur.* Quam hîc solutionem aut jure nitentem requisitionem hic narrat insulsus cavillator? An ulla ejus pecuniæ solutio deberi, aut requisitio fieri potuit, nisi quæ ex hujus instrumenti verbis apertè significantur? In eo nempe pollicitum se ait Robertus Willelmo Episcopo Glasguensi, se intra definitum tempus & sub certa conditione ab Episcopo præstanda, unam vel duas, pro arbitrio ipsius Episcopi, capellas in ejus Ecclesia fundaturum. Conditionem præstitam, diem promissi implendi jam diu præteritam Robertus agnoscit. Ut igitur quod verbis (vel scripto forsan) promiserat, re tandem exsequeretur, chartam hanc conficiendam curat, quâ se suosque heredes ad decem marcas sterlingorum, ad capellani in prædicta Ecclesia sacra facturi sustentationem (quod sciz. ex pacto Episcopus fieri petiêrat) quotannis solvendas arctissimum in morem obstringit. *Atqui* (inquiet forsitan Atwodus; nam quid aliud dicere possit haud video) *nusquam in ea charta Robertus se ab Episcopo interpellatum dicit ut polliciti fidem exsolveret.* Quasi verò omnia, quæ pactum aliquod præcesserint, in eò narrari oporteat. Credibile quidem est, Robertum, tempore jam diu elapso (*e*), ab Episcopo sæpiùs fuisse appellatum, ut capellam illam insti-

" *instrumenti*,) ad honorem Dei & divini cultûs ampliationem, quinque capellanos perpetuos, pro salute " animæ magnifici Principis & Domini *nostri* Domini Roberti Dei gratia Scotorum Regis illustris, avunculi *nostri*, heredum & successorum suorum, & pro salute animæ *nostræ* & animarum progenitorum *nostrorum*, heredum, affinium & amicorum, celebraturos in eadem [*ecclesia sciz. Moraviensi*,] fundare " *volumus* & *promittimus*; ad quorum quinque capellanorum sustentationem *damus*, *concedimus* & *assignamus*, & præsenti cartâ *nostrâ confirmamus*, pro *nobis*, heredibus & successoribus *nostris*, viginti tres libras tresdecim solidos & quatuor denarios esterlingorum annui redditûs perpetuis temporibus percipiendas," &c. Et multò post: " Et si contingat, quod absit, *nos*, heredes *nostros* vel successores, huic " *nostræ* piæ donationi & concessioni in aliquo opponere, contradicere vel contravenire, *volumus* & *concedimus* pro *nobis*, heredibus & successoribus *nostris*, quòd Episcopus Moraviensis qui pro tempore fuerit, vel sede vacante Decanus & capitulum, quorum JURISDICTIONI & cohercioni, quoad hoc, specialiter & expresse *submittimus* per præsentes, *nos*, heredes *nostros* & successores, per omnimodam censuram " ecclesiasticam, tam in personis quàm in terris, liberè compellat & distringat ad observantiam omnium " prædictorum," &c. Ex his cernere est, neque lac lacti nec ovum ovo similius esse, atque hæc Thomæ Ranulphi charta illi Roberti Senescalli similis est. Quanta igitur existimanda est Atwodi aut inscitia, aut veriùs animi perversitas, qui has ipsas rationes, quæ chartæ Roberti Senescalli fidem maximè stabiliunt, ad eam labefactandam incauto lectori obtrudere non erubescit!

(*e*) Nuptias hasce canonicè (ut dici solet) celebratas fuisse narrat Fordonus, aut ipsius continuator Bowmakerus, anno MCCCXLIX. cujus verba, utpote veram (ut mihi quidem videtur) hujus rei commemorationem complectentia, hic duxi subjicienda. " Iste Robertus copulavit sibi de facto unam de filiabus Adæ More Militis, de qua genuit filios & filias extra matrimonium; quam postea, impetratâ " dispensatione sedis Apostolicæ, desponsavit canonicè & formâ Ecclesiæ, anno sciz. Dom. MCCCXLIX." Hanc rei narrationem (quæ in omnibus Scotichronici quæ mihi conspecta sunt exemplaribus habetur) Fordoni ipsius, non Bowmakeri continuatoris esse, rectè (ut mihi videtur) colligit Tho. Hearnius, in præf. ad suam Fordoni editionem, p. 176. & seqq. Aliter enim non tam turpiter sibi Bowmakerum fuisse contradicturum, qui alibi has nuptias celebratas demùm ait post Euphemiæ Reginæ mortem, quod, ipso referente, non nisi anno Christi MCCCLXXXVII. accidit. Rem prorsus falsam, inter innumera alia, hoc Roberti Senescalli diploma demonstrat: sed & eam porrò incredibilem reddunt quæ ab ipso Bowmakero de morte Roberti Gubernatoris Scotiæ referuntur, eum sciz. obiisse 3. Non. Septembris anno MCCCCXIX. octogenario majorem: eo enim pacto eum natum fuisse oportet anno MCCCXXXIX.

At

inſtitueret ac idoneâ mercede ſuffulciret: id quod ipſius inſtrumenti verbâ haud obſcurè innuere videntur. At ſi hoc abfuerit, ſatis eſt ad Atwodi argutationes retundendas, ſi dicamus Robertum ſuâ ſponte, nullâque aliâ re quàm promiſſi fide adductum, priorem ſuam ſtipulationem, ut virum probum decuit, hoc diplomate dato adimplêſſe.

5. *Quintum* atque *ultimum* Atwodi argumentum aliquid habere roboris primâ fronte videtur: *abſurdum* nimirum *eſſe, ut qui anno* MCCCL. *Comes Carictæ ſalutabatur, poſt* xiv. *annos, i. e. anno* MCCCLXIV. *ſimplice titulo Domini de Kyle, i. e. inferiore honoris gradu, ſe nominaret.* At falſo prorſus fundamento hîc nititur Atwodus: tantum enim abeſt, ut hæc charta Davidis II. cujus meminit illuſtris Tarbatiæ Vicecomes (*f*), in qua Joannes Roberti Seneſcalli maximus natu filius Comes de Carrick inſignitur, anno MCCCL. ſit ſcripta, ut illa non niſi exeunte anno MCCCLXX. aut ineunte MCCCLXXI. exaratâ, ac proinde eâ de qua nunc agimus Roberti Seneſcalli chartâ ſex annos poſterior ſit. Hallucinationi Atwodianæ (niſi potiùs fraus dicenda eſt) anſam præbuit error typographicus in libro nobiliſſimi Vicecomitis Tarbatiæ, poſtea Comitis Cromartiæ honore aucti, quo natales Roberti noſtri III. ab inuſtâ à pleriſque hiſtoricis noſtris maculâ egregiè vindicantur: in quo p. 26. de hac Davidis charta loquens, eam ſcriptam ait 17 annis ante mortem Euphemiæ ſecundæ Roberti Seneſcalli uxoris ac Scotorum Reginæ. Hunc numerum 17 (ut in talibus labi facile (*g*) eſt) in 37 mutavit typothetæ incuria. Errorem vidit emendavitque in altera libri ſui editione vir illuſtris: eum etiam, niſi id libens diſſimulare voluerit, nullo negotio deprehendere poterat Atwodus ex alio ejuſdem libri loco, p. viz. 24. ubi dictus Cromartiæ Comes hoc Davidis inſtrumentum *in quodam ex ultimis ejus parliamentis datum* memorat. Ad rem verò ipſam quod attinet, hanc ego chartam in archivis publicis meiſmetipſis oculis ſæpiùs luſtratam, omnium Davidis noſtri II. actorum poſtremam, ac poſt viginti alia anno ejus regni xli. ſcripta poſitam, proindéque æræ Chriſtianæ, ut diximus, MCCCLXX. aut MCCCLXXI. (*h*) exaratam, pro re certiſſima affirmo (*i*). Utique cùm Edinburgi ſit datum, anno MCCCL. exarari non potuit hoc diploma; ab anno quippe MCCCXLVI. ad MCCCLVII. David noſter in cuſtodia apud Anglos tenebatur (*k*); nullum certè toto eo tempore Edinburgi Ordinum regni conventum habuit.

At cùm ille filius fuerit Roberti Seneſcalli & Elizabethæ Moræ (ut Georgius Crawfordius de Nobilit. Scot. p. 6. monſtravit) natu tertius, fortè & poſt filiam unam & alteram genitus; Joannem Roberti Seneſcalli filium natu maximum genitum fuiſſe neceſſe eſt anno minimùm MCCCXXXVII. i. e. 50 ante obitum Euphemiæ annis. Ab omni autem veri ſimilitudine (ut alia defuerint) abhorret, Robertum (tum adeò grandævum, & regnandi impotem, ut altero poſt anno, narrante ipſo Bowmakero, ſciz. MCCCLXXXIX. Robertum ipſius filium, Fifæ Comitem, Scotiæ Proregem conſtituerit) Elizabetham Moram jam effœtam & omni decore ſpoliatam anum connubio ſibi junxiſſe. Id ſolum adjicio, Richardum Hayum de Drumboot, patriarum antiquitatum dum vixit diligentem ſcrutatorem, in ſuis natalium Roberti III. vindiciis, has patris ipſius cum Elizabetha Mora nuptias (quas ab initio juſtas ac legitimas fuiſſe contendit) in annum conjicere MCCCXXXIV. At quas opinionis ſuæ adfert rationes, mihi neutiquam ſatisfaciunt. Sed neque reverendi & alioquin ſagaciſſimi viri Jo. Sagii argumentationes probare poſſum, quibus ille, in præfatione ad Drummondi Hawthorndenii opera, p. 41. adductus, nuptias haſce ad annum MCCCXXXV. aut MCCCXXXVI. referendas vult. Nihil enim inde concludi aliud poteſt, quàm Joannem filium natu maximum tum genitum fuiſſe: at non ideò juſto eum matrimonio ſuſceptum conſequitur. Verius ergo videtur quod à Fordono traditum, Joannem ſciz. multoſque alios Roberti Seneſcalli filios & filias extra matrimonium, cui conſanguinitas cum ipſorum matre impedimentum præſtabat, prognatos fuiſſe: ſed, iſto obice per Rom. Pontificis diſpenſationem remoto, nuptiiſque juxta tum receptos Eccleſiæ canones anno MCCCXLIX. peractis, omnes legitimos evaſiſſe.

(*f*) Eſt autem ſtatutum trium regni Ordinum conſenſu approbatum, quo Epiſcopis de bonis ſuis mobilibus teſtamento vel aliter diſponendi poteſtas conceditur. (*g*) Plura alia ejuſmodi in numeris notandis, in eo Cromartiæ Comitis libro, ſphalmata obſervavit cl. Sagius in ſupra laudata præf. p. 33. & 42. quæ omnia in ſecunda ejus editione ſunt ſublata. (*h*) Ex ſupputatione in aliis Davidis diplomatibus conſtanter ſervata: aliter enim, quæ poſt ſeptimum diem Junii anni MCCCLXX. ad 22. Februarii anni MCCCLXXI. qui Davidis vitæ ultimus fuit, ab eo conceſſa ſunt diplomata, ad annum ejus regni (ut ſupra oſtendimus) quadrageſimum ſecundum referri debebant. (*i*) Videri hic poſſunt, quæ ante multos annos, à nobis tum ad marginem prædictæ præfationis Sagianæ, p. 36. ſunt annotata, tum in literis ad Robertum Graium M. D. eruditionis pariter ac humanitatis laude celebrem, apud Hearnium in præfat. ad Fordoni Scotichronicon, p. 187. perſcripta. (*k*) Vide D. Dalrymplii ad ſua collectanea præf. p. 36.

Ex his jam ſatis demonſtratum arbitror quàm frivolæ nihilique prorſus faciendæ ſint, quas tanto apparatu adverſus eximium hoc & auro contra non carum Roberti II. diploma congeſſit Atwodus ratiocinationes. Ut autem res adhuc, ſi fieri poſſit, manifeſtior ſit, hujus ipſius chartæ exemplum exſtat in excerptis ex regiſtro majore Glaſguenſi, anno, ut ipſa teſtantur, MDLVI. cùm nulla de legitimis Roberti III. natalibus lis mota eſſet, ſcriptis; quæ vir elegantis ingenii, & patriarum dum vixit antiquitatum cultor ſtudioſiſſimus, Alexander Baillie de Caſtlecary bibliothecæ JCtorum quæ Edinburgi eſt donavit. Unde & illud conſequens eſt, Atwodum longè rationem fugiſſe, qui chartam illam à Monachis Pariſienſibus non ita pridem confictam vult videri *(l)*.

Atque hæc de diplomatibus Scoticis, quæ primam ac præcipuam hujus operis partem conſtituunt, multipliceque qui ex illis aliiſque ejuſmodi monumentis capi poſſit fructu, diſſeruiſſe ſuffecerit *(m)*.

De Regiis aliiſque apud Scotos ſigillis.

XXXV. PRoximo loco, de Regum Scotorum SIGILLIS, quorum ut & quorundam aliorum delineatio in hoc opere exhibetur, nonnulla ſunt dicenda. Horum pars magna unà cum diplomatibus ipſis quibus firmandis adhibita ſunt, conjunctim repræſentantur. Reliquis verò ab Jacobo noſtro I. in quo diplomata deſinunt, ad Annam Britanniæ Reginam, quâ imperante Scotiæ & Angliæ regna in unum feliciter coaluerunt, peculiaris in hoc volumine aſſignatus eſt locus. De ſigillorum autem origine & antiquitate, variiſque eorum tum apud veteres, tum recentiores generibus, non eſt quod multis agamus, cùm hanc rem, ut alios omittam, prolixè ſimul & eruditè Theodorus Hoppingius JCtus Germanus *(n)*, Joannes Mabillonius Benedictini ordinis Monachus Gallus longè celeberrimus *(o)*, præ primis verò Joannes Michael Heineccius diœceſeos Magdeburgenſis Inſpector *(p)*, ſint perſecuti. Inſtituto noſtro factum erit ſatis, ſi, quibuſdam ad hanc materiam ſpectantibus ſummatim præmiſſis, de primo eorum apud nos uſu, variaque forma adhibendique ratione paullò diſtinctiùs dicamus.

Sigilla in quem finem comparata.

XXXVI. Et primum omnibus palam eſt in hunc finem ſigilla fuiſſe comparata, ut rebus ſcriptiſque fidem auctoritatemque præſtarent. *Cùm enim* (verba cl. Mabillonii *(q)* ſunt) *ſigna manûs ductibus efformata facilè ab aliis effingi & ſupponi queant, inſculpta eſt ſigillis teſſera ſeu effigies, quæ non niſi operosè à falſariis effingi potuiſſent. Nec tamen* (quod idem *(r)* mox addit) *ſigilla ab hac etiam fraude immunia fuiſſe*, innumera omni ferè ævo ab improbis hominibus adulterinis furtiviſque ſigillis obſignata inſtrumenta confirmant.

Sigillorum ſive annulorum ſigillarium uſus longè antiquiſſimus.

XXXVII. Sigillorum uſum antiquiſſimum fuiſſe ex ipſis ſacris literis docemur. Cùm enim Pharao Ægyptiorum Rex Patriarcham Joſephum toti ipſius populo præficere vellet, annulum ſuâ manu detractum ejus manui impoſuiſſe narratur *(ſ)*. Id autem non ornatûs tantùm gratiâ factum, ſed etiam aucto-

(l) Eadem excerpta viſa ſibi teſtatur Dalrymplius, loc. cit. *(m)* Qui plura doceri cupit de variis ſuper veterum inſtrumentorum fide inter viros doctos agitatis controverſiis, adeat eruditiſſimam Jo. Petri Ludewigi ad ſuas *Reliquias omnis ævi diplomatum ac monumentorum ineditorum adhuc* præfationem, in qua ſatis longam *bellorum* ejuſmodi *diplomaticorum*, quæ vocat, ſeriem clariſſimus ille Antiquarius pertexuit, à p. 23. ad 78. Celebre in primis eſt, quod per multos annos inter Bartholomæum Germonium & Joannem Mabillonium, & qui utriuſque, hinc, Juſtum Fontaninum, Theod. Ruinartium, Dominicum Lazarinum & Anton. Gattum, illinc Ephemeridum Trivultianarum ſcriptores alioſque, partes ſuſtentabant, de priſcorum Franciæ Regum Merovingicæ & Carolovingicæ ſtirpis diplomatum *αὐθεντίᾳ* certatum eſt certamen. *(n)* In libro cui titulus, *De ſigillorum priſco & novo jure tractatus practicus*, Noribergæ 1642. in 4. *(o)* In opere ſuo *De re diplomatica*, bis Lutetiæ Pariſiorum excuſo, anno 1681. & 1709. fol. præcipuè verò à cap. 14. ad 20. & ſupplem. cap. 11. *(p)* In libro cui titulus, *De veteribus Germanorum aliarumque nationum ſigillis eorumque uſu & præſtantia, ſyntagma hiſtoricum*, Francof. & Lipſ. 1709. fol. His addi poſſunt Jo. Kirchmanni Lubecenſis de annulis liber ſingularis, & Georgii Longi bibliothecæ Ambroſianæ cuſtodis primi tractatus de annulis ſignatoriis antiquorum, & Abrahami Gorlæi Antwerpiani præloquium ad ſuam Dactyliothecam, in quo de annulorum origine, variis eorum generibus & uſu apud priſcos, diſſeritur. *(q)* De re diplomat. lib. 2. cap. 14. § 1. *(r)* Ibid. *(ſ)* Geneſ. cap. 42.

ritatis,

ritatis, proindéque hunc annulum signatorium fuisse (veteres enim, ut mox dicemus, annulis pro sigillis utebantur) veri simillimum judicat post Abrah. Gorlæum *(t)*, Theod. Hoppingium *(u)* aliosque, cl. Mabillonius *(x)*. Eorumque sententiam confirmat, quòd in libro Exodi *(y)* sigillorum & sculptarum gemmarum expressa mentio fit. Similiter de Achabi Samariæ & Ahasueri Persiæ Regum annulis signatoriis legimus *(z)*. Ab orientalibus hisce gentibus ad Græcos, deinde ad Romanos, annulos gestandi, iisque literas suas & omne genus instrumenta, sive publica, sive privata *(a)*, signandi mos est derivatus. Et Romani quidem non nisi judicibus & ordini equestri eorum usum primitùs permisere *(b)*. Postea verò omnibus & viris & feminis usus eorum promiscuus est factus *(c)*. A Romanis ad Francorum Reges, ac deinde ad illius gentis Episcopos & viros nobiles transisse hanc consuetudinem testatur Mabillonius *(d)*, cujus illustre documentum adfert Childerici I. qui anno CCCCLVI. aut CCCCLVIII. regnare cœpit, annulum, in regio scrinio adhuc asservatum *(e)*.

In annulorum locum sigilla propriè sic dicta successere.

XXXVIII. In annulorum signatoriorum locum successere sigilla; cujus moris introducendi caussa hæc mihi præcipua fuisse videtur, quòd illa, utpote mole grandiora, literarum characteres, & hominum aliarumque rerum imagines, clariùs distinctiúsque quàm annuli, qui digitis gerendi aptabantur, exhiberent. Quamvis enim, gliscente indies Romanorum luxu, eò quoque in hoc gestamine vesaniæ perventum sit, ut annuli pro anni tempestatibus commutarentur, quò spectat illud Juvenalis *(f)*,

> *Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,*
> *Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ:*

neutiquam tamen existimandum est annulos eorum, etiam maximos & hiemales, sigilla, quibus postea Reges & Principes usi sunt, magnitudine exæquâsse. Et sigilla primùm quidem crediderim publica tantùm fuisse, & ad res majoris momenti confirmandas adhibita; durante interim annulorum in epistolis aliisque levioris negotii chartis obsignandis, qui nondum prorsus exolevit, usu. Postmodò verò, cùm sigilla, quæ initio (quod de annulis diximus) Regibus, judicibus aliisque viris illustribus, propria fuere, plebeiorum & inferioris sortis hominum communia demùm facta essent, eorum in omnibus quæ scripto consignabantur negotiis usus promiscuus evasit; nullo alio discrimine relicto, quàm quòd pro rei quæ agebatur publicæ privatæve natura, vel potiùs pro majore minoréve utentium dignitate, amplioris minutiorisve molis sigilla adhibentur.

De annulorum veterum aliorumque varia cælatura.

XXXIX. In annulis antiquorum sigillaritiis varia ac multiplex, & plerumque pro cujusque lubitu, erat cælatura. Initio quidem, ut observavit Meursius *(g)*, nudæ duntaxat literæ iis insculpebantur. Mox verò hominum, brutorum animantium, aliarumque rerum imagines in annulis cælari cœptæ: atque id primùm fiebat in ipsa materia annuli, sive ex ferro, sive ex auro foret; non

(t) In præloquio ad Dactyliothecam, p. 4. *(u)* De sigillor. jure, cap. 2. § 1. p. 21. *(x)* Loc. suprà cit. § 2. Eadem quoque de annulo à Juda Jacobi filio nurui suæ Thamari pignori dato Genes. xxxviii. 18. Joannis Drusii, Hugonis Grotii, aliorumque ad eum locum interpretum sententia est. *(y)* xxviii. 11. xxxv. 22. & xxxix. 22. *(z)* 1. Reg. xxi. 8. & Esteræ iii. 12. Alia etiam sacri codicis loca huc facientia vide apud cl. Heineccium de sigill. part. 1. cap. 3. § 3. *(a)* Neque literas solùm, diplomata aliaque instrumenta veteres obsignabant; sed fores ædium, pecuniam in sacculo vel cista conditam, lagenas, omnemque adeò penum & supellectilem; ut fusè ostendit Kirchmannus lib. cit. cap. 10. *(b)* Vid. Alexand. ab Alex. gen. dier. lib. 2. cap. 19. Kirchman. cap. 15. & Mabill. l. cit. § 3. *(c)* Kirchman. cap. 16. & Mabillon. loc. cit. *(d)* Loc. cit. § 5. & cap. 15. § 1. &c. *(e)* Eod. lib. 2. cap. 14. § 5. & cap. 16. § 2. Hunc autem annulum Childerici I. signatorium, omnium qui nunc supersunt, si Græcos & Romanos excipias, longè antiquissimum, ex illius Regis, cum multis aliis ejus ævi monumentis, sepulchro, Tornaci Nerviorum 27. Maii anno MDCLIII. effossum, æri incidendum curavit, omniaque egregio commentario illustravit Jo. Jac. Chiffletius, in libro cui Anastasin Childerici I. Francorum Regis titulum fecit, Antverpiæ anno 1655. edito: è quo ejus annuli iconem etiam delineavit suprà laudatus Heineccius, tab. 1. n. 4. *(f)* Sat. 1. *(g)* Exercit. critic. part. 2. cap. 9.

in gemmis, quarum uſum ſuccreſcens ævi luxus poſtea invexit (*h*). De ſignis ſive imaginibus iſtis veterum annulis inſculpi ſolitis, qui plura cognoſcere cupit, adeat, ſi velit, quem ſuprà laudavimus Jo. Kirchmannum, qui ſatis accuratè & plenè hanc rem tractavit (*i*), in primis verò Ab. Gorlæum, qui magnam patrimonii ſui partem in gemmis ejusmodi ſigillaribus aliiſque undique corrogandis elocavit, earumque figuras ære expreſſas in libro, cui *Dactyliothecæ* idcirco nomen fecit, harum elegantiarum amatoribus expoſuit; quem & triplo auctiorem Jacobus Gronovius cum ſuis explicationibus anno MDCXCV. iterum edidit. Cæterùm, poſt collapſum Romanum imperium, quique unà inſecutus eſt, omnium bonarum artium literarumque interitum, annuli, &, quæ diu poſtea in eorum locum venere, ſigilla, nullâ re magis à veterum gentilium præſtanti artificio & nitore ſe diſtinguebant, quàm inſcriptionum ſimplicitate. Ea enim cùm ad uſum, non ad ſplendorem plerumque eſſent comparata, nihil ſibi inſculptum primitùs habebant præter nuda poſſidentium nomina, nonnunquam ſola, ſæpiùs ſuis imaginibus rudem in morem effictis circumſcripta. Renaſcentibus quidem ſub Carolo Magno bonis literis paullò major in ſigillis elegantia emicuit: nec multò pòſt variæ figuræ, gladii, vexilla, coronæ, aliaque ſummæ poteſtatis & militaris gloriæ inſignia, ſunt addita: ac tandem propriæ cuique regno aut familiæ teſſeræ gentilitiæ (quæ etiamnum perſtat conſuetudo) ſuperinductæ.

De ſigillorum variis ſpeciebus, præſertim de ſigillo authentico ſive magno & ſecreto, ut & de contraſigillo.

XL. Ad varias ſigillorum ſpecies ſive diviſiones quod attinet, quas fusè deſcribit Hoppingius (*k*), noſtro ſat erit propoſito adnotâſſe, aliud majus, aliud minus ſigillum fuiſſe; illudque AUTHENTICUM & COMMUNE, hoc SECRETUM ſeu SECRETI appellatum. *Authentici*, quod nunc ferè SIGILLUM MAGNUM vocitamus, uſus præcipuè erat in rebus publicis; quales ſunt diplomata, quas *chartas* vulgò dicimus, privilegia, remiſſiones & ſimilia. *Sigillum* verò *ſecretum* inde nomen adeptum eſt, quòd in rebus ſecretioribus, verbi gratiâ, in epiſtolis, adhiberetur. Literæ autem hoc ſigillo obſignatæ plerumque erant *clauſæ*: at quæ authentico muniebantur, *apertæ* erant; unde diplomata quibus id apponebatur, LITERÆ PATENTES appellari conſueverunt. Neque tantùm in privatis negotiis ſecreti ſigilli uſus erat, ſed etiam in publicis, cùm id à tergo majoris ſeu authentici ſigilli inderetur; quod ideò CONTRASIGILLUM nuncupatur, quia majori ſigillo contrà ſolet opponi. Interdum etiam ab ipſo majore ſigillo, ut notat celeberrimus Carolus Dufreſnius (*l*), dependiſſe obſervare eſt. At contraſigillum, cùm æqualis eſt cum majore ſigillo magnitudinis, (quod nunc moris eſt,) à ſigillo ſecreto diſtingui monet Mabillonius (*m*).

Sigilla olim membranæ affixa, poſtea penſilia facta.

XLI. Sigilla olim membranæ aut papyro affigi ſolebant (*n*): deinde penſilia facta, qualibus primùm inter Francorum Reges Ludovicum VI. (*o*) cognomento Craſſum, ſed rariùs, uſum; at ſemper ejus filium Ludovicum VII. (*p*) tradit Mabillonius (*q*): qui etiam animadvertit (*r*) hunc primum ſigilli averſi ſeu contraſigilli morem apud ſuos invexiſſe. Ante hoc tamen tempus ſigilla quædam Epiſcoporum aliorumque Franciæ Magnatum pendula fuiſſe idem teſtatur (*ſ*): cujuſmodi exemplum adfert Agnetis Henrici I. (*t*) viduæ

(*h*) Id diſertè tradit Ateius Capito apud Macrobium lib. 7. cap. 13. Vide etiam Plinii nat. hiſt. lib. 33. cap. 1. (*i*) De annulis, cap. 11. 12. & 13. Adde etiam Georg. Longum, de annul. cap. 6. & Jo. Jac. Chiffletium in Anaſtaſi Childerici I, p. 108. (*k*) De ſigill. cap. 4. (*l*) In gloſſario ad ſcriptor. med. & infim. Latinit. voce *ſigillum*. (*m*) Contraſigillum non ſemper ejuſdem fuiſſe cum primario magnitudinis oſtendit Heineccius, part. 1. cap. 15. § 2. idque ex plurimis Comitum Flandriæ ſigillis apud Olivarium Vredium ad oculum apparet. (*n*) Modum affigendi, vel potiùs annectendi, vetera illa Regum Francorum ſigilla cerea ſic deſcribit Mabillonius, lib. 2. cap. 16. § 3. " Chartâ, *inquit*, ſeu " membranâ decuſſatim in crucis modum incisâ, & revulſis inciſuræ quatuor angulis, appoſita eſt utrinque " cera per fiſſuræ ſpatium in unum coagmentata: tum in antica ceræ parte impreſſâ annuli effigies, cum " (*addit chronici Gotwicenſis de eadem re agens ſcriptor, lib.* 2. *cap.* 1. § 14.) pars ceræ poſterior nuda " ſine effigie remaneret. Vide etiam Heineccium, cap. 16. § 2. (*o*) Qui regnare cœpit A. D. 1108. (*p*) Qui regnum iniît A. D. 1137. (*q*) Lib. 2. cap. 19. § 1. & 3. Vide etiam eod. lib. cap. 16. § 10. (*r*) Lib. 5. p. 428. (*ſ*) Lib. 2. cap. 16. § 12. (*t*) Qui obiît A. D. 1060.

diploma,

diploma, cui appensum vidit sigillum filii sui Philippi I. Et horum quidem imitatione factum ille existimat (u), ut Willelmus I. Conquæstor vulgò dictus, qui primus (ut infrà notabimus) sigillorum ad Anglos consuetudinem traduxit, pensilibus (etiam ante Francorum Reges, quantum resciri jam potest) ut & contrasigillis usus fuerit. Cujus rei illustre documentum adfert ex Jo. Seldeno, qui in notis suis ad Eadmeri historiam novorum (x) diploma exhibet ab eo Rege cœnobio (quod de Bello (y), ob victoriam de Haraldo ibi relatam, denominari voluit) concessum, cum sigillo appendente; in cujus parte antica Willelmus, ut Normanniæ Dux, sub figura equitis cataphracti repræsentatur, cum hac inscriptione, HOC NORMANNORVM WILLELMVM NOSCE PATRONVM; in parte autem postica idem, ut Rex Anglorum, cum gladio in dextra & globo cruce insignito in sinistra depingitur, cum hac epigraphe, HOC ANGLIS REGEM SIGNO FATEARIS EVNDEM. Sed & paullò ante hoc tempus eundem Willelmum sigillo usum esse notat doctissimus Hickesius (z), in charta illa nobilissima Cottoniana facta anno Dominicæ incarnationis MLXVII. (a), quâ innumera eaque pretiosissima dona Ecclesiæ Westmonasteriensi conceduntur, cuique cum consignantium testium illustrissimi generis aut dignitatis, quatuor columnis, sigillum Regis magnum (quod pendulum fuisse plusquam credibile ait) adhibetur.

XLII. De sigillis autem publicis ceræ impressis hîc loquimur; quæ omnia ante undecimum seculum (b) papyro aut membranæ (uti diximus) affigi, postea verò ab eis vinculo serico, cannabino aut membranaceo pendere consueverunt. Olim enim, ab ineunte saltem seculo nono, tum Orientis (c), tum Occidentis Imperatores (d), sed & Francorum aliique Reges sigillis aureis haud rarò, nonnunquam & argenteis literas suas & diplomata munivere (e). Ea

De sigillis aureis, argenteis & plumbeis.

(u) Mabill. loc. cit. (x) Pag. 166. (y) Vulgò Battle Abbey: bellum enim eo & sequentibus aliquot seculis pro prælio aut pugna usurpabant; unde bellum Standardi, bellum de Bannockburn, bellum de Cressiaco, &c. (z) In dissert. epist. de ling. septent. usu ad Barthol. Showerum, p. 72. (a) Prior autem charta illa, quam descripsit Seldenus, non ante annum 1070. est exarata; quo nimirum Walkelinus, in ea testis adhibitus, Episcopus Wintoniensis ab eo Rege erat nominatus, testantibus id Sim. Dunelmensi, p. 202. Hovedeno, p. 453. Radulpho de Diceto, p. 483. & Bromptono, p. 968. ut adeò Petrus Heylinus à vero nonnihil aberrârit, qui in libello, cui An help to English History nomen fecit, eum præsulatum iniisse scribit anno 1073. (b) Vide Mabillonium eod. lib. 2. cap. 19. § 1. (c) Franc. Rosiarius in *apparatu ad stemmata Lotharingica*, sigillorum aureorum originem 200 ferè annis Carolo Magno antiquiorem facit. Sed illius auctoris fidem meritò suspectam ostendit Heineccius de German. sigillis, part. 1. cap. 4. § 4. (d) Qui primi sigillorum ex metallo usum invexere, inter scriptores ambigitur. Dufresnius, in gloss. Lat. voce *bulla*, eorum inventionem Francorum Regibus tribuit, cui suffragantur Polyd. Vergilius de rer. invent. lib. 8. p. 605. & Thulemarius de bull. aur. cap. 2. quorum sententiæ favere videtur cl. Mabillonius lib. 2. cap. 16. § 16. At mihi arridet magis opinio Bern. Malincrotii de Cancell. imp. p. 116. & Jo. Mich. Heineccii, qui eorum originem Constantinopolitanis Imperatoribus acceptam referunt, indeque ea ad Francos, ut multa alia, propagata existimant. (e) Vide eundem Mabill. eod. lib. cap. 16. § 15. &c. Dufresnium in glossario Latin. voce *bulla*, chronicon Gotwicense, p. 83. 162. 212. 230. 248. 310. &c. præcipuè verò qui prolixam istarum bullarum recensionem instituêre, Henr. Gunterum Thulemarium, in peculiari de bulla aurea, argentea, plumbea, &c. tractatione, & sæpe laudatum Heineccium, part. 1. cap. 4. & 5. Ut plurima alia sigilla ejusmodi metallica prætercam, ab Imperatoribus plerisque omnibus jam inde à Carolo M. ad Leopoldum usque, item à Regibus Franciæ, Angliæ, Hispaniæ, Siciliæ, Italiæ, Hungariæ, Bulgariæ, ut & à Pontificibus Romanis aliisque suis diplomatibus appensa, præ cæteris memorabilis est, sic ideò & κατ' ἐξοχὴν dicta, AUREA BULLA CAROLI IV. Imp. cujus Noribergæ & Metis anno 1356. sancitæ, in imperiali Francofurto ad Mœnum, in curia quam Romanam vocant asservatæ, & à se 13. Septemb. anni 1681. visæ, hanc descriptionem tradit præfatus Thulemarius: "Liber est, *inquit*, Latino idiomate literis monachalibus exaratus, ex tribus & quadraginta foliis pergamenæ constans, elenchum generalem capitum pagina secunda & tertia, rubricam autem ante quodvis caput exhibens. Sigillum, seu Bulla, (quæ ex filis sericis flavi & nigri coloris infra per folia omnia tractis dependet) rotunda & ex solido auro est, crassitie duplicem Joachimicum thalerum æquans. Uno latere refert ipsius Caroli IV. Imp. effigiem in majestate sedentis seu Imperatorio amictu ac ornatu conspicui, coronam Imperialem capite gestantis, dextrâ sceptrum, sinistrâ pomum cum infixa cruce tenentis; cui ex eodem latere dextro figura aquilæ simplicis, non bicipitis, ex altero leonis cum cauda bifurcata adposita est. In circumferentia autem leguntur hæc verba characteribus istius ævi majusculis, KAROLVS QVARTVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS ET BOEMIE REX. Altero sigilli latere exhibetur castrum magnum (quod alii Capitolium, alii Romam designare putant) cum tribus turribus, quæ habent in medio portam apertam cum literis sequenti positione in fine sculptis, AVR. EAR. OMA in margine autem hic legitur versus, ROMA CAPVT MVNDI REGIT ORBIS FRENA ROTVNDI." Eundem ferè ad modum hanc bullam à se 2. Junii anno 1639. conspectam, antea descripserat Theod. Hoppingius de jure sigill. cap. 3. § 4. n. 44. Ejus iconem delineatam

habes

Ea autem omnia pensilia erant, & ex utraque parte inscripta, alio nomine Bullæ vocatæ. Plumbea rarissimè adhibebantur, præterquam à Pontificibus Romanis, apud quos ferè solos jam inde à plurimis seculis eorum usus remansit (*f*); unde ipsorum diplomata proprium quasi nomen *Bullarum* acceperunt, cùm antea Regum virorumque illustrium diplomatis, sæpe etiam & sigillis quibus signabantur, id vocabulum commune esset.

Quando ad Anglos sigillorum usus pervenerit.

XLIII. Seriùs, nec nisi Willelmi Conquæstoris tempore ad Anglos pervenit sigillorum usus. Cùm enim antea Anglo-Saxonum Reges, Episcopi aliique viri illustres, non aliter quàm signo crucis suis & testium consignantium nominibus præposito chartas suas muniebant, ille Normannique eum secuti (Ingulpho Abbate Croylandensi (*g*) teste) *chartarum firmitates cereâ impressione per uniuscujusque speciale sigillum, sub instillatione trium aut quatuor testium astantium conficere constituebant* (*h*). Meminit quidem cl. Hickesius (*i*) chartæ S. Eduardi Confessoris, quam in Ecclesiæ Westmonasteriensis archivis adhuc exstantem Saxonicè scriptam, & sigillo Regio appendente munitam, ipse viderit. At *sigillationem chartarum cum pendulis sigillis* in usu non fuisse apud Anglos *ante* illius *S. Edwardi II. tempora* ipse agnoscit (*k*). *Quinimò* (idem postea (*l*) addit) *sigillorum cujusvis generis rarior erat usus apud Anglo-Saxones. Quorum quidem Reges quandoque legimus iis literas suas munivisse. Sed ad chartas, vel diplomata sua, obsignandas, iis usos esse, ne unius quidem chartæ exemplo, quod scio,* (inquit) *constat.* Prædictus quidem chartularii Cantuariensis scriptor, quamvis nulla reperiri dicat in suis monumentis ante conquæstum sigilla cerea, sed solummodò signa crucis; excipit tamen ab hoc numero chartas quasdam Regis Canuti, utpote alienigenæ & conquæstoris. Sed & eas propterea spurias existimat Hickesius, *nec dubitare se*, ait, *si ad examen vocarentur, quin facile foret ex aliis etiam caussis earum falsitatem evincere* (*m*).

De monogrammatis.

XLIV. Antiquioribus temporibus, præter sigilla, frequentissimus erat in diplomatis subscribendis Monogrammatum usus. Est autem monogramma nomen alicujus certis literarum implexionibus ita descriptum, ut unico quasi charactere omnes vel pleræque nominis literæ continerentur, ut in his, pro KAROLVS, OTTO. Horum monogrammatum consuetudinem admodum vetustam esse ex Plutar-



habes apud eundem Thulemarium, p. 55. & Heineccium, tab. 1. n. 6. Hujus generis est insignis illa bulla aurea (cujus meminit Henr. Spelmannus in glossar. archæol. p. 90. quam & ego superioris anni mense Junio in chartophylacio Westmonasteriensi conspexi) Francisci I. Franciæ Regis, appensa fœderi quod cum Henrico VIII. Anglorum Rege pepigit, in cujus anticæ circulo versus hic describitur, PLVRIMA SERVANTVR FOEDERE, CVNCTA FIDE. Id ipsum (ut tradit Dufresnius loc. supra cit.) de bulla aurea Henrici istius pariter fœderis diplomati appensa testatur Peirescius in adversariis MSS. quam se vidisse testatur in archivo Regio, & majoris esse formæ, ac pondo x. aureorum Hispanicorum, in qua efficta sunt regni Anglici insignia, cum corona Regia epanoclista & periscelide. Refert denique idem Spelmannus, Clementis VII. diplomati, quo DEFENSORIS FIDEI titulum eidem Henrico VIII. Angliæ Regi contulit, appensam esse bullam auream.

(*f*) Duces Venetorum jam inde ab Alexandri III. Pontificis Romani tempore, i. e. ab anno 1177. literas suas plumbo obsignare, ex Anton. Sabellico, Renato Choppino, & Baldo JC. docent Kirchmannus de annul. p. m. 54. & Thulemarius, p. 29. (*g*) Histor. p. 901. edit. Savill. Hujus autem rei testis satis locuples est Ingulphus, utpote qui ei cœnobio à Gulielmo Conq. Abbas sit constitutus (ipso p. 905. referente) anno 1076. (*h*) Ejusdem rei fidem faciunt, quæ in chartulario cœnobii S. Augustini Cantuariensis, in aula S. Trinitatis Cantab. deposito, leguntur apud Hickesium, dissert. epist. p. 7. in notis, & apud Stillingfletium, orig. Britann. p. 19. (*i*) Ibid. p. 64. (*k*) Ibid. p. 71. sub fin. (*l*) Ibid. & p. seq. (*m*) Ex his statuere licet de vetere diplomate, quod à Scotis dum in Cumbria anno 1386. prædas agerent, repertum, & ad Robertum Stuartum Fifæ Comitem eorum ducem allatum narrat Fordoni continuator his verbis: "Inter alia deprædata, *inquit*, oblata est una carta antiquissima, magno sigillo cereo consignata, continens tenorem subsequentem, I kyng Adelstan gyffis here to Paulayne Oddan and Roddan, als gude and als fair as evyr thai myne war, and tharto wytnes Malde my Wyffe." Talem chartam tum inter spolia repertam non dubito, at quamvis celeberrimus Cragius eam pro genuina habeat, in opere suo feudali, lib. 1. dieg. 7. § 4. eam tamen commentitiam esse, inter alia, ostendit magnum illud sigillum cereum quod ei appositum dicitur. Vide quæ nos de ejusdem farinæ chartis Gulielmi Conq. & Milcolumbi nostri III. suprà diximus in notis ad p. 6.

cho, Symmacho aliisque probant Dufresnius *(n)*, Mabillonius *(o)*, Heineccius *(p)*, & chronici Gotwicensis sæpius laudatus auctor *(q)*. Primus eorum in annulis sigillaribus videtur fuisse usus: postea ad nummos Romano-Græcos transiit, cujus rei haud pauca exempla apud numismatum collectores Goltzium, Vaillantium, Stradam, Occonem, Spanhemium, Bandurium, &c. occurrunt. Ex his cæteris ætate juxta ac dignitate præcessit nominis Christi monogramma, quod (si Lactantio *(r)* credimus) cœlesti monitu in labaro *(s)* inscribi jussit Constantinus Magnus: quem morem ejus successores diu servârunt. A nummis ad sigilla posteriora derivatus est monogrammatum usus, à quibus in chartas ipsas postmodò transiit; quem ritum (ut Pontifices Romanos, Imperatores aliosque omittam) Francorum Reges à Carolo M. ad Philippum III. perpetuâ serie retinuere. Singulorum autem quæ ad ipsius notitiam pervenerant delineationem æri incisam exhibuit Dufresnius *(t)*. Veteres etiam Sueo-Gothicos Reges hujusmodi characteribus usos docet Joan. Peringskioldus *(u)*, & eos nonnunquam adhibuisse Anglo-Saxones notat cl. Hickesius *(x)*, qui ab iis semper in chartis aut simplex crucis signum, aut vexillare Christi monogramma præponi solitum scribit *(y)*.



XLV. Multa alia sunt ad sigillorum materiam pertinentia, qualia sunt ceræ in iis adhibitæ color, varia eorum figura & moles, rerum iis inscriptarum imagines & similia: quæ omnia, cùm fusè ac dilucidè explicârint cl. Heineccius aliique, nobis utique ad metam properantibus satis erit summa rerum capita & levi quasi brachio perstringere. Et,

De ce- sigillis bitæ co.

1. Antiquissimis temporibus credibile est ceram luteam sive flavam, hoc est, nativo suo colore, ad signandum fuisse usitatam. Color deinde albus magis placuit, omnibus Principibus olim communis, postea quibusdam privilegio concessus. Cerâ rubrâ, utpote ad purpuram propiùs accedente, frequenter usi Imperatores CPolitani, quam & Romani Pontifices in suis Brevibus, nonnunquam sed rariùs Imperatores occidentales, sæpiùs Francorum Reges adhibuerunt. Viridis color, sed is plerumque flavo circundatus, seculo xiv. obtinuit. Usi etiam olim & frequentissimè cerâ diversi coloris, eâque vario modo. In quibusdam enim alius est in sigillis, alius in contrasigillis ceræ color. In quamplurimis interior sigilli pars sive sculptura ceræ aut rubræ aut viridi est impressa, exteriùs verò tanquam cerea capsula aut albi aut flavi coloris ei circumducitur. Nonnullis denique sigillis, altera pars ex cera rubra vel viridi, altera ex flava vel alba, ita ut limbus planè desit, apparet. Sed, ut ad sigilla unius coloris revertar, multum in his apud ejusdem gentis Principes aliosque diversis temporibus est variatum. Reges enim nostri cerâ albâ maximè videntur usi, quam consuetudinem ad Carolum usque I. servatam existimo: nunc apud nos in literis quas peculiari nomine chartas, vulgò **Charters**, vocamus, ceram viridem; in commissionibus, quæ nominantur, rubram; in remissionibus albam adhibere placuit. Hodie etiam Imperatoribus, Principibusque Germaniæ, ut & Regibus Daniæ, Suediæ, Poloniæ, color ceræ rubeus plerumque in usu est *(z)*. Apud Gallorum Reges olim cera alba, postea rubra, deinde viridis arrisit; hodie cerâ flavâ quævis diplomata signantur *(a)*.

De varia sigillorum figura.

2. Ad sigillorum figuram quod attinet, orbicularia & ovalia, ut simpliciora, ita vetustissima fuere. Reges Francorum Merovingicæ stirpis orbicula-

(n) In glossar. voce *monogramma*. *(o)* De re diplom. lib. 2. cap. 10. § 10. & seqq. *(p)* De German. sigillis, part. 1. cap. 9. § 51. *(q)* Lib. 2. cap. 1. § 10. & alibi pluribus locis, in quibus Impp. Germanorum, à Conrado I. ad Fridericum II. monogrammata accuratissimè, ut solet, describit. *(r)* De mortibus persecut. cap. 44. *(s)* De nummis illius Imperatoris Christi monogrammate inscriptis, vide Bandurium adversus Harduinum disputantem, tom. 2. p. 250. & 273. *(t)* In glossario, voce *monogramma*. *(u)* Apud Hickesium differt. epistol. p. 72. *(x)* Ibid. *(y)* Ibid. p. 70. *(z)* Vide Thulemarium de bulla aurea, &c. p. 33. *(a)* Vide Mabillon. de R. D. lib. 2. cap. 16. § 14.

ribus ſigillis uſos ex eorum ectypis à Mabillonio aliiſque editis patet, ſolis Childericianis ovalem figuram præferentibus. At Carolingis ovalis figura magis placuit, uſque ad Carolum Craſſum, qui orbicularem revocavit, quam & Arnulfus, & cæteri omnes Imperatores Germanici conſtanter retinuerunt. Sigilla oblonga & utrinque acuta non ſunt adeò antiqua, utpote ſeculo xii. uſurpari cœpta, atque ab Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque majoris dignitatis viris Eccleſiaſticis, nonnunquam & ab illuſtribus fœminis frequentata. Inveniuntur & ſigilla triangularia, eaque vel cordis figuram, vel ſcuti vel folii præ ſe ferentia. Horum autem uſus apud viros nobiles ſatis frequens, non ante ſeculum xii. invaluit, utpote quo primùm inſignia gentilitia in ſigillis oſtentari cœperunt. Omnium rariſſima ſunt quadrata, qualibus in bullis ſuis plumbeis unum & alterum Pontificem Rom. uſos notat Heineccius *(b)*. Idem denique bina memorat ſigilla cava, quæ nimirum ſculpturam in medio orbe admodum depreſſam, perigraphen verò exſtantiorem habent, ut totum ſigillum lanci videatur ſimile *(c)* : cujuſmodi etiam quædam conſpexiſſe me memini. Hodie apud pleraſque gentes plana illa & ſimplex ſigilli forma, in publicis ferè rotunda, in privatis vel rotunda vel ovalis, uſu recepta eſt.

De ſigillorum quantitate.

3. De ſigillorum quantitate id ſolum obſervatu dignum, ea progrediente tempore in majorem ſemper atque majorem magnitudinem excreviſſe. Aureorum (ſi pauca *(d)* excipias) molem intra modicos fines continuit metalli pretium. Cerea veterum Francorum Regum, ut & Conradi I. & Henrici I. Imperatorum florenum Germanicum (notante *(e)* Heineccio) non excedunt. Trium Ottonum ſigilla tres ferè digitos habent in diametro, Conradi II. quatuor, Lotharii quatuor & ſemiſſem, Ottonis IV. Henrici VII. & Gulielmi quinque digitos, Rodulphi I. penè ſex, at omnium maximum Friderici III. ſeptem abſolvunt. Idem quoque diſcrimen in Regum, Principum, Epiſcoporum aliorumque ſigillis obtinuit, quorum ſeorſum magnitudinem definire nimis eſſet prolixum. Cæterùm, labente ad finem ſeculo xiv. ſigillorum moles, veluti ad extremum deducta, paullatim decrevit, donec ad eam quâ hodie utimur rediit.

De ſigillorum inſcriptionibus.

4. De variis figuris veterum ſigillis inſculpi ſolitis partim ſuprà egimus, alia nonnulla, cùm ad Scotica deſcribenda ventum fuerit, poſtea addituri. Qui plenam autem & diſtinctam harum notitiam habere percupiunt, ad ſæpiùs laudatos Heineccium *(f)*, Mabillonium *(g)*, & chronici Gotwicenſis auctorem *(h)*, eos ablegamus.

De fraudibus in re ſigillari commiſſis.

XLVI. Supereſt tandem, ut de variis fraudibus, quemadmodum in re diplomatica, ita in ſigillari, ab impoſtoribus commiſſis, nonnihil adjiciam. Sex autem potiſſimùm modis fallaciam aut errorem in ſigillis committi notat exempliſque illuſtrat diligentiſſimus Heineccius *(i)*. *Aut enim*, inquit, *ſigilla falſa falſis diplomatibus annexa; aut falſa veris addita; aut vera falſis appoſita; aut charta eo modo inciſa ac ſi ſigilla decidiſſent, cùm nulla adfuerint; aut ſigilla averſæ diplomatum faciei per errorem impreſſa; aut ſigilla denique ipſa inverſa ſunt.* Primi generis maximam copiam detexit damnavitque hoc & ſuperiore ſeculo doctorum virorum induſtria, è quorum numero eſt commentitium illud de quo ſuprà *(k)* diximus Milcolumbi noſtri III. tum diploma, tum ſigillum ei appenſum. Secundi generis fraus rarior, ac tum præcipuè admiſſa, cùm vera ſigilla à diplomatibus aut multùm detrita aut delapſa eſſent : cujus impoſturæ exempla nonnulla profert Mabillonius *(l)*. E tertio

(b) Part. 1. cap. 7. § 6. *(c)* Ibid. § 8. *(d)* Sed & in his Regum & Imperatorum quorundam vanitas apparuit, qui magnum in his bullis auri pondus nonnunquam protudere. Memoratu in primis dignum, quod ex chronico Goſlarienſi adfert Heineccius, part. 1. cap. 4. § 7. his verbis : "Dedit præterea Henricus III. Imp. Eccleſiæ SS. Simonis & Judæ quandam literam à Rege Græciæ ſibi miſſam cum ſigillo aureo SATIS PONDEROSO, de quo fiebat calix aureus, de litera vero fiebat palla altaris."
(e) De ſigill. part. 1. cap. 7. § 9. *(f)* De ſigill. Germ. part. 1. cap. 8. & ſeqq. *(g)* De re diplom. lib. 2. cap. 16. § 8. 9. 10. 11. *(h)* Tom. 1. lib. 2. p. 106.—113. p. 143. & alioi paſſim.
(i) Cap. 17. *(k)* Pag. 29. *(l)* De re diplom. lib. 2. cap. 19. § 9.

genere,

genere, quo nullum ferè latiùs patet, memoranda præ cæteris eſt ſceleſtiſſima ea fraus, quâ Phelimus O Neile Hibernus, horrendam, & à moderatioribus Pontificiæ ſectæ hominibus deteſtatam, Proteſtantium Hibernenſium anno MDCXLI. lanienam, auctore Carolo I. tum Britanniarum Rege perpetratam credi voluit. Is nimirum avulſum ab alio Regis illius diplomate ſigillum novo à ſe confecto inſtrumento, quo Princeps is omnium optimus & clementiſſimus immane iſtud nefas mandâſſe fingitur, attexendum curavit. Id ipſe in judicium deductus & capite damnatus, coram pluribus teſtibus confeſſus eſt Phelimus: ut prodigii inſtar habeat quoſdam tanto odio in τȣ̃ μακαριωτάτȣ Regis memoriam adhuc flagrare, ut hoc ab omni prorſus fide abhorrens diploma pro vero & genuino venditare ac defendere non erubeſcant *(m)*. De reliquis fallaciarum vel errorum in re ſigillari commiſſorum generibus, cùm non tanta iis improbitas inſit, duo etiam poſteriora ex inſcitia vel incuria fortaſſis ortum traxerint, dicere ſuperſedeo. De modis autem, quibus ſigillorum falſitas deprehendi poſſit, conſuli in primis meretur cl. Heineccius *(n)*.

XLVII. His de ſigillorum origine varioque eorum apud varias gentes uſu præmiſſis, proximum eſt ut de noſtratium hac in re conſuetudine aliquid ſubjiciamus.

De ſigillorum apud Scotos origine.

Ac, *primùm*, veriſimile admodum eſt, ante Milcolumbi noſtri III. quem vulgò Capitonem cognominamus, ætatem, nullum apud nos ſigillorum, ſaltem in chartis publicis ſignandis, fuiſſe uſum, Regeſque adeò alioſque principes Scotiæ viros, qui ei præceſſere, finitimorum Anglo-Saxonum exemplum ſecutos, non aliter quàm teſtium qui rei geſtæ intererant nominibus (non ab ipſis, ſed à Notario) ſigno crucis præpoſito, ſubſcriptis, diplomatibus ſuis fidem ſanxiſſe. Id quò magis credam facit Duncani noſtri II. Milcolumbi iſtius filii ac ſucceſſoris diploma, quod primum in hoc volumine conſpicitur, cui Duncani ipſius teſtiumque aſſiſtentium nomina, cum crucibus unicuique præpoſitis, juxta hunc morem ſubjiciuntur. Additum quidem præterea eſt Duncani ſigillum: at id imitatione factum Gulielmi Normanni, qui primus ſigillorum (ut ſuprà diximus) apud Anglos uſum invexit; & haud rarò ad majorem rei auctoritatem conciliandam, utramque conſuetudinem, teſtium ſciz. nomina ſubtus ſcribendi, ſimulque ſigillum ſuum appendendi, conjunxit. Quem morem licet proximi ipſius ſucceſſores, Gulielmus II. Henricus I. & Stephanus, ſed rariùs uſurpârint *(o)*; paullatim tamen apud Anglorum Reges alioſque receptum eſt, ut, hoc teſtium nomina inferiùs ſcribendi ritu omiſſo, ſola ad diplomatum ſuorum firmitatem ſigilli appenſio ſufficere exiſtimaretur. In rebus quidem majoris momenti teſtes adhibebantur: ſed eorum nomina non, ut prius, infra ſcribi, ſed ipſi inſtrumento ſub finem inſeri ſolebant: quod inſtitutum, ab Anglis ad nos traductum, noſtri omnes deinceps poſt Duncanum II. Reges in hunc uſque diem obſervant.

Alexand. I. apud Scotos contraſigilli uſum primus invexit.

Secundò, obſervandum eſt ex Regibus noſtris Alexandrum I. ſigilli averſi ſive contraſigilli uſum primum introduxiſſe, cùm Duncanus II. ejuſque frater Edgarus ſimplice ſive unico ſigillo eſſent contenti. Dubitari interim vix poteſt, quin & illis in epiſtolis aliiſque quæ privati generis erant ſcriptis ſignandis, ſigillum parvum, ſive quod *ſigillum ſecretum* vel *ſecreti* tum nominabant, in uſu fuerit. At illud nunquam unà cum majore ſigillo (quod tamen illis temporibus tum Francorum Regibus *(p)* tum Comitibus Flandriæ *(q)* ſolenne fuit) à Regibus vel Anglis vel Scotis uſurpatum reperio. In omnibus enim

(m) Vide nobiliſſimi Comitis Clarendonii Hiſtoricum rerum hibernenſium conſpectum, p. 16. Nalſoni collectiones, vol. 2. p. 527. & ſeq. Tho. Cartii vitæ Jacobi primi Ducis Ormondiæ hiſtoriam, nuper editam, vol. 1. p. 179. &c. præcipue verò ejuſdem doctiſſimi Cartii de hac re editum libellum, quo Carolum I. ab immani eo crimine adverſus Chandlerium egregiè purgat & defendit. *(n)* Part. 1. cap. 17. § 10. *(o)* Vide Hickeſium diſſert. epiſtol. p. 72. *(p)* Vide ſigilla Philippi Auguſti, Ludovici VIII. & IX. apud Mabillon. lib. 5. p. 431. & 433. *(q)* Vide Olivar. Vredium de ſigillis Comitum Flandriæ, p. 19. & ſeqq.

quæ

quæ mihi videre licuit horum Regum diplomatibus, anticum posticumque sigillum ejusdem semper sunt magnitudinis. Quod ad regni nostri proceres, etiam Regum filios & heredes attinet, nullum eos, antiquioribus illis temporibus, præter unicum sigillum, absque sigillo secreto vel contrasigillo, adhibuisse verisimile ex eo efficitur, quòd Davidis nostri I. dum Comes fuit, item Principis Henrici ejus filii & heredis, ac Davidis Comitis Hundintoniæ Davidis I. nepotis diplomata simplice tantùm sigillo munita conspiciantur *(r)*. Sigillo quidem Cospatricii junioris Comitis Dunbari *(ſ)* additum à tergo aliud minus sigillum est; at id non Cospatricii ipsius, sed Roberti est Episcopi (quod perquam credibile) S. Andreæ, in cujus diœcesi villa & ecclesia de Ederham Monachis Dunelmiæ hujus Comitis diplomate confirmata tum sita erant. Altero etiam post id tempus seculo, inter sigilla procerum Scotiæ, celebri isti ad Pontificem Rom. anno MCCCXX. scriptæ epistolæ *(t)* appensa, solum Duncani Comitis Fifæ sigillum duplex, sive ab utroque latere impressum est, reliquorum verò Comitum & Baronum simplicia sunt.

Edgarus primus è Scotorum Regibus se in throno majestatis sedentem in sigillis sistit.

Tertiò, observare licet, Edgarum è Scotorum Regibus primum se regali habitu cæterisque summi imperii insignibus conspicuum in suo sigillo exhibere. Nam, cùm qui ei præcessit Duncanus II. militari specie equo insidens, caput galeâ munitus, dextrâ vexillum, sinistrâ clypeum tenens, ostendatur, (quæ forma in contrasigillis diu postea retenta, & apud inferioris ordinis viros illustres, quibus unicum erat sigillum, usu recepta;) ille, ut se verè Regem supremâque & absolutâ potestate præditum indicaret, in solio majestatis collocatum, coronâ redimitum, dextrâ sceptrum, lævâ gladium gerentem, in sigillo suo describi se voluit. Unde (ut id obiter notem) præcipuè verò ex sigilli circumscriptione, YMAGO EDGARI SCOTTORVM BASILEI, suppositititiam esse, inter alia, rectè arguit noster Andersonus *(u)*, suprà *(x)* memoratam Edgari Scoti chartam, quâ se is Gulielmi II. Angli beneficiarium agnoscere fingitur. Cæterùm, hæc summi imperii insignia in suis sigillis repræsentandi ritum à Regibus Angliæ Gulielmo I. aut II. didicisse Edgarus videtur, nisi potiùs id fecerit exemplo proavunculi sui Eduardi Confessoris, qui non solùm regni insignia hoc modo efformata, sed & BASILEI titulum in sigillo suo inscriptum habet *(y)*. Hunc autem morem, à Byzantinis Imperatoribus acceptum, paullò ante Impp. Germaniæ & Francorum Reges introduxerant, inter quos hinc Henricus I. illinc Henricus II. à Mabillonio *(z)* & chronici Gotwicensis scriptore *(a)* primi notantur, qui se integro corpore in throno sedentes in sigillis suis exhibuerint. Priores verò Reges & Imperatores, qui non nisi annulis ad signandum utebantur, vix quicquam aliud primùm præter caput suum aut nudum aut laureatum, mox suam protomen sive pectore tenus deductam imaginem sigillis insculpsere *(b)*. Carolus Crassus clypeum & vexillum *(c)* addidit; coronam in sigillis apud Germanos Conradus I. apud Francos Ludovicus Transmarinus primi adhibuere *(d)*. Hi autem eorumque successores ad eum quem diximus Henricum II.

Qui primi thronum majestatis aliaque regni insignia in sigillis suis præferendi usum introduxerint.

(r) Vide tab. 10. 20. & 39. *(ſ)* Tab. 71. *(t)* Tab. 51. *(u)* De absoluta sceptri Scot. potest. p. 77. & seqq. Vide etiam Seldenum de tit. honor. part. 1. cap. 2. § 4. 5. & 6. & Dufresnium in glossar. voce *Basileus*. *(x)* Pag. 31. *(y)* Ejus iconismum vide apud Spedium, hist. Britann. p. 398. *(z)* Tab. 39. p. 423. *(a)* Lib. 2. cap. 6. § 6. Idem tamen, eod. lib. cap. 5. § 6. p. 212. duo notat Ottonis III. sigilla, unum à Benj. Leubero, stapul. Magdeburg. n. 1620. alterum à P. Meichelbekio, chron. Frising. part. 1. p. 194. memorata, in quibus is Imperator solio sedens inscribi dicitur. Sed hæc sigilla extraordinaria, nec similia sibi alias conspecta, ille fatetur. Quod autem ibid. addat Caroli Crassi sigillum eadem formâ expressum apud Mabillonium exstare memoria lapsus vir alioquin accuratissimus videtur; nullum enim apud eum scriptorem, vel hujus vel alterius cujusquam formæ Caroli Crassi sigillum descriptum reperio, præter unam bullam plumbeam, in qua Principis illius protome tantùm cum scuto & hasta exhibetur. Vide Mabill. supplem. cap. 11. p. 48. *(b)* Vide Heineccium, part. 1. cap. 9. § [illegible]. *(c)* Sæpe tamen horum insignium facta mutatio est: pro vexillo enim haud raro baculus oblongus, frequentius sceptrum liligerum aut ave decoratum, interdum flos aliquis aliaque ejusmodi manuum gestamina in sigillis placuere. *(d)* Vide chronic. Gotwic. tom. 1. p. 107. & Mabillon. R. D. lib. 2. cap. 17. § 2. & lib. 5. p. 416. Idem tamen, sui oblitus, lib. 2. cap. 17. § 3. coronam à Lothario postremo stirpis Carolinæ, primò usurpatam tradit. Ubi etiam Hugonem *manum* quam *justitiæ* vocant, Rotbertum florem lilii dextrâ primos sumpsisse affirmat.

dimi-

dimidiato corpore (nisi quod Otto III. integer & stans interdum exhibeatur) in sigillis suis sistuntur. Porrò pomum imperiale (quod vocant) seu globum sinistrâ tenendi morem primus induxit Otto I. (e); quem imitati deinde sunt Franciæ, Angliæ, Scotiæ, aliique per Europam Reges.

Quartò, Haud indignum notatu est, quòd, etsi omnes deinceps, ab Edgaro ad Jacobum VI. Scotorum Reges, in antica sigillorum suorum parte, in throno quem *majestatis* vocant sedentes repræsententur; non tamen semper iisdem insignibus, aut eodem more positis usi sunt. Alexander enim I. sceptri, quod in dextra Edgarus gerebat, loco gladium substituit, sinistrâ autem pomum vel globum cruce insignitum præfert: quâ formâ ipsius proximi successores David I. Milcolumbus IV. Gulielmus, & Alexander II. exhibentur. At Alexander III. & Joannes Balliolus sceptrum dextrâ rursus prehendere, sinistram autem, hic sinui quasi inserere, ille pendentis à collo torquis gemmam eâ contrectare videtur. Robertus verò Brussius dextrâ quidem sceptrum, at sinistrâ globum tenens conspicitur. David ejus filius, ut & Robertus II. & III. item omnes Jacobi, præter VI. & VII. dextrâ sceptrum gerentes, sinistrâ ad pectus appositâ visuntur. Eduardus Balliolus dextrâ sceptrum tenentis, sinistram globo imponentis speciem præ se fert. Reginam denique Mariam, innuptam quidem sceptrum gerentem, sinistram pectori applicantem, nuptam verò & viduam utrâque manu sceptrum, sed diversi generis, tenentem, sigilla sua sistunt. Omnes autem prædicti Reges in postica parte, sive contrasigillo, equestri habitu, sed variâ subinde (ut pòst dicetur) formâ repræsentantur. Postremò equestrem eam speciem Jacobus VI. ejusque posteri Magnæ Britanniæ Reges in hodiernum usque diem, in anticam sigilli partem, contrasigillo regnorum insignibus exprimendis reservato, transtulerunt. De variis Regum Scotorum in sigillis insignibus.

Quintò, Observare convenit omnes post Duncanum II. Scotorum Reges coronam in capite gestantes in sigillis exhiberi, præter Gulielmum & Alexandrum II. Hic enim capite nudo, ille pileo vel cappâ tectò conspicitur. Ea autem, quæ reliquorum capitibus imposita corona cernitur, in tres ferè apices sive radios assurgit, quorum medius lilii integri, dexter verò & sinister ejus dimidiati speciem præbent. Omnibus porrò corona est aperta ad Mariam usque, quæ prima coronâ clausâ caput redimita in sigillis conspicitur. In nummis quidem Jacobus II. ut postea notabimus, coronâ, quam epanoclistam, sive supernè *clausam*, vocant, caput cinctus exhibetur; licet ejus successores Jacobus III. & IV. nonnunquam etiam & V. coronâ apertâ in suis nummis, in sigillis semper, utantur. Apud Gallos autem primus coronæ clausæ morem Ludovicus XII. apud Anglos Eduardus IV. invexit (f); apud Imperatores Germanos ejus usus, licet interdum intermissus, multò antiquior est. De coronâ quâ Scotorum Reges redimiti in sigillis conspiciuntur.

Sextò, Throni, quibus Reges nostri insidentes in sigillis repræsentantur, primùm ut mole minores, nihilque à vulgaribus sellis distantes, ita rudes & inornati sunt; quales tamen apud vicinarum gentium Reges per ea tempora visuntur (g). Postea verò grandiores ac magis magisque splendidi fieri cœperunt, ita ut finitimos non modò ornamentorum & figurarum varietate, sed & opificii elegantiâ ac pulchritudine, si non superare, æquare saltem videantur. Neque, ad indumenta Regia, pallium sciz. togam, camisiam, cæterumque amictum, quod attinet, in quibus vicinorum quoque exemplum sunt æmulati, nostri minus conspicui apparent. Ea autem, cùm oculorum adspectu faciliùs quàm descriptione ullâ cognoscantur, hîc prætereo. De Scotorum Regum thronis & indumentis.

Septimò, Ut ad figuras contrasigillis inscriptas progrediar, primò observandum venit, omnes nostros Reges ab Alexandro I. ad Jacobum usque VI. sublimes in equis vectos armisque militaribus decoros in iis exhiberi. Prio- De figuris à Regibus Scotis contrasigillis inscriptis.

(e) Vide chronicon Gotwicense, tom. I. p. 164. (f) Vide Jo. Evelynum, de nummis majoris moduli, sive medallis, p. 34. (g) Vide sigilla Henrici II. Imp. apud chron. Gotwic. p. 227. Regum Francorum apud Mabillonium, tabb. 39. & seqq. Anglorum apud Sandfordium in genealogica eorum Regum historia, sub initio; Arnulfi Comitis Flandriæ apud Vredium, p. 2.

res autem, Alexander quem diximus I. David I. Milcolumbus IV. & Gulielmus, lanceam ſive haſtam vexillo ornatam, reliqui gladium diſtrictum dextrâ vibrantes; omnes verò ſcutum ſiniſtrâ tenentes conſpiciuntur. Univerſi porrò cataphractos, id eſt, loricâ corpus, galeâ caput munitos ſe ſiſtunt, præter unum Gulielmum, niſi is fortè camiſiam vel tunicam loricæ ſuperinductam habeat: id quod in Alexandri II. aliorumque quorundam Regum armatura videre eſt. Harum autem loricarum varias, pro veterum more, in noſtrorum ſigillis formas licet obſervare. Alexander enim I. David I. Milcolumbus IV. loricam præferunt ex lamellis ſive ſquamis ferreis, aliis alias piſcium inſtar ex parte tegentibus contextam. Alii, ut Alexander II. & III. item Robertus Bruſſius & uterque Balliolus, &, niſi fallor, David II. loricâ ex ejuſdem metalli anellis vel craticulis inter ſe catenatim conſertis confectâ induuntur. Aliis denique, ut Duncano II. Roberto II. & III. &c. ex variis partibus, ad brachia, pectus, tergum, femina, tegenda accommodatis armatura conſtat. Quibuſdam, ut Eduardo Balliolo, crura etiam ferreis iſtis quos dixi anellis munita repræſentantur. Alii autem cruribus pedibuſque, nonnulli & majore feminum parte, vel nudos, vel ocreis aliâve quâ re intectos ſe exhibent. Plerique cum calcaribus, quidam & ſine iis viſuntur.

De equorum in ſigillis ornamentis.

Octavò, Ad equorum phaleras cæteraque ornamenta ſigillis inſcripta tranſeo. In his autem miram deprehendere eſt vetere ævo modeſtiam & ſimplicitatem, recentiore verò pompam & magnificentiam. In antiquiſſimis enim, veluti primorum Comitum Flandriæ, *interdum* (ut ab Oliv. Vredio (*h*) notatum) *nec equorum frena conſpiciuntur, nec ephippia, nec ſubices illi pedanei, qui Romanis ignoti fuerunt, ut nec nomen quidem habuerint, novo nunc vocabulo* (*i*) STAPEDES *dicti. Nempe* (addit ille) *antiquitùs generoſum ducebant equo inſilire, eumque regere jubis apprehenſis.* Per ea autem tempora ſimplicia admodum ephippia erant, nihilque à pulvinari differebant, niſi quod plura nonnunquam ex utraque parte lora, vel faſciæ bullatæ (quod & hodie moris eſt) per equi latera defluebant ornatûs elegantiæque cauſsâ. Ephippia porrò (ut obſervat Heineccius) *non eo quo nunc ritu equo*, cingulâ ſub ventrem ductâ, *adſtringebantur, ſed loro per pectus equi tranſeunte ſeu antilenâ alligabantur, ut decidere non poſſent. Atque illud lorum pectorale, tanquam præcipuum equi ornamentum, multis phaleris, tintinnabulis globuliſque exornabant.* Poſtilena poſtea addita, quæ olim ab ephippio per clunes equi tranſibat, qualem hodie in equis quos currui jungimus, non item in iis quibus vehimur, adhibemus. Ea autem in ſigillo Duncani noſtri II. viſendam ſe præbet, quam tamen mirum eſt à ſequentium Regum ad Alexandrum uſque III. abeſſe, neque in ſigillis Regum Anglorum ante Henricum III. aut Comitum Flandriæ ante Balduinum, poſtea Imp. CPolitanum, unquam conſpici. Ab eo demum tempore ſummum in equis veſtiendis ſplendorem Reges aliique viri principes oſtentabant, ſiquidem non poſteriora tantùm, ſed etiam anteriora equi ſtragulis & dorſualibus pulcherrimè pictis & variegatis ita cooperuerunt, ut nihil præter equi cervices, interdum ſolum caput aut aures, emineret. Præter exteriora hæc equorum velamenta, quæ ad pompam tantummodo erant comparata, ut ſeſſores, ita haud rarò equos ipſos (eos præcipuè quos *majores* & *dextrarios* appellabant) loricâ etiam, ex iis quos diximus annulis ferreis contextâ, & linteo aſſutâ, adverſus telorum in præliis ictus, per totum ferè corpus cooperiebant. Horum autem omnium ſimulacra in ſigillis quoque ſuis inſculpenda curârunt.

De inſignibus gentilitiis in ſigillis cælari ſolitis, & quando ea primùm uſurpari cœpta.

Nonò, Inter equorum ornamenta in ſigillis cælari ſolita præcipuum locum tenent inſignia gentilitia. Primus autem noſtrorum Regum ea adhibuit Gulielmus (*k*), aut ejus filius Alexander II. Superiores quidem Reges in ſigil-
lis

(*h*) Sigill. Com. Flandr. p. 9. (*i*) Hos tamen *Stapedes*, non adeò recentes & novitios ac Vredius aliique quidam exiſtimavere, oſtendit Hier. Magius, Miſcell. lib. 2. cap. 14. & Salmaſius ad Spartianum, p. m. 718. Meminit eorum & D. Hieronymus, qui *ſtapias* & *biſtapias* eos appellat. (*k*) In ſigillo averſo Alexandri II. inſcripta videmus tab. 30. non ſolùm in clypeo, ſed etiam in poſteriore ephippii parte, arma

lis clypeos lævâ gerentes repræſentantur, ſed eos ferè nudos, nullo certè ſymbolo aut emblemate ipſos ab aliarum gentium Regibus diſtinguente notatos. Ex quo certiſſimo argumento evincitur inſignium iſtiuſmodi apud nos uſum multò quàm vulgò exiſtimatur recentiorem eſſe. Neque nos morari hîc debet auctoritas Jo. Fordoni *(l)*, Hect. Boëthii *(m)*, aliorumque noſtrorum ſcriptorum, qui Fergufio primo Scotorum Regi leonem rubrum in ſcuto ſive campo aureo, pro regni inſignibus adſcribunt: quibuſque poſteà Regem Achaium, ob memoriam fœderis inter eum & Carolum M. initi, duplicem peribolum liliatum circumſcripſiſſe, eundemque morem ab omnibus deinceps Scotorum Regibus ad ſua uſque tempora conſtanter obſervatum iidem tradunt. In hac nimirum re eâdem licentiâ uſi ſunt noſtri, quâ viciniarum nationum, Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ, aliarumque ſcriptores, qui, quò ſuorum quiſque populorum primordia vetuſtiora & auguſtiora redderent, Regibus ſuis inſignia affingunt multis antè ſeculis quàm eorum uſus, qualis jamdudum ex rei heraldicæ diſciplina conſtitutus eſt, toto terrarum orbe eſſet cognitus *(n)*. Inſignia quidem, latiore ejus vocabuli ſignificatu, id eſt, pro animalium aliarumve rerum figuris in vexillis aut clypeis depictis accepta, vetuſtiſſima eſſe ac regnorum initiis ferè coæva extra controverſiam poſitum eſt. At ea ab iſtis, de quibus nunc loquimur, longè diverſi generis erant, & ad finem diverſum deſtinata. Hæc enim certa ac fixa, illa vaga ac pro utentium arbitrio mutabilia erant: his in pace, ad familias diſtinguendas; illis in bello, ad amicos ab hoſtibus, parteſque exercituum alias ab aliis internoſcendas præcipuus eſt uſus. Ex vetuſtiorum autem illorum inſignium ſimilitudine, poſteriora hæc, quæ vulgò Arma, Galli Armoria ſignanter appellant, ortum traxiſſe dubium non eſt. Alii à Chriſtianorum in terram ſanctam expeditionibus, quas vulgò Cruce signationes nominabant; alii ab Haſtiludiis quæ barbaro vocabulo Torneamenta dicuntur, eorum initia arceſſunt. Priorem ſententiam tuentur Hen. Spelmannus *(o)*, Gul. Camdenus *(p)*, Jo. Seldenus *(q)*, Jo. Schefferus *(r)*, & multi alii. Ad poſteriorem magis inclinat Claud. Meneſtrerius *(ſ)* ſcriptor Gallus, in re antiquaria, præſertim heraldica, eruditiſſimus. Utcunque verò hæc ſe res habeat, id apud omnes ferè cordatos de hac re ſcriptores in confeſſo eſt, inſignia hæcce gentilitia, fixa & hereditaria, qualia apud omnes Europæ gentes nunc in uſu ſunt, non niſi undecimo ſeculo originem cepiſſe. Rem verò ipſam extra controverſiam ponunt antiquiſſima Principum nobiliumque virorum marmora ſepulchralia, ſigilla, nummi, ædificia, in quibus nulla ejuſmodi inſignia ante illud ſeculum inſcripta reperiuntur. Et ut exemplis res apertior evadat, apud Gallos in ſigillis ſuis lilio, ſed unico, primus uſus eſt Ludovicus VII. Junior cognominatus, qui regnare cœpit anno MCXXXVI. quem ritum ejus filius Philippus Auguſtus & pronepos Ludovicus IX. ſecuti ſunt. At Ludovicus VIII. Philippi Auguſti filius, licet unicum interdum in contraſigillis ſuis lilium adhibeat, ſæpiùs tamen plura, numero haud definito, inſcripta gerit; qui mos per omnes ejus ſucceſſores (Ludovico IX. excepto) ad Carolum VI. qui primus eorum numerum ad tria redegit, eſt continua-

arma Scotiæ gentilitia, qualia in hunc uſque diem exhiberi ſolent. Et quamvis in eo Gulielmi ejus patris (quod in hoc volumine tab. 26. conſpicitur) ſigillo clypeus planè nudus, ut in aliis priorum Regum, appareat; Alexander tamen Nisbetus, ob ſcripta heraldica in lucem edita celeberrimus, vidiſſe ſe teſtatur [apud D. Rob. Sibbaldum in reſponſione ad Rymeri epiſtolam ſecundam, p. 110.] diploma R. Gulielmi Philippo de Setoun datum, cui ſigillum ex cera alba erat appenſum, cujus parte poſticâ in ſcuto inſcriptus erat leo erectus gemino liliorum ordine circumſeptus. De tali ſigillo non eſt quòd ambigatur, cùm illud in chartophylacio illuſt. Comitis de Wintoun adhuc aſſervari tradat idem Nisbetus. Veriſimile autem videtur Gulielmum noſtrum Ricardi I. Angli (quocum conjunctiſſimè vixit) exemplum imitatum, confracto priore, hoc ſecundum ſigillum, adſcitis tum primùm hiſce inſignibus, conficiendum curâſſe.

(l) Scotichron. lib. 2. cap. 12. edit. Hearn. *(m)* Lib. 1. fol. 7. *(n)* Vide Spelmanni Aſpilogiam, p. 36. 43. 44. *(o)* Aſpilog. p. 35. *(p)* In Reliquiis, tit. Armories, p. m. 180. *(q)* In titt. Honoris, part. 2. cap. 8. *(r)* De antiq. regni Suecici inſignibus, cap. 3. p. 24. *(ſ)* De l'origine des Armoiries, cap. 4.

tùs *(t)*. Apud Anglos primus in sigillo suo leonem depictum habet Ricardus ejus nominis primus *(u)*, Gulielmo nostro tempore æqualis. Idem postea ex terra sancta domum reversus novum sigillum, cui tres leones insculpti erant, substituit. Sed neque hoc insigne apud Anglos tum fixum ac proprium fuisse videtur. Matthæus enim Parisiensis *(x)*, eorum temporum scriptor æqualis; *tres*, non leones, sed *leopardos transeuntes* ejus Ricardi fratris filio Henrico III. ab Imperatore Friderico II. *in signum regalis clypei missos* scribit circa annum MCCXXXIV. Idemque fortè existimandum de sigillo Roberti Frisonis Comitis Flandriæ anno MLXXII. in quo leonem erectum inscriptum exhibet Oliv. Vredius *(y)*, quod insigne ex ingenio arreptum, non hereditarium fuisse, exinde colligere est, quòd illud à proximis quinque ejus successoribus omissum primus resumpserit Philippus Elsatius, circa annum MCLXIII. *(z)*. Quod ad Suecorum Reges attinet, Magnum Ladulam primum esse, cujus sigillis regni insignia, i. e. tres coronas inscriptas viderit, uni anno MCCLXXV. alteri MCCLXXVIII. testatur Schefferus *(a)*. Ea ipsa insignia Daniæ Reges (unde gravibus inter eos & Suciæ Reges bellis & contentionibus materia est data) sibi assumpserunt, sed (ut monstrâsse idem Schefferus *(b)* videtur) non ante annum MDXLVIII. Denique ex occidentalibus Imperatoribus, primus (Heineccio *(c)* teste) sigilla sua aquilâ exornavit Ludovicus Bavarus circa annum MCCCXIV. Sigismundus autem ex duabus aquilis (quæ antea ad utrumque throni latus erant collocatæ) unam conflavit, ac bicipitem fecit. Insignium autem qualia suprà descripsimus nummis imprimendi consuetudo, non nisi multò recentiùs, id est, decimo quarto aut decimo quinto seculo (ut postea, cùm de ea re agetur, ostendemus) invaluit *(d)*. Quâ etiam ætate symbola è floribus desumpta, ut rosa ab Angliæ, carduus à Scotiæ Regibus, usurpari cœpta.

Ex insignibus Scoticis antiquitas fœderis Gallò-Scotici confirmatur.

Cæterum, priùs quàm hanc de sigillis materiam dimittam, silentio haud prætereundum duxi validissimum (ut mihi quidem videtur) argumentum, quod nobis ad fœderis, cujus sæpiùs meminimus, Gallò-Scotici antiquitatem confirmandam suppeditat præfatum Alexandri nostri II. (&, si Nisbeto fides habenda, ejus patris Gulielmi) sigillum. Quò enim aliò pertinere posse existimandus est duplex ille, quem ei tum in scuto, tum in ephippio inscriptum cernimus, ordo sive tractus liliorum leoni circumdatus, nisi ut gemino hoc symbolo, hoc à Gallis pridem, illo à Scotis tum primùm pro regali insigni recepto, veteris illius ac tum vigentis inter utramque gentem amicitiæ memoria, quàm publicè fieri posset, posteritati consignaretur.

Atque hæc sunt quæ de sigillis, nostratium in primis, dicenda habuimus. Si quæ alia sint in iis magis particulatim notatu digna, ea in singulorum diplomatum & sigillorum Indice, quatenus necessarium videbitur, attingemus.

(t) Vide Mabillon. R. D. lib. 2. cap. 16. § 10. & lib. 5. p. 430. & Spelmannum in Aspilogia, p. 37. *(u)* Spelmannus, lib. cit. p. 45. Nicolsonus, biblioth. Angl. histor. p. 178. duos leones Ricardi I. sigillo inscriptos scribit: idque priùs de priore ejus sigillo affirmaverat Spedius hist. Angl. p. 479. At ego unicum tantùm, tum apud Spedium, tum apud Sandfordium, geneal. RR. Angl. p. 55. Ricardi clypeo inscriptum reperio: alterum igitur illum aut nullum, aut curvaturâ clypei oculis nostris subductum fateri necesse est. Quòd autem reverendissimus Nicolsonus, Joannem Ricardi fratrem primum tres leones in clypeo suo gestasse scribat, animi falsus videtur: prædicti enim Spedius & Sandfordius locc. citt. tres leones secundo illi Ricardi sigillo inscriptos palam præferunt. *(x)* Hist. Angl. edit. Londin. 1684. p. 351. *(y)* Sigill. Com. Flandr. p. 6. *(z)* Vide eund. p. 19. *(a)* De antiquis regni Sueciæ insignibus, cap. 2. p. 128. *(b)* Cap. 15. p. 191. *(c)* De sigill. Germ. p. 113. *(d)* Excipiendi tamen nummi Suecici, in quibus antiquissimis temporibus expressæ cernuntur tres coronæ ejus regni insignia; unum ejusmodi memorat Schefferus, p. 125. Amundi vel I. vel II. circa annum 1018 aut 1034. alterum Ragualdi circa annum 1129. At his longè vetustior est nummus, quem tribus coronis exornatum delineavit, & Olao Tretelliæ, qui circa annum DCCC. regnavit, ascribit Elias Brennerus in suo nummorum Sueo-Gothicorum thesauro, tab. I. At cùm eum nummum ex eorum genere, qui bracteati dicuntur, i. e. qui ex lamina tenui & ab uno tantum latere signatâ constat, ipse Brennerus agnoscat; nulloque alio indicio præterquam literâ V, pro Ulf vel Ulaf, quod pro Olao veteres pronunciabant, in medio inscriptâ Regis illius nummum existimet; dabit mihi veniam vir doctissimus, si de tanta ejus nummi antiquitate nonnihil subdubitem.

XLVIII. AD

XLVIII. AD postremam jam ventum est operis Andersoniani partem, in qua quotquot reperire potuit, ob varietatem saltem notabilia, gentis Scoticæ numismata æri eleganter incidi, oculisque quasi visenda exponi vir ingeniosissimus constituit: quibus demùm, ob materiæ cognationem, nonnulla nostrorum Regum symbola heroica, ære itidem expressa, coronidis loco, placitum est subnectere. Et hæc quidem posteriora, cùm ad documenta quædam moralia pulchris quibusdam & argutis emblematibus animo insinuanda præcipuè sint destinata; nudam eorum recensionem in fine exhibendo re defungemur. At priora illa, cùm haud exiguum ad historiam illustrandam variosque gentium mores & ritus cognoscendos momentum adferant, uberiorem paullò à nobis explicationem merentur. *Est* enim (ut Marq. Freheri (e) verbis utar) *utilissimum humanæ societatis instrumentum, deque insigni principatûs non infimum, moneta: nam & ab omni ævo ad Principes ea nominis vultûsque vulgandi ratio propria pertinuit; & administrationem rei propemodum sanctæ præ aliis in republica cordi habuerunt.* Celebre in primis nunquamque satis laudandum fuit hac in re veteris populi Romani institutum, qui in nummis suis signandis, non ad publicam solùm in commerciis exercendis commoditatem respexerint, sed & eorundem nummorum ope nominis sui rerumque à se gestarum memoriam variis figuris imaginibusque inscriptis conservare voluerint. At quamvis ab eo tempore primarius ille, secundario hoc neglecto, in nummis cudendis ferè solus jam usus retineatur; multa tamen sunt, quæ ex istis etiam sequioris ævi numismatibus, & in se cognitu utilia, & haud parum ad historiam lucis conducentia peritus illorum inspector deprehendat. Anxiam autem & pluribus deductam super re numismatica variaque ejus præstantia & usu disquisitionem haud est quod quisquam hîc à nobis exspectet. Præterquam enim quòd hoc argumentum à tot illustribus omnique eruditionis genere præcellentibus viris jamdudum sit occupatum, prohibet insuper tum ingenii nostri in talibus minus versati tenuitas, tum tui, Lector benevole, reverentia, quem metus est ne nimiâ hactenus in superioribus prolixitate offenderimus. Nobis igitur impræsentiarum satis erit, quæ de re Scotorum nummaria (quam unam hîc tractandam suscipimus) maximè memoratu digna occurrerunt, paucis & generatim exponere.

De nummis Scoticis.

XLIX. Primum itaque quod in nummis Scoticis considerandum venit, est ipsorum origo & vetustas. Et hîc quidem fatendum est, nummorum apud nos usum seriùs multò quàm apud finitimas Saxonum, Francorum, Germanorum aliorumque gentes receptum videri. Id inter alia penè persuadet, quòd cùm qui de horum populorum nummis scripsere, multos ostendant ab eorum Regibus, antiquissimis temporibus, i. e. seculo post Christum natum septimo, sexto, quosdam fortè & quinto percussos; nulli tamen apud nos ante Alexandrum I. qui regnare cœpit anno MCVII. cusi reperiantur. Fieri quidem potest, ut nummi à prioribus nostris Regibus signati, aut usu consumpti aut rubigine exesi interierint, aut terrâ obruti visum hactenus effugerint. At eos paucissimos, neque Alexandri illius I. ætate multò antiquiores esse, hinc propemodum apparet, quòd cùm plurimi Romani, nonnulli etiam admodum vetusti aliarum gentium nummi variis subinde locis casu fortuito eruantur, in nullos tamen nummos Scoticos iis quos diximus vetustiores sors ista & occasio impegerit. Prisco nimirum illo & rudiore ævo boreales crediderim hujus insulæ populos, in extremis quasi terrarum finibus, proculque ab eo quem Romani secum arma luxum invexerant positos, & in summa propterea in rebus omnibus (primorum mortalium ritu) continentia vitam agentes, pecuniæ (quæ omnium ferè oculos suo fulgore jam perstringit) usum vel penitus ignorâsse, vel parvo pretio habuisse. Postmodò verò,

Quàm antiquus fuerit eorum usus.

(e) De re monetar. vet. Roman. & hodierni apud German. imperii, in præfat.

cùm à vicinis, ſive Britannis, ſive Saxonibus, aut fortè etiam Romanis, ex mutuis hinc inde commerciis (quæ antea rerum ipſarum commutatione peragebantur) nummorum utilitatem eſſent edocti, haud alienum eſt exiſtimare eos paullatim in finitimorum hunc morem, pecuniæ uſu introducto, conceſſiſſe. Cùm autem, etiam apud gentes opulentiores, rara iis temporibus pecunia, raraque, præquàm nunc fit, rerum peregrinarum mercatura exerceretur; hinc factum arbitror, ut multæ in ſolo minùs ubere degentes nationes, & in his Scotica noſtra, cùm nullos adhuc ſuos, ſive ob artificum, ſive, quod potiùs reor, ob argenti (cujus ferè ſolius in re pecuniaria tum & diu poſtea uſus erat) inopiam, cuſos haberent; nummis aliunde advectis, in emptionibus venditionibuſque per aliquot, ut credibile eſt, ſecula; contentæ fuerint. Hanc rem, præter ea quæ ſuperiùs diximus, haud leviter confirmat, quòd in pecuniæ cumulis variis Scotiæ locis caſu effoſſis, longè plures Anglici quàm Scotici nummi reperiantur; certiſſimo argumento multò majorem pecuniæ apud Anglos quàm domi ſignatæ copiam in Scotia iis temporibus curſum habuiſſe.

Hiſtoricorum noſtrorum hac in re hallucinationes.

L. Non ſum neſcius haud paullò diverſam eſſe Hiſtoricorum noſtrorum de hac re ſententiam. Hector enim Boëthius *(f)*, quanquam Regis Reuthæ temporibus *nullam fuiſſe* apud Scotos *pecuniam ſignatam* affirmet, & diu poſtea ſub Caractaco Silurum duce (quem ille inter Scotorum Reges, ſed præter rationem, ut mea fert opinio, collocat) Brigantium, quos & Scotorum tribubus annumerat, omnes *divitias in re pecuaria ſitas* idem tradat *(g)*; de Donaldo tamen ejus nominis primo agens *(h)*, qui circa annum Chriſti nati CXCIX. regnum iniit, eum ait *nummum argenteum aureumque ſignâſſe, unâ parte ſalutiferæ crucis, alterâ ſuâ ipſius effigie expreſſâ, quò ſuſceptæ à ſe primùm inter Scotos Reges Chriſtianæ pietatis memoriam ad poſteros propagaret.* Addit verò *(i)*, *noſtrates antea aut nullâ pecuniâ ſignatâ, ſed ejus loco mercibus commutationis causâ, aut Romanâ aut Britannicâ in commerciis uſos fuiſſe.* Idem ferè habet Jo. Leſlæus *(k)*: at Buchananus *(l)*, gnarus hanc rem nullâ idoneâ auctoritate ſubnixam (quanquam Boëthius *in noſtris annalibus id proditum* affirmet) eam, uti par erat, ſilentio prætervehitur, neque de ulla pecunia à priſcis noſtris Regibus ſignata uſpiam loquitur. De Donaldo quidem V. ſcribens, *Sunt*, inquit, *qui putent monetam argenteam, quam adhuc Sterlinam vocat vulgus, ibi* (i. e. in oppido Sterlini) *tum excuſam.* At eam monetam non à Donaldo Scoto (quod exiſtimavit reverendiſſimus *(m)* Nicolſonus) ſed ab Anglo-Saxonibus, qui eam Scotiæ partem in ſuam ditionem tum redegerant, excuſam innuit Buchananus; id quod Boëthius *(n)* & Leſlæus *(o)* diſertè tradunt. Ego rem totam, nullâ aliâ ratione præterquam nominis ſimilitudine ſuffultam, pro fabula habendam cenſeo: eoque magis quòd hanc pecuniæ Sterlingorum appellationem, non niſi aliquot poſt Gulielmi Conquæſtoris deceſſum annos, apud ipſos Anglos invectam fuiſſe oſtendat cl. Gul. Lowndeſius *(p)*.

Scoti in nummis cudendis Anglorum conſuetudinem ſecuti ſunt.

LI. Sed, ut, his miſſis, ad ea quæ magis ſpeciatim de re Scotorum nummaria ſunt dicenda progrediamur, illud nobis primum & pro fundamento quaſi habendum, Reges noſtros in nummis cudendis, aliarum gentium, præ-

(f) Lib. 2. fol. 20. a. Reverendiſſimus Carleolenſium Epiſcopus in biblioth. Scotorum hiſtorica, p. 288. pro hac re teſtimonium adfert ex catalogo Regum Scotorum Hect. Boëthii hiſtoriæ præmiſſo depromptum. At eum catalogum dubitat, vel potiùs apertè negat à Boëthio ipſo ſcriptum eſſe, ex eo quòd in duobus Reginæ Mariæ conjugibus finiatur. At nihili hæc ratio eſt; quæ enim de Maria ejuſque conjugibus illic habentur, à neſcio quo, in ſecunda ea Boëthii editione, quam ille ſolam conſpexiſſe videtur, ſunt addita. Id autem extra dubium ponit prima ejus operis (quod Boëthio adhuc vivo prodierat) editio, in qua is Regum noſtrorum catalogus ad Jacobum V. iiſdem verbis expreſſus exſtat. Cæterùm, quæ de Reutha hîc dicuntur in ipſa Boëthii hiſtoria loc. cit. videre eſt. Quod autem de nummis ex corio bubulo ab hoc Rege excuſis tradit Leſlæus, fabulis annumerandum. *(g)* Lib. 3. fol. 46. a. *(h)* Lib. 5. fol. 86. b. *(i)* Ibid. *(k)* Lib. 3. p. edit. Rom. 114. *(l)* Lib. 6. edit. Fribarnianæ p. 93. *(m)* Bibl. Scot. hiſtor. p. in marg. 289. *(n)* Lib. 10. fol. 204. b. *(o)* Lib. 4. p. 183. *(p)* In ſua relatione ſive tentamine de emendandis argenteis Anglorum nummis, p. 16.

cipuè

cipuè finitimorum Anglorum, consuetudinem jam inde ab initio fuisse secutos. Id autem ex sequentibus, factâ utriusque populi nummorum inter se collatione, patebit.

Ac *primò*, Eadem erat apud utramque gentem, Anglicam dico & Scoticam, nummos computandi ratio.

Secundò, Eadem apud utramque per plurima secula ad nummos fabricandos metallorum puritas adhibebatur.

Tertiò, Per aliquot secula, in ejusdem nominis sive speciei nummis, non solùm eadem utrinque materiæ quantitas sive pondus, sed & eadem figura & crassities servabatur.

Quartò denique, Eodem ferè artificio nummi apud utrosque percutiebantur. De his autem singulis, quò omnia apertiora fiant, paullò distinctiùs est agendum. Et,

Quâ ratione in nummis computandis nostri sint usi.

LII. 1. Quod ad nummorum computationem attinet, nostri, ut & Franci & Angli, jam inde ab antiquissimis temporibus, omnes pecuniarum summas ad tres *denominationes* (quas vocamus) retulerunt, libras, solidos & denarios. Quamvis autem hæ in pecunia numeranda appellationes eandem ferè semper *(q)* inter se relationem sive proportionem retinerent, id est, 12 denarii solidum, 20 solidi libram, ut nunc, constituerent; longè tamen diversa in his erat diversis temporibus metalli tum puritas, tum etiam ac præcipuè quantitas sive pondus. Antiquiore enim ævo apud Anglos, & proinde (ut postea ostendemus) apud Scotos, non solùm argentum purissimum, i. e. nullo ferè vel pauxillo admodum ære admisto, in nummis adhibebatur; sed & hæ eorum appellationes vero nummorum ponderi (unde & originem traxerunt) generatim respondebant. Etsi enim non eâdem ratione in nummis atque in aliis rebus numerandis nunc Angli utantur, illis quippe libra in 12 uncias, uncia autem in 20 denariata, vulgò **Penny-weight** *(r)*, dispescitur,) eadem tamen apud eos libræ numerali ac ponderali tum inerat metalli quantitas, vetusque ille denarius, sive penningus, non solùm nummi appellatio, sed etiam veri ponderis nomen fuit, i. e. vigesimam unciæ & ducentesimam quadragesimam libræ ponderalis partem efficiebat. Unde & in hunc usque diem id pondus denariatum, sive **Penny-weight**, nuncupatur. Procedente autem tempore, partim Principum ipsorum egestate aut etiam aviditate, partim monetariorum & falsariorum fraude, magna in re pecuniaria apud plerasque Europæ gentes facta mutatio est. Libræ enim nummariæ, quæ initio libram ponderalem gravitate æquabat, paullatim (antiquo licet nomine retento) pondus imminui, & puritas alieni & vilioris metalli admistione corrumpi & adulterari cœpit.

De duplice monetæ valore, intrinseco & extrinseco.

Quàm malè sibi suisque Principes his artibus consuluerint, cùm tot ea de re sapientium virorum querimoniæ exstent *(s)*, non est hujus loci disserere.

(q) Franciscus Blancius, in suo de nummis Francicis commentario historico, p. 94. 95. & 96. ostendit Caroli M. ætate libram Gallicam viginti solidos, solidum verò duodecim denarios in se continuisse, eoque tempore libram computatitiam & ponderalem eandem fuisse. Sub Anglo-Saxonibus Regibus, eadem in libra computatitia, quæ in ponderali erat metalli quantitas: at non eodem quo Franci modo ejus partes numerabant; cl. enim Hickesius, in dissert. epistolari, p. 3. libram Saxonicam 60 solidos ait complexam. At rectiùs, me judice, accuratissimus Gul. Fletwodus Episcopus Eliensis, in suo de moneta Anglica, cui *Chronico pretioso* nomen fecit, libello, cap. 3. p. 27. & seqq. qui Camdenum, Spelmannum, & Lambardum secutus, libram Saxonicam ex 48 solidis, solidum verò ex 5 denariis docet constitisse; quo pacto, ut id obiter notem, denarius, ut nunc, ducentesimam quadragesimam efficiebat libræ partem. At Gulielmus Normannus, Francorum computandi ratione introductâ, libram in 20 solidos dispescuit: unusquisque autem solidus, interdum 16, communiter verò 20 denarios ex una uncia conflatos tum continebat; eo autem tempore 15 unciæ libræ inerant. Hæc cl. Fletwodus, p. 35. Quæ tamen cum iis quæ proxima pag. 36. habet, haud satis aptè convenire videntur; illic enim eandem fuisse scribit libram Anglo-Normannicam ac Gallicam, quam 12 uncias, singulas 20 denariis constantes, efficere, Dufresnii testimonio confirmat. *(r)* De pondere illo quod vulgò Tricassense, sive **Troy-weight**, appellatur, quo res pretiosiores mensurari solent, hic loquor: non verò de eo quod **Averdupois** nuncupatur, quod ad res crassas & pro mole viliores pendendas adhibetur. *(s)* Vide Bodinum de augmento & decremento auri & argenti, Carol. Molinæum de mutatione monetæ, quæst. 100. § 91. 92. 101. 105. &c. Klockium de ærario, lib. 2. cap. 84. Blancium, Prolegom. ad tractat. de moneta Francica, p. 19. & 20. & tractatu ipso, p. 185. Jo. Evelynum de nummis grandioribus, p. 227. & seqq. & multos alios.

Id solùm hîc observare convenit, ex hac monetæ mutatione & depravatione, natam deinde esse duplicem nummos æstimandi rationem, alteram ex intrinseco, alteram ex extrinseco ejus valore sive pretio desumptam. Est autem nummorum valor intrinsecus unus semper, & ubique sibi constans, communi omnium ferè populorum consensu stabilitus, quo sciz. eidem auri vel argenti quantitati, sive infectæ, sive signatæ, idem pretium constituitur. Monetæ verò extrinsecus valor est quem Reges & Principes ei pro arbitrio imponunt, & proinde non apud varias gentes solùm, sed & easdem variis temporibus varius & multiplex est. Porrò externus hicce monetæ valor in ipsius forma & indicatura consistit : internum verò materiæ bonitate & pondere metimur. Hoc alio nomine *legem* sive *ligam* vulgò appellamus. Est autem *Liga* metalli nota vel gradus propter viliorem materiam certâ proportione ei admixtam. In auri igitur argentive puritate distinguenda hanc rationem monetarii inierunt : quamlibet sciz. hujus illiusve metalli massam in certos gradus sive partes dispescunt, aurum in 24, quas caractas, argentum in 12, quos denarios nuncupant. Hoc pacto, aurum meracum & ad summum gradum excoctum 24 caractarum puritatem habere dicunt. Si, pro auro, vigesima quarta argenti vel æris pars admista sit, aurum 23 caractarum ; si duodecima, 22 ; si sexta, 20, atque ita deinceps, appellant. Simili modo argentum purissimum 12 denariorum nomine vocitant : si, argenti loco, duodena æris portio substituatur, 11 denariorum ; si sexta, 10 ; si quarta, 9, atque ita porrò, puritatem massæ inesse dicunt. Hi autem metalli gradus in partes minutiores variè à variis gentibus subdividi consueverunt. Germani enim caractam in 12, denarium in 24 grana partiuntur *(t)*. Galli in caractæ fractionibus, quibus usque ad 32 ascenditur, notandis, eas exprimunt per 2, 4, 8, 16, 32, duplicatis semper fractionibus præcedentibus, nec ullâ habitâ ratione minutiarum inter eas interjectarum, veluti 3, 5, 7 & sequentium *(u)* : denarium autem in 24 grana, eaque rursus in binas, quartas & octavas partes, subdividunt. At Angli caractam in 4 grana distribuunt : argenti autem probitatem metientes libram in 12 denarios, denarium in 20 denariata, vulgò **Penny-weight**, denariatum in 24 grana diffringunt. Scoti verò (quod mirum) rejectâ tum Anglorum, tum Gallorum consuetudine, Germanorum more caractam in 12, denarium in 24 grana, dispertiunt ; in granis autem dividendis rarò ultra medias vel quartas partes, minutioribus ferè neglectis, progrediuntur. In hoc tamen omnes consentiunt, ut ex majore minoreve alieni metalli auro argentoque certis hisce proportionibus admista quantitate de eorum vero atque intrinseco valore constituant.

Quid sit monetæ liga.

De pede monetæ.

Ex hac vilioris cum pretiosiore metallo commixtione ortum ac nomen traxit, quem *monetæ Pedem* vocamus. Est autem *Pes monetæ* meta à Principe in nummorum materia attemperanda præscripta, intra quam ex utraque parte (quoad ejus fieri potest) monetarii consistere tenentur : Galli *Pied de monnoye* nominant, qui & monetam, cujus materiæ major minorve vilioris intertrimenti copia admiscetur, *debilem* aut *fortem*, *monnoye foible ou fort* appellant : unde & moneta, cùm ad majorem puritatem revocatur, *refortiata* dicitur. Huc spectat & illud, quod monetarii *Remedium* vocant, quâ voce intelligitur defectus in certa auri argentive quantitate cudenda statutis regiis permissus. Cùm enim vix, ac ne vix quidem fieri posset, ut præstituti puritatis vel ponderis fines in nummis conficiendis exactè servarentur, idcirco magistris monetalibus aliquot grana à Principe indulgentur, quibus à præscripta lege impunè eis errare aut deficere licebat : unde & vulgari phrasi *grana veniæ*, vernaculè **Grains of Allowance**, utendi, ut mihi videtur, occasio præbita est. His in genere, majoris perspicuitatis gratiâ, præmissis,

Remedium in re monetaria quid.

(t) Vide Budelium de re nummaria, cap. 8. & 10. *(u)* Vide Savotium de nummis antiq. part. 2. cap. 6. & Blancium in calce præfat.

LIII. 2. Proximum eſt, ut ad monetæ Scoticæ *Ligam* quam diximus, ſive valorem intrinſecum, deveniamus. Eam autem initio admodum puram & optimæ notæ fuiſſe oſtendunt, præter rei ipſius experimenta, vicinorum Anglorum (quos noſtri in pleriſque imitati ſunt) nummi. Et quidem ex eorum monumentis, præcipuè verò ex pactis inter ipſorum Reges & magiſtros monetales ea de re initis (*x*) conſtat monetam Anglorum argenteam (auream autem apud illos Edwardus III. primus, ut poſtea oſtendetur, feriri juſſit) jam inde ab initio, certè ab Edwardi I. ætate, 11 unciarum 2 denariatorum, ſive **Penny-weight**, exſtitiſſe, h. e. in unaquaque libra 222 argenti puri denariatis, 18 æris denariata fuiſſe admiſta; ſive, quod eòdem redit, æris in pecunia ſignata quantitatem eam ad argentum inibi contentum, quam habent 3 ad 37, rationem habuiſſe. Atque hanc legem omnes deinceps Anglorum Reges tenuerunt ad Henricum uſque VIII. qui poſtquam immenſas ab avaro patre congeſtas, & ex occupatis cœnobitarum redditibus quæſitas, immani luxu opes abſumpſiſſet, ut inopi ſuo ac laboranti ærario ſubſidium inde quæreret, peſſimo conſilio pecuniæ apud ſuos, ſextante primùm, deinde ſemiſſe, ac demùm beſſe æris immiſto, primus ſtatum corrupit: at omnium maximè ejus filius Edwardus VI. qui, dodrantali æris intertrimento injecto, monetam ſuam deturpavit. Unde inter Reginæ Elizabethæ laudes haud poſtrema ea habetur, quòd monetam publicam ad priſtinæ puritatis normam revocaverit: quod prudentiſſimum conſilium qui ſequuti ſunt Britanniæ Reges conſtanter ſibi obſervandum duxerunt.

Idem olim nummorum Scoticorum ac Anglicorum in utraque gente valor.

Ut autem ad Scotos revertar, eos eâdem ut plurimùm puritate quâ Anglos nummos ſuos excudiſſe, non ſolùm ex regiis ea de re ſtatutis (de quibus poſtea) apparet; ſed ex eo præſertim, quòd nummorum Scoticorum idem eſſet apud Anglos & Scotos valor ad annum ferè MCCCLV. Ejus rei illuſtre documentum exſtat apud Rymerum, reſcriptum ſciz. Edwardi III. eo anno ad Vicecomitem Northumbriæ, SUPER NOVA MONETA SCOTIÆ DE PROCLAMATIONE FACIENDA, miſſum: quod cùm & alia ad hanc rem pertinentia complectatur, ideò integrum in margine ſubjungere viſum eſt (*y*). Paullò nimirùm ante hoc tempus, propter inopiam pecuniæ, quæ ex continuis inter utramque gentem bellis, & Davidis noſtri II. in Anglia captivitate, magnopere erat abſumpta, haud modica, uti videtur, in nummorum Scoticorum tum pondere tum puritate facta mutatio eſt; unde huic Edwardi III. edicto occaſio eſt data. Et quamvis haud multò pòſt, i. e. anno MCCCLXVI. ejuſdem Davidis noſtri II. lege præſcriptum eſſet, ut huic

(*x*) Vide Nicolſoni bibl. Anglor. hiſt. cap. 7. Anonymi ſcriptoris nummorum Anglicorum hiſtoricam narrationem anno 1726. editam, p. 26. & ſeqq. Fletwodi chronicon pretioſum, p. 52. 53. 54. præcipuè verò clariſſimi & accuratiſſimi viri Gul. Lowndes relationem ſive tentamen de nummis argenteis emendandis, ad theſaurarii regii Præfectos, anno 1695. perſcriptum & editum, à p. 19. ad 29. (*y*) " Rex " Vicecomiti Northumbriæ ſalutem. Licet antiqua moneta Scotiæ ejuſdem ponderis & allaiæ ſicut fuit " moneta noſtra ſterlingi Angliæ ante hæc tempora eſſe conſueverit, propter quod in regno noſtro Angliæ " habuit curſum ſuum: quia tamen quædam moneta dictæ antiquæ monetæ ſimilis & conformis, quæ in " pondere minor, & allaia debilior exiſtit, in dicto regno Scotiæ de novo eſt cuſſa, & in regno noſtro " ſuum capit curſum; quod, ſi diutiùs permittatur, in noſtri ac totius populi noſtri ejuſdem regni dam- " pnum & deceptionem, ac dictæ monetæ noſtræ deſtructionem, cedet manifeſtè; Nos, volentes hujuſ- " modi dampno & deſtructioni obviare, tibi præcipimus, quòd ſtatim viſis præſentibus, in civitatibus, " burgis, villis mercatoriis, portubus maris & aliis locis, in Baliva tua, ubi meliùs expedire videris, pu- " blicè proclamari, & ex parte noſtra firmiter inhiberi facias, ne quis ſub gravi forisfactura noſtra dictam " novam monetam Scotiæ, jam cuſſam, vel cudendam, in ſolutione, cùm oblata fuerit, ut curſualem re- " cipiat, aut recipere præſumat; ſet quòd ſtatim, cùm oblata fuerit, ut curſum cum moneta noſtra capiat, " in quorumcunque manibus moneta fuerit, areſtetur & nobis remaneat forisfacta. Volumus tamen, & in- " tentionis noſtræ exiſtit, quòd unicuique liceat hujuſmodi novam monetam ad noſtrum valorem ejuſdem " emere, ita quòd eam ad bullionem noſtram deferat, ibidem fundendam, & monetam de cuneo noſtro ad " valorem dictæ monetæ, ſic fuſæ, prout moris eſt, recipiendam, & quòd dicta antiqua moneta Scotiæ cur- " ſum ſuum habeat prout ante hæc tempora habere conſuevit. Et ſi quos, poſt proclamationem & inhibitio- " nem noſtras hujuſmodi, inveneris dictâ novâ monetâ Scotiæ, alio modo quàm ut prædicitur, utentes, tunc " eos cum eadem moneta capi & areſtari, & eorum corpora in priſona noſtra ſalvò cuſtodiri, & nobis de " tota moneta illa reſponderi facies; nos de nominibus ſic areſtatorum, ac de ſumma monetæ ejuſmodi, quàm " ſic areſtari feceris, de tempore in tempus, ſub ſigillo tuo, certifices diſtinctè & apertè. Teſte Rege, apud " Weſtmonaſterium, duodecimo die Martii. Per ipſum Regem." *Rymeri acta publica, tom. 5. p. 813.*

malo remedium adhiberetur, hoc eſt, *ut de materia jam allata in regnum moneta fabricaretur, quæ in pondere & metallo æquipolleret monetæ currenti in Anglia (z)*; proximo tamen anno MCCCLXVII. ingraveſcente, ut credibile eſt, ex penſionibus pro Davidis II. redemptione ſolutis, pecuniæ apud nos raritate, ſtatutum eſt, ut, ſervatâ quidem eâdem quâ apud Anglos monetæ puritate, *libra argenti minueretur in pondere decem denariis ponderis, ſic ſcilicet quod de libra ponderis jam fierent viginti novem ſolidi, & quatuor denarii numerales (a)*. Quam ob cauſſam apud Anglos ab eodem Edwardo III. anno ejus regni 47. i. e. MCCCLXXIII. lege ſancitum eſt, in hunc modum:

Poſtea, imminuto nummorum Scoticorum pondere, imminutus quoque eorum apud Anglos valor,

Pro eo quòd gentes Scotiæ, per ſubtilitatem ſuam, bonam monetam argenti extra regnum noſtrum Angliæ ſubtraxerunt, & in cunagium ſuum ad minorem valorem, quàm moneta Angliæ extitit, poſuerunt, & ſic currit in ſolutione in regno prædicto, ad grave dampnum & deceptionem noſtram, magnatum & totius communitatis ejuſdem regni; ordinatum exiſtat & concordatum, quòd moneta quatuor denariorum de Scotia ponatur & currat in valorem trium denariorum, & de minori moneta juxta quantitatem: & ſi fortè dicta moneta Scotiæ deteriorata fuerit, tunc moneta illa ſic deteriorata ponatur ad minus pretium juxta quantitatem detrimenti (b). Neque inanis erat hæc in fine ſtatuti adjecta Anglorum cautio. Non multò enim pòſt, aliquo certè tempore ante annum MCCCXCIII. major adhuc in re Scotorum pecuniaria facta ponderis, quædam fortè & puritatis, deminutio. Uncia enim, quæ *tempore Davidis* I. *viginti denarios, Roberti* autem *Bruſſii viginti & unum continebat, temporibus Roberti* III. *anno gratiæ* MCCCXCIII. *triginta duos denarios de ejuſdem Regis moneta continere* dicitur (c). Quamobrem 14. Richardi II. id eſt, anno MCCCXC. conſtitutum eſt, ut groſſus, ſemigroſſus, denarius & obolus Scoticus non ampliùs quàm dimidiatum eum valorem apud Anglos obtinerent (d).

ac demum prorſus prohibitus eorum in Anglia curſus.

Ac demùm, creſcente indies apud Scotos nummorum pretio, ſive, quod eòdem ferè redit, majore ſemper atque majore ponderis, fortè etiam & puritatis facto decremento, prohibitus prorſus in Anglia eſt eorum curſus, conſtitutumque ut nulla alia illorum quàm argenti infecti ratio deinceps haberetur (e).

Pro decreſcente Scoticorum pretio intrinſeco, auctus eſt in Scotia nummorum Anglicorum valor.

At monetæ Anglicæ in Scotia diſcurrenti contraria propemodum ſors obvenit. Etſi enim, quamdiu eadem puritas idemque pondus utriuſque gentis nummis conſtabat, idem quoque (uti par erat) iis apud utramque pretium permanſerit: at ſimul ac apud nos immutatus, magiſque ſaltem quàm apud Anglos (nam & ii, moderatioribus licet incrementis, pecuniæ ſuæ valorem ſubinde attollebant) auctus fuit externus nummorum valor; fieri non potuit, quin brevi majus illorum nummis, quàm noſtris ejuſdem ſpeciei, pretium imponeretur. Hinc factum, ut denarii, groſſi aliique Anglici nummi, qui ad annum ferè MCCCLV. eodem, ut diximus, pretio per utrumque regnum ambulabant, pro decreſcente intrinſeco noſtrorum præ illis valore, pluris paullatim apud nos æſtimari cœperint; ac primùm tres illorum denarii, deinde duo, poſtea unus, quatuor noſtris pretio æquipararetur: donec tandem circa annum MDC. eò deventum eſt, ut libra, ſolidus & denarius Anglicus duodecim ejuſdem nominis Scoticos valerent; quod & etiamnum apud nos obtinet. Sed de hac monetæ Scoticæ, quum abſoluto, tum ad Anglicam comparato variis temporibus valore, magis ſpeciatim pòſt erit agendum.

De nummorum Scoticorum figura.

LIV. 3. Sub conſiderationem proximè venire debet nummorum apud nos figura & moles. Atque hac etiam in re, ut in aliis ferè omnibus, vicinorum Anglorum exemplum κατὰ πόδας noſtri ſunt ſecuti. Quemadmodum enim apud illos, ita & apud nos, non exigui ſolum omnes, ſed & unius moduli per aliquot ſecula nummi erant. Neque enim tum alii quàm ſoli denarii in

(z) Statut. Davidis II. cap. 38. (a) Stat. ejuſd. Regis, cap. 46. (b) Vide Gul. Raſtalli ſtatuta Angliæ, tit. *moneta*, fol. 277. & confer Rymeri acta publica, tom. 7. p. 41. (c) Vide ſtatuta Roberti III. cap. 22. (d) Vide ſtatuta Richardi II. cap. 12. (e) Vide ſtatuta ejuſdem Regis anno MCCCXCIII. cap. 1.

tota

tota Britannia nummi cudebantur : quos propterea figura exili, & admodum tenui fuiſſe oportebat, cum eorum pondus 24 grana, i. e. vigeſimam unciæ partem, non excederet, rarò autem ultra 22 aſſurgeret *(f)*. Cæterùm, pro minoris pecuniæ commoditate, iidem denarii per duplicem crucem, ad extremum nummi limbum ejus rei gratiâ pertingentem, primùm in binos ſemicirculos, ſinguli deinde ſemicirculi in duas itidem partes confringebantur : ita ut denarii ſemicirculus oboli, dimidiatus autem ſemicirculus quadrantis vicem præſtaret. Atque rudem huncce & inſulſum morem ad annum MCCLXXIX. durâſſe ex antiquo carmine notat Stowius *(g)*, quo Eduardus I. Anglorum Rex obolos atque quadrantes orbiculares conficiendos præcepit. Neque dubium eſt, quin circa id tempus Anglorum imitatione minutiores hi nummi eâdem itidem formâ apud nos cudi cœperint *(h)*.

Nulli alii præter ſolos denarios totâ Britanniâ per aliquot ſecula nummi excuſi.

Denarii autem ipſi (ut ad eos regrediar) jam olim *Sterlingi*, ſive *Eſterlingi*, ex eo ſunt appellati, quòd eorum optimi excoctores & cuſores è Boruſſia, quæ regio Angliæ ad orientem objacet, advenerant *(i)*. Atque ob illorum nummorum ſummam probitatem deinde invaluit, ut ſterlingorum nomine non ampliùs nummi ipſi, ſed ipſorum liga ſive valor intrinſecus ad antiquam eorum ab orientalibus hiſce artificibus fabricatorum normam conformatus intelligeretur : unde & nunc per libras ſterlingorum, ſive ſterlingenſes, pecuniam primæ illius ſeu optimæ notæ vulgò deſignamus.

Denarii olim Sterlingi & unde dicti.

Quamvis verò denariorum cudendi origo ad Scotos ab Anglis primitùs fuerit derivata, ambigi tamen poteſt, utri, Angline an Scoti, nummos illos quatuor denariorum, quos Franci *Gros*, Germani *Groſche*, nos *Groſſos (k)*, ſive **Groats**, appellamus, priores excuderint. Jo. quidem Spedius *(l)* groſſi ab Edwardo I. Anglo percuſſi figuram exhibet. At eum nummum Edwardi potiùs III. aut IV. certè non I. illius eſſe oſtendit cl. Nicolſonus *(m)*, qui nullos idcirco illius ſpeciei nummos ante Edwardum III. percuſſos affirmat. Multi autem exſtant Davidis noſtri II. qui ei Edwardo tempore erat æqualis, nummi groſſi variis locis percuſſi; multi etiam qui Roberti nomen præferunt, tum in nummophylacio JCtorum Edinburgi, tum alibi conſpiciuntur. Sed quotus ille Robertus ſit, haud adeò proclive eſt ſtatuere. Reverendiſſimus quidem Nicolſonus *(n)*, ejuſque auctoritate ductus Jac. noſter Anderſonus, (qui ob eam præcipuè rationem omnes groſſos Roberti nomine inſcriptos primo illi, ſive Bruſſio, abjudicant, quòd nulli ejus generis nummi tum eſſent in Anglia percuſſi,) eos qui Regis faciem quaſi dimidiatam & dextrorſum tuentem exhibent, Roberto II. eos verò qui Regem pleno ac directo vultu aſpicientem referunt, Roberto III. adſcribunt. At ſollertiſſimus nummorum omne genus, præcipuè Scoticorum, collector & explorator Jacobus Sutherlandius, Botanices ante aliquot annos Profeſſor Regius, non dubitat priores illos Roberto noſtro I. imputare *(o)*. Quanquam enim pleraque omnia ad rem monetariam ſpectantia Anglorum imitatione ad Scotos noverat eſſe traducta, nihil tamen impedire is exiſtimabat, quo minus ex vetuſta illa inter utramque gentem amicitia noſtri etiam nonnulla à Gallis proximè arripuerint.

De Groſſis, & utrì Angline an Scoti eos primi percuſſerint.

(f) Anonymi nummorum Anglicorum hiſtoria. p. 6. *(g)* Hiſt. Angl. p. 200. At vide accuratiſſimum Fletwodum chron. pretioſ. p. 46. qui ex Sim. Dunelmenſi oſtendit obolos ſaltem Henrici I. tempore rotundos factos. Cl. etiam Nicolſonus, bibl. Scot. p. 307. ſe habere ait nummum parvulum, quem obolum Davidis I. eſſe conjectat. Verùm cùm, ipſo referente. 14 grana penderet, ego potiùs denarium puto eſſe Davidis II. multum à margine detritum, vel acciſum. Certè, cùm nulli denarii tum cuſi 24 grana excedant, pauci 22 (ut ſuprà notavimus) ſuperent, vix credendum eſt eorum dimidia 14 grana pondere æquâſſe. *(h)* Proſtant in hoc volumine Alexandri noſtri III. & Joannis Ballioli (qui Edwardo I. Anglo σύγχρονοι erant) oboli ſeu ſemidenarii, quos Franci & Angli, & (uti credibile eſt) etiam Scoti, alio nomine *Maillas*, ſive **Mailles**, appellabant : de cujus vocabuli etymo conſule Dufreſnium. *(i)* Alias de hujus vocis origine conjecturas videſis apud Spelmannum, Dufreſnium alioſque in gloſſariis, Lowndeſium in tentamine, p. 15. Nicolſonum in bibl. Angl. hiſtor. p. m. 253. &c. At hæc mihi (non obſtantibus quæ Nicolſonus contrà adfert) omnium vero ſimillima videtur. *(k)* i. e. *Magnos*, quòd maximi tum moduli hi nummi erant, ſic dictos. *(l)* Hiſt. Angl. p. 541. *(m)* Bibl. Angl. hiſt. p. 255. *(n)* Bibl. Scot. hiſt. p. 310. *(o)* In catalogo nummorum à ſe collectorum, quos ab eo magno ære redemptos inclytum Juriſconſultorum Scoticorum collegium in ſua bibliotheca reponi voluit.

rint. Gallos autem ejuſmodi nummos groſſos diu ante Roberti I. ætatem fabricâſſe oſtendit Fr. Blancius, qui eorum primum auctorem, non Ludovicum IX. (quod pleriſque erat perſuaſum) ſed Philippum Auguſtum, qui regnare cœpit anno MCLXXX. conſtituit *(p)*. Sutherlandio opinionem ſuam nonnihil confirmare viſa eſt litera B capiti Regis in quodam ex his groſſis ponè adſcripta, quam ille pro prima nominis Bruſſii accipiendam arbitratur. Certè fabricæ monetariæ locus illo elemento ſignificari nequit; cùm is groſſus Taoduni ſe cuſum indicet: neque ut artifex hanc pro prima ſui nominis litera tam conſpicuæ nummi parti imprimeret ſatis decere multi exiſtimabunt. Sed neque prorſus exploratum eſt, Edwardum III. Regum Britannorum primum groſſos excudiſſe, cùm in prædicto JCtorum nummophylacio duo exſtent nummi ſemigroſſi, alter Alexandri noſtri II. alter Edwardi I. Angli *(q)*, ut proinde haud abſurdum ſit creditu, integros groſſos (etiamſi ii jam interierint) ab iis Regibus fuiſſe percuſſos.

Cæterùm, hi groſſi, ſive à Roberto I. ſive ab ejus filio Davide II. ſic introducti, maximi apud nos moduli nummi perſtiterunt ad Reginæ Mariæ uſque ætatem, quâ nulla ampliùs groſſorum, ſemigroſſorum, denariorum aut ſemidenariorum in Scotia cuſorum mentio fit. Ab eo ſciz. tempore, ut rectè colligit cl. Nicolſonus *(r)*, argenti pretium (quod indies ſub ſuperioribus Regibus creſcebat) adeò ſupra modum auctum erat, ut minutiores illi nummi, qui à denariis nomen traxerunt, in deſuetudinem abierint, & qui deinceps apud nos nummi cudebantur, à ſolidis, ſive *Shillingis*, & *Marcis (ſ)*, i. e. librarum computatitiarum beſſibus, appellari cœperint. Ita, circa idem tempus, atque ob eandem rationem, intercidente apud Gallos denariorum memoriâ, in eorum locum libræ & ſolidi ſucceſſere. Nulla quidem ante Jacobi VI. initia in ſtatutis Scoticis mentio fit eorum nummorum, quos Galli & Angli à Regis capite iis inſcripto *Teſtones* nuncupabant: at eorum nomen matris illius ætate ſatis vulgare fuiſſe exiſtimat idem Nicolſonus *(t)*. Certè nummos quoſdam Franciſci II. Galli, & Mariæ Scotæ ejus conjugis, in Scotia percuſſos, *Teſtones* diſertè nominat Fr. Blancius *(u)*. Eorum valor apud Anglos idem ſemper qui ſolidi, ſive ſhillingi: apud Scotos autem primùm quinque ſolidorum, poſtea ſubinde auctus, ut inferiùs dicetur.

Teſtones quando apud nos excuſi.

Mariâ è Galliis anno MDLXI. ad ſuos reversâ, & poſt quatuor annos Henrico Darnilæo nuptâ, cudi demùm apud nos cœpere grandes illi & unciali pondere nummi, quos tum *Regales*, [**Rials**, ſive **Royals**,] nunc autem *Coronatos* appellamus: quibus, ſi nummos honorarios (*Medallos* vulgò dictos) & Ducatones Hiſpanicos & Belgicos excipias, nulli jam, quod ſciam, totâ Europâ majore modulo fabricantur.

Item nummi grandiores *Regales* dicti.

LV. De nummis Scotorum aureis nunc aliquid dicendum. Ac primum eorum originem ultra Stuartinæ ſtirpis imperium haud attollendum exiſtimat cl. Nicolſonus *(x)*. Antiquiſſimi quidem, qui apud nos aurei ſunt adhucdum reperti, impreſſum Roberti nomen gerunt. At eum Robertum II. aut III. non

De aureis Scotorum nummis, ac primùm de eorum vetuſtate.

(p) De moneta Francica, p. 160. *(q)* Hic Edwardi I. ſemigroſſus eximiæ raritatis eſſe videtur, cùm nemo quod ſciam ſcriptor Anglus de eo meminerit. *(r)* Bibl. Scot. hiſt. p. 319. *(ſ)* Nulla frequentior apud Scotos in pecunia numeranda appellatio quàm *marca*, neque ea apud Anglos tam veteres quàm hodiernos non ſatis crebrò uſurpata. Inter Anglo-Saxones initium cepiſſe videtur, atque ab illis primùm pro pondere, deinde, ut nunc, pro nummorum certa denominatione accipi conſueviſſe. Ab Anglis ad Gallos tranſiît, regnante (ut vult Blancius, p. 150.) Philippo I. circa annum 1093.. Inter eos autem ſemper pro pondere, i. e. 8 unciis, ſive libræ beſſe, non verò pro pecuniæ appellatione, vox videtur accepta. Unde & in hunc uſque diem monetæ pondus per marcas potiùs quàm per libras apud eos numeratur. Vide Blancii tabb. nummarias, p. 314. &c. Id porrò hîc obſervare licet, nullam unquam apud Anglos nummi ſpeciem marcæ nomine, vel ex auro, fuiſſe ſignatam. Apud Scotos verò, regnante Jacobo VI. cùm ſex libræ Scoticæ uni tantùm Anglicæ æquiponderarent, ſignatum primùm eſt marcæ dimidium, ſive nummus 6 ſolidorum, 4 denariorum, anno ſciz. 1572. ac demùm anno 1601. cùm duplicatus eſſet prior ille libræ Scoticæ valor, excuſæ ſunt marcæ integræ, ut & earum dimidiæ & quartæ partes. Sub Carolo autem II. cuſi ſunt duarum etiam & quatuor marcarum nummi, inſcriptis illis xxvi. 8. hiſce liii. 4. Cæterùm de marcis vide Dufreſnium, & Fletwod. chron. pret. p. 36. *(t)* Bibl. Scot. hiſt. p. 319. *(u)* De nummis Francicis, p. 269. *(x)* Bibl. Scot. hiſtor. p. 293.

verò

verò I. esse, eodem argumento, quo in argenteis Robertorum nummis usus, inde colligit vir eruditissimus, quòd Edwardus III. qui post Robertum nostrum I. sive Brussium, imperavit, primus apud Anglos ex auro nummos percusserit. Haud parum roboris huic ratiocinationi inesse diffitendum non est: at eam invictam prorsus & decretoriam nemo existimaverit, cùm facilè fieri potuerit, ut Scoti nummorum aureorum feriendi consuetudinem à Gallis (apud quos jam diu antea in usu erant) primùm acceperint. Certè à Gallorum imitatione ad Scotos traducta est illa, quam in nummo aureo Roberti (quotusquisque is sit) cernimus inscriptio, XPC. REGNAT. XPC. VINCIT. XPC. IMPERAT. Primus enim, agnoscente ipso Nicolsono *(y)*, hanc inscriptionem (*Legendam* monetarii vocant) ad exemplum Gallorum in nummis suis adhibuit Henricus V. Anglorum Rex, qui tamen non nisi septem annis post Roberti nostri III. & ultimi obitum regnare cœpit. Verùm, ne quid in hac re dissimulem, ad cl. Nicolsoni sententiam magis animus inclinat, ex eo potissimùm, quòd nulli Davidis II. qui post patrem Robertum I. & multos annos regnavit, nummi aurei hactenus reperiantur.

Aureos Scotorum nummos eâdem olim, non puritate modò intrinsecâ, sed & externo valore sive indicaturâ quâ apud Anglos, percussos plusquam credibile est. Ante Jacobum quidem I. nihil de moneta aurea in actis nostris publicis habetur. Eo autem ad suos ex captivitate Anglica anno MCCCCXXIV. reduce, eodem anno in comitiis regni *(z)* statutum est, ut moneta tam aurea quàm argentea ad eandem tum bonitatis tum ponderis legem quâ apud Anglos conformaretur. De eorum puritate & valore.

Eadem ferè aureis Scoticis quæ aliarum gentium, præcipuè Anglorum, erat iisdem temporibus figura & moles. Omnes enim antiquitùs amplâ latâque superficie, sed tenui admodum & exili crassitudine cudi consueverunt. Primus apud nos Jacobus V. eorum figuram, auctâ multùm crassitie, ita contraxit, ut sub angustiore area majus quàm veteribus illis pondus inesset. Ejus certè Principis nummi aurei, quos *Pileatos*, vulgò **Bonnet-pieces**, vocamus, ob hanc non solùm figuræ concinnitatem, sed & cælaturæ artificium, adeò sunt insignes, ut haud sciam an nulli alii, vel tum, vel hodie etiam totâ Europâ nummi à prisca illa Romanorum elegantia propiùs absint. Aureorum apud nos figura & moles.

Quibus nominibus vetustiora illa Regum nostrorum numismata aurea appellarentur, haud satis liquidò constat. Credibile tamen est nostros in hoc quoque secutos fuisse exemplum Anglorum, qui nummos suos aureos generali primùm vocabulo, vel *Florenos (a)*, à Florentinis sive Hetruscis, qui auri argentique flandi feriundi peritiâ aliis tum præcellebant; vel *Nobiles*, quòd ex nobilissimo metallo, vel, ut alii, nobilissimo, i. e. purissimo auro facti essent, vocitabant. Olim etiam apud Anglos receptum est, ut nummi aurei iisdem nominibus quibus argentei insignirentur: nam *Florenos*, aut alios maximi tum moduli aureos, *denarios*; eorum dimidia, *obolos*; quartas denique partes, *quadrantes*, & *Ferlingos*, nuncupabant *(b)*. Postea verò ex rebus iis inscriptis hi nummi nomina sunt sortiti. Sic *Angeli*, sive *Angelati*, ut & *Angelli*, ab Angelo draconem conculcante iis impresso; *Nobiles rosei*, à rosa Angliæ insignibus circundata; *Regales* & *Supremi* (vulgò **Rials** & **Sovereigns**), à protome sive icone regia, aut aliis summi imperii symbolis, sunt appellati *(c)*. Eâdem ferè ratione Scotorum nummis aureis *Florenorum* vel *Nobilium* nomina primùm imposita crediderim. Postmodò verò *Leonum* appellatio, à *leonis* i- Quibus nominibus aurei nostri olim appellati.

(y) Pag. 294. *(z)* Vide statut. Jac. I. cap. 23. *(a)* Id olim commune erat omnibus nummis aureis nomen; [vide Blancium de moneta Franc. p. 9. & Nicolsoni Angl. bibl. histor. p. m. 257.] nunc verò in pecunia computanda appellatio, quâ Germani, Belgæ, Itali aliique, sed diverso hi & illi valore, utuntur. *(b)* Vide Fletwodi chronic. pretios. p. 20. & seqq. & Rymeri act. publ. tom. 5. p. 416. 424. *(c)* Pari modo nummis Francorum aureis varia nomina, à figuris iis inscriptis plerumque desumpta, imponebantur: qualia erant Agnelli & Multones, [*Agnels* & *Moutons*,] ab agno vel ove; Massæ, [*Masses*,] à massa vel sceptro; Papiliones, [*Pavillons*,] à papilionibus sive tentoriis; Scutati, [*Escus*,] à scutis; Coronati, [*Couronnes*,] à coronis, &c. appellati.

magine (quod gentis nostræ insigne est) magis usitata : eo certè nomine aureos Scoticos, tum in actis publicis, tum in privatis conventionibus nuncupatos invenio. Fortè etiam, ut *Darici* olim & *Philippi*, hodie *Jacobi*, *Caroli (d)*, *Ludovici*, *Joannes*, &c. à Regibus quorum imagines gerunt, sunt appellati, ita & Reges nostri nummis suâ effigie impressis nomina fecerunt.

De Scotorum nummis æreis.

LVI. Quo primùm tempore ærei apud nos nummi fabricari cœperint, omnino incertum : nulli certè mihi adhuc conspecti sunt Jacobo nostro III. antiquiores. Dubitari tamen vix potest, quin eorum apud nos origo paullo vetustior sit, ac fortè ad Roberti III. aut II. ætatem referenda *(e)*. Quod autem nulli à superioribus hisce Regibus ex sequiore eo metallo cusi nummi jam reperiantur, ex eo præcipuè provenisse censendum ; quòd, cùm mole admodum exiguâ, ac præterea ex eo materiæ genere quod rubigini præ aliis maximè obnoxium est, hi nummi fabricati essent, omnes vel usu attriti vel ævo consumpti deperierint. Hac autem in re non Anglorum (qui nullos ex mero ære ante Jacobi I. tempora *(f)* nummos cuderunt) consuetudinem, sed Hibernorum *(g)* fortè & aliarum gentium nostri sunt secuti. Apud Gallos quidem, jam inde à Ludovici saltem IX. temporibus introductum est monetæ genus, quod illi *Billonem* appellant, i. e. argentum haud modicâ æris mixturâ interpolatum. Hujusmodi autem monetæ duæ erant apud illos species ; quarum alteram *Billonem superiorem* vocabant, sub qua comprehendebantur omnes nummi, quorum lex sive intrinsecus valor infra 10 ad 5 usque denarios descendebat : alteri autem *Billoni inferiori* nomen est inditum, cui omnes nummos, quorum lex infra 6 denarios erat, accensere placitum est *(h)*. Utramque hanc Billonis speciem monetam *blancam* sive *candidam* appellabant : quod nomen & nummis æreis argento ad fallendos vulgi oculos exteriùs obductis, licet duorum denariorum legem vix æquarent, nonnunquam est attributum *(i)*. Ab hoc distinguebatur moneta quam *nigram* ideò vocabant, quòd æreus in ea color magis appareret *(k)*. Quanquam verò nulla ejusmodi billonum, sive mixtorum nummorum, in antiquioribus actis nostris publicis mentio sit facta, credibile tamen est Reges nostros, jam inde à Davidis II. ætate, pravâ Gallorum aliorumque hac in re imitatione abductos, argenteam suam monetam majore quàm oportebat æris admistione, quam *allaiam* nominamus, coinquinâsse. Id ferè ostendit quod suprà protulimus Edwardi III. Angli edictum *(l)*, quo pecuniæ Scoticæ lex immutata indicatur. Ac licet postea Regum nostrorum, ejusdem Davidis II. *(m)*, Roberti III. *(n)*, & Jacoborum I. *(o)* & II. *(p)* statutis præscriptum esset, ut moneta Scotica eâdem puritate quâ Anglica fabricaretur ; vix tamen dubitandum est, quin & iis temporibus, sive Regum ipsorum dissimulatione, sive monetariorum aliorumve fraude, argentei apud nos nummi sæpiùs ab hac quam lex præscripserat bonitate desciverint. Certè inter alia à perduellibus civibus Jacobo nostro III. objecta, hoc ei præcipuè crimini dabatur, quòd *monetam nigram*, i. e. æream

(d) Hi nummi sunt ex auro purissimo sub Jacobo nostro VI. & Carolo I. tum in Anglia, tum in Scotia percussi ; aliter *nummi lati*, ob majorem eorum quàm pro crassitie latitudinem, appellati. Horum valor primùm erat 20 solidorum Anglicorum : postea Jacoborum ad 25 ; Carolorum ad 23 solidos gradatim auctus. Cùm autem improborum hominum in iis vel tondendis vel adulterandis fraudes aliter cohiberi nequirent, omnes hi nummi ad officinam monetariam deferri, ibique in novam monetam recudi, lege anno 1732. latâ jussi sunt. *(e)* Buchananus, lib. 12. p. 234. de moneta ænea à Jacobo III. cusa scribens, " Cuderant, *inquit*, & id genus numismatis aliquot superiorum Regum, sed magis ad usum " necessarium pauperiorum quàm ad suum quæstum." *(f)* Vide Nicolsoni bibl. Angl. histor. cap. 7. sub fin. p. m. 267. Eruditissimus Thomas Cragius J. C. in libro suo MS. de duorum regnorum unione, cap. 5. hoc inter alia quæ adversus hanc unionem objiciebantur recenset, quòd nulli tum essent apud Anglos nummi ærei excusi, unde, si idem posthac apud Scotos atque apud Anglos futurus esset rei monetariæ status, haud leve ad pauperes & tenuioris sortis homines (sublatis hisce ad eorum usus tam necessariis ex ære nummulis) damnum oriretur. Atque hâc ratione impulsum credo Jacobum I. ut ex vili hoc metallo nummos apud Anglos feriri jusserit. Quod & paulò antè ab Henrico III. Gallo factum, qui primus apud suos ejusmodi ex mero ære nummos introduxit. Vide Blancium de moneta Gallica, p. 16. & 271. *(g)* Nummos æreos apud Hibernos olim percussos apparet ex edicto Edwardi III. anno 1339. Vide Rymeri act. publ. tom. 5. p. 113. *(h)* Vide Blancium, p. 13. *(i)* Vide Blanc. ibid. *(k)* Blanc. ibid. *(l)* Suprà, p. 61. *(m)* Cap. 38. & 46. *(n)* Cap. 22. *(o)* Parl. 1. cap. 23. *(p)* Parl. 8. cap. 33.

pufillâ argenti portione admiftâ, excudi fecerit (*q*). Et malè quidem ceffit hoc Regis illius confilium : non major tamen inde ei conflanda erat invidia (*r*), quàm multis aliis Europæ Regibus, qui haud rarò iifdem artibus, neque minùs in publicum damnofo eventu, patrimonii fui anguftias fublevare laborabant. Cæterùm, id genus monetæ nigræ à Jacobo noftro III. percuffæ diverfum erat à nummis illis, quos ex mero ære feriendos idem Rex in primis fuis comitiis jufferat anno MCCCCLXVI. Tum quippe trium Ordinum ftatuto præfcriptum eft, *ut ad fubditorum commoditatem, & ad eleemofinas pauperibus erogandas, nummuli,* five ftipes, *ex ære fabricarentur, quorum quatuor denarium conficerent, quibufque ex uno latere crux S. Andreæ cum voce* EDINBURGI, *ex altero corona cum* R. JACOBUS, *incuteretur* (*f*). *Hos ejufdem generis fuiffe* ait cl. Nicolfonus (*t*), *atque ii funt quos illius fucceffores excudere perftiterunt, quique regnante Jacobo* VI. (*ab Atchifono quodam, celebri tum apud Scotos pecuniæ feriundæ artifice*) ATCHISONORUM *nomen accepêre, ac non ita pridem, i. e. initio Caroli* II. *pro quatuor* BOTHUELIIS (*u*), *five octo denariis Scoticis, difcurrebant : nunc verò eorum ufus prorfus defitus eft.* Hæc Nicolfonus : At veniam mihi dabunt fummi viri manes, quòd veritatis vi victus hac in re ab eo diffentiam. Hi etenim *Atchifoni* (quorum haud pauci adhuc exftant) longè ab æreis illis Jacobi III. nummis (quorum etiam nonnulli adhuc fuperfunt), ut mole, ita & valore erant diverfi : *Atchifonorum* quippe magnitudo æreorum illorum plufquam quater exfuperat. Valore etiam tanto ferè illos hofce fuperâffe oftendit ipfum ftatutum, in quo ut æreus ille nummus quartam tantum denarii partem valeret, præfcribitur. Incredibile autem eft, ut qui Jacobi III. ætate denarii quadrantem nummus valebat, ad octo integros denarios, i. e. ad trigefies & bis eum valorem, poftea affurgeret. Quin porrò, fi conjecturam in his facere liceat, ego *Atchifonos* hofce propiùs ad *nigram* illam quam fuprà memoravimus Jacobi III. *monetam* acceffiffe exiftimaverim. Subalbidus enim qui in his *Atchifonis* fe prodit color, argenti nonnihil eis admiftum, vel quibufdam fortè fuperinductum, indicare videtur. Et fortè ex eodem genere fuere Scotici illi ex ære nummi, quorum in Itinerariis fuis meminit Fynes Morifon (*x*) : *Ex his* autem, inquit ille, *alii* **Babees** *nominabantur, qui fex olim denarios Scoticos valebant ; alii* **Placks**, *qui quatuor ; alii denique* **Hard-heads**, *qui uno denario cum femiffe erant æftimati.* At *hos omnes nuper* (i. e. ante annum MDCXVII. quo liber ifte in lucem erat editus) *fublatos fuiffe* idem memorat. Vix dubium eft quin ex his nummis quidam adhuc fuperftites fint : fed varias eorum fpecies valorefque alios ab aliis diftinguere mihi, fateor, in promptu non eft. Cæterùm Jacobi noftri VI. ætate primùm cufi videntur nummuli illi ærei, *denarium* Scoticum, five duodecimam Anglici partem finguli valentes, cum hac epigraphe, NEMO ME IMPUNE LACESSET. Quibus etiam fimiles tempore Caroli I. & fub initia Caroli II. apud nos percutiebantur. Paullò poft ejufdem Caroli II. ad fuos anno MDCLX. reditum, primùm, quod fciam, excudi cœperunt nummi ærei *binorum denariorum*, vulgò **Two-pennies**. **Boddles** & **Turners** (*y*) appellati ; itemque femiffes Scotici, **Babees** vulgò dicti, *fex denarios*, five dimidium folidi feu fhillingi Scotici, quales Angli **Half-pennies**

(*q*) Vide Buchananum lib. 12. p. m. 234. Leflæum lib. 8. p. edit. Rom. 322. Ferrerium Pedemontanum in append. ad H. Boëthii hift. p. 395. D. Humium hift. Duglaffiorum p. 206. & 226. (*r*) Fer. Pedemont. loc. cit. Regem ait neceffitate adductum eam monetam fignâffe. Ninianus Winzetus in fua velitatione adverfus Geo. Buchananum, p. 239. " Excudit, *inquit*, æream quandam monetam aliquâ forfan neceffitate impulfus, quam populus non libenter admifit. Dicerem ego hîc populum peccaffe potiùs quàm Regem." Quin & hæc ipfa nigra moneta à tribus regni ordinibus curfum habere jubetur. Vide Jac. 3. parl. 5. cap. 41. (*f*) Horum quidam in JCtorum Edinburgi (olim Jac. Sutherlandii) nummophylacio exftant. (*t*) Bibl. Scot. hift. p. 314. (*u*) A Bothuelio quodam nummorum apud nos feriundorum artifice fic dictis : quos corrupto nonnihil vocabulo vulgò **Boddles** nominamus. (*x*) Apud Nicolfonum, bibl. Scot. hiftor. p. 327. (*y*) Hoc nomen à Gallis defumptum, qui monetam fuam debilem, i. e. magnâ æris admiftione interpolatam, à Turonibus, qua in urbe fæpiffimè ea fabricari folebat, groffos, denarios, & duplices Turonenfes, vulgò *Gros, Deniers & Doubles Tournois*, appellabant.

nun-

nuncupant, continentes. Hos, ut & hisce similes sub Gulielmo & Maria excusos, usus adhuc retinet: queruntur que nostri, jam inde à duorum regnorum in unum anno MDCCVII. coalitione, ejusmodi nummorum æreorum apud nos fabricationem prorsus intermissam; unde, prioribus illis magna ex parte absumptis, haud leve in viliorum rerum commerciis exercendis egenorumque necessitatibus sublevandis impedimentum injicitur.

De nummis Scotorum mnemonicis, sive *Medallis*.

LVII. Priusquam hanc de variis ex vario metallo nummorum Scoticorum speciebus partem absolvam, non ab re erit de nummis illis majoris moduli, quos alii mnemonicos sive historicos, alii honorarios & symbolicos, vulgò *Medallos* & *Medallones* appellant, quædam adjicere. Et hîc quidem minimè mirandum, paucissimos ejus generis apud Scotos fuisse excusos; cùm, antequam tota Britannia sub unius Principis imperium venisset, rari admodum totâ Europâ, nedum hac in insula ejusmodi nummi percuterentur. Jo. Evelynus Anglus, in doctissimo suo de *Medallis* libro, postquam insignem ex ejusmodi numismatibus utilitatem capiendam exposuisset, multum graviterque de suorum hac in re ignavia conqueritur, qui egregia Regum aliorumque apud se illustrium virorum facinora talibus monumentis exornare atque ad posteros transmittere neglexerint *(z)*. Hincque est quod sedulus ille nummorum omne genus indagator & cognitor oppidò paucos *medallos* Anglicos ante Reginam Elizabetham in medium proferre potuerit *(a)*. Sed hanc (si qua est) culpam communem ferè Angli habent cum vicinis Germanis, Gallis, Italis, &c. apud quos mnemonici illi nummi haud multò frequentiores per ea tempora fuere: ut non temerè eruditissimus Christ. Schlegelius scripserit *(b)* ejusmodi nummorum usum XVI. demùm seculo invaluisse, i. e. ut ego interpretor, paucissimos ejus generis ante id seculum fuisse excusos. Primus autem nummum mnemonicum sive *medallum* feriri apud nos jussit Jacobus IV. cujus figuram ære expressam, ut & illius explicationem, cl. Evelyno *(c)* debemus, quem, cùm Andersonus noster (utpote nunquam fortè à se conspectum) delineare omiserit, hîc denuò exhibendum censuimus.



In antica autem hujus numismatis parte, thoracatâ effigie *(d)* se sistit Jacobus IV. vultum dextrorsum obvertens, caput coronâ duabus lamellis supernè clausâ redimitus, humeris loricam unà cum equestribus S. Michaëlis insignibus indutam gerens. Epigraphe, ✠ IACOBVS IIII DEI GRATIA REX SCOTORVM. Aversâ parte inscripta est columna Dorica, rupi vel tumulo propter mare innixa, cujus in epistylio Janus, sive figura biceps, laureis sertis ornata, duo ex oppositis partibus promontoria prospectat. Supra bicipitem vox VTRVNQVE. Hoc numisma excusum putat Evelynus paullò ante funestam illam ad Fluidonem anno MDXIII. pugnam, in qua e-

(z) Pag. 84. & 158. *(a)* " Imò, *inquit ille, ead. p.* 84. si numismata quædam in duorum aut trium " nuperorum Principum inaugurationibus, natalibus, aut nuptiis percussa excipiantur, nihil fere quod ve- " rum medalli nomen mereatur ante Carolum I. ostendere possumus." *(b)* De nummis Abbatum Hersfeldensium, p. 23. *(c)* Pag. 88. *(d)* Protomen sive pectore tenus efformatam imaginem, quam vulgò Buste vel Busto appellamus, *thoracatam effigiem* non uno loco nominat Plinius.

gregius

gregius ille Princeps cum flore Nobilitatis Scoticæ fortiſſimè dimicantes occubuere. Proximus ex mnemonicorum genere, qui apud nos exſtat, eſt nummus aureus Joannis Albaniæ Ducis, ac Scotiæ (Jacobo V. adhuc puero) Proregis, anno MDXXIV. percuſſus. In hanc quoque claſſem referenda vult cl. Nicolſonus *(e)* tria Jacobi illius V. numiſmata. At de his, ut & de aliis quæ jam ſuperſunt ejus generis à Maria, Jacobo VI. Carolo I. & II. excuſis, commodior erit poſtea in generali nummorum Scoticorum recenſione dicendi locus.

De nummorum apud Scotos fabricandorum artificio.

LVIII. Quartò denique, (ut ad monetæ Scoticæ cum Anglica convenientiam ulteriùs explicandam progrediar,) quod ad nummorum apud nos fabricandorum artificium ſpectat, neutiquam dubium eſt, quin noſtri eâdem ratione, iiſdemque in genere inſtrumentis, quibus non vicini Angli ſolùm, ſed & Itali, Galli, aliique in moneta ſua exploranda, formanda, cudenda uſi fuerint. Initio quidem, & per multa deinceps poſt collapſum atque à barbaris gentibus occupatum Romanorum imperium ſecula, rudis admodum atque inculta erat totâ Europâ, nedum apud Scotos, monetæ fabricatura; adeò ut nummorum per ea tempora cudendorum artifices haud multum à vagis noſtræ ætatis vaſorum æneorum ſartoribus peritiâ differrent: atque haud ſcio an & illi, aulici olim comitatûs partem facientes, nummos ubicunque Principes diverſabantur factitare conſueverint *(f)*. Id ut aliqua ex parte credam facit monetarii nomen, primis qui nunc ſuperſunt Regum noſtrorum Alexandri I. Davidis I. & Gulielmi (ut & illorum temporum Angliæ *(g)* Regum) nummis ex averſa parte inſcriptum. Additum quidem eſt & oppidi nomen; ſed an illo locus ubi nummus ſit cuſus, an quo monetarius natus ſignificetur, haud prorſus affirmem. At cùm paullò pòſt, monetarii nomine omiſſo, urbis ſolùm in nummis nomen memoretur, vero magis ſimile eſt in illis æquè ac hiſce percuſſionis locum indicari. Apud Anglos olim, ut & alios populos, non Regibus ſolùm, ſed & quibuſdam ſummi ordinis, tam laicis quàm eccleſiaſticis, viris cudendæ monetæ jus competebat: at id, cùm multis incommodis damniſque in re pecuniaria feneſtram aperire deprehenſum eſſet, optimo conſilio ſubditis ademptum, ſoliſque Regibus proprium reſervatum fuit. Apud Scotos autem ſolus, quod nôrim, Princeps jam inde ab initio pecuniæ feriundæ ex prærogativa regia jus ſibi vindicabat: ad quem etiam omnes auri argentique fodinæ ubicunque ſitæ jure regio pertinere dignoſcuntur. Cæterùm, finitimorum Anglorum Gallorumque imitatione factum, ut variæ apud nos variis in locis fabricæ ſive officinæ monetariæ conſtituerentur. Id veterum nummorum adhuc ſuperſtitum in primariis Scotiæ urbibus, Edinburgi, Aberdoniæ, Perthi, Bervici, Sterlini, Taoduni, Limnuchi, Britannoduni, Roxburgi cuſorum inſcriptiones oſtendunt: quidam fortè, qui jam perierint, aliis etiam in locis percuſſi.

Præcipuum jam olim, atque à rei pecuniariæ primordiis, in nummis cudendis inſtrumentum tudes erat ſive malleus, quo figuræ ſive imagines typis chalybeis inſculptæ metallo monetario, in laminas prius diſſecto, atque ad id pro monetæ formandæ pondere & magnitudine præparato, incutiebantur. Sed cùm inde ſceleſtiſſimo hominum generi facilis occaſio præbita eſſet nummorum ſic excuſorum oras accidendi, neque ullis legibus pœniſque hoc magis magiſque invaleſcens malum ſiſti poſſet; tandem ſuperiore ſeculo, aut paullò fortè maturiùs, novum excogitatum eſt pecuniæ per molam & prælum cudendæ artificium; quo, & præcipuè aliâ circa idem tempus repertâ

(e) Bibl. Scot. hiſt. p. 299. *(f)* Id de Carolo M. memorat Jo. Evelynus de medallis, p. 226. *(g)* Neque primis ſolùm ex Normannica ſtirpe Anglorum Regibus, ſed & pleriſque Anglo-Saxonum Principibus id moris fuiſſe oſtendunt eorum nummi apud Obad. Walkerum, in ſua de hac re diatribe nuperis Gul. Camdeni Britanniæ editionibus præmiſſa, And. Fontanum in numiſmatis Anglo-Sax. illuſtratis, & Rad. Thoresbium in ducatûs Leodienſis topograph. p. 340. & ſeqq. Vide & Franc. Blanc. de mon. Franc. p. 79.

literas vel crenulas nummorum marginibus imprimendi machinatione, improbissimæ huic fraudi frenum penitus est injectum. Qui primi egregiorum horum inventorum auctores fuerint, haud prorsus compertum. Fr. Blancius *(h)* molæ & præli in pecuniis cudendis artificium à populari suo Nicolao quodam Briotio repertum vult *(i)*: quod tamen cùm rei apud Gallos monetariæ præfecti compendii sui gratiâ recipere nollent, Anglos, ad quos repulsæ indignitate motus se contulerat, id ab eo edoctos primùm exercuisse idem tradit. Utcunque autem hæc se res habeat, utilissimam hanc nummorum fabricandorum rationem, non nisi regnante Carolo II. i. e. anno MDCLXIII. ad summum perfectionis apicem perductam ipsi scriptores Angli fatentur *(k)*.

De pecuniæ Scoticæ variis temporibus statu & valore.

LIX. Sed me tempus jubet, his missis, de vario variis temporibus pecuniæ apud nos statu, ac præsertim de continuis in ejus valore aliquot seculorum decursu factis incrementis paullò pressiùs inquirere. Quamvis autem hanc rem multò quàm apud vicinos Anglos & Gallos obscuriorem reddat tabulariorum ad eam spectantium apud nos jactura, non desunt tamen acta quædam publica aliaque documenta, quæ rei Scotorum nummariæ, si non prorsus claram, aliquam saltem eamque non spernendam lucem conciliare queant. Et primùm priscæ apud nos monetæ eundem fuisse ac apud Anglos tum intrinsecum tum extrinsecum valorem perspicuè apparet ex celebri illo quod suprà protulimus *(l)* Edwardi III. Anglorum Regis edicto anno MCCCLV. promulgato. In eo enim disertis verbis proditum est, *antiquam monetam Scotiæ ejusdem fuisse ponderis & allaiæ sicut fuit moneta sterlingi Angliæ, propter quod in regno Angliæ habuit cursum suum.* Hoc pacto, cùm Gulielmi Normanni & aliquot ejus successorum Angliæ Regum temporibus (ut ex ejus gentis scriptoribus liquet) non solùm justa sua in nummis metalli puritas servaretur, sed & idem

Sub antiquioribus nostris Regibus, Alexandro I. Davide I. &c.

præterpropter libræ computatitiæ esset qui ponderali valor: ita & apud Scotorum iisdem temporibus Reges, Alexandrum I. (& siqui illo priores pecuniam apud nos percusserint) Davidem I. Milcolumbum IV. Gulielmum, Alexandrum II. & III. & Joannem Balliolum, eadem lex vigebat, h. e. eorum nummi ex metallo non minùs quàm apud Anglos puro cudebatur, libraque computatitia apud hos æquè ac illos veram ferè libram pondere æquabat. Rem autem se sic habuisse præterea confirmat statutum Roberti III. *(m)*, in quo *libra tempore Davidis* I. 25 *solidos, vel,* aliter, 15 *uncias ponderare debuisse* dicitur. Et paullò post, illius Regis tempore uncia 20 denarios continuisse perhibetur.

Sub Roberto I.

Tempore autem Edwardi I. Angli, &, qui ei ætate suppar erat, Roberti nostri I. paullum imminui monetæ pondus apud utramque gentem cœpit. Ex libra enim argenti ponderali apud illos 20 solidi 3 denarii, apud nos verò 26 solidi 4 denarii percutiebantur. Prius ab accuratissimo Fletwodo in chronico pretioso *(n)*, posterius in prædicto Roberti III. statuto traditur. At cùm uncia illinc 20 denarios cum quadrante, hinc 21 denarios confecisse dicatur, existimandum omnino videtur utrorumque uncias ejusdem ferè ponderis fuisse; Anglorum verò libram, quæ 12 uncias apud illos continebat, Scoticâ (cui 15 unciæ tum inerant) quintâ ferè parte leviorem exstitisse. Id autem postulare videtur, non solum superiùs memoratum Edwardi III. edictum, sed & statutum Edwardi I. *(o)*, quo omni monetæ, præterquam suæ, Scoticæ & Hibernicæ cursus interdicitur.

(h) De monet. Franc. p. 302. Vide & Jo. Evelynum de medallis, p. 226. *(i)* Hier. Cardanus, referente cl. Evelyno p. 225. quendam Venetiis artificem memorat machinam diu antea excogitâsse, quâ unâ eâdemque simul operâ nummi signarentur, dissecarentur & rotundarentur. Pulcherrimum quoque ejusmodi inventum fabricæ monetariæ in Halis Teriolanis, quâ nummi prælis imprimebantur, (quam se vidisse ait anno 1574.) eleganter describit Steph. Fern. Pighius in Hercule Prodicio, p. m. 156. *(k)* Jo. Evelynus lib. cit. p. 239. Gul. Lowndesius in suo tentam. de emend. numm. p. 95. Rad. Thoresbius, ducat. Leod. p. 377. Anonymi numm. Britann. hist. p. 112. *(l)* Pag. 61. *(m)* Cap. 22. *(n)* Pag. 52. *(o)* Apud Lowndesium, in tentamine de emend. Angl. nummis, p. 7.

Cæte-

Cæterùm, Davidis noſtri II. ætate cuſa eſt illa apud nos moneta, quam *minoris ponderis majoriſque allaiæ* quàm Anglicæ, conqueritur Edwardus III. unde quatuor (ut ſuprà diximus) nummi Scotici pro tribus tantum ejuſdem generis Anglicis diſcurrere jubentur. Et quamvis poſt undecim ab eo tempore annos, i. e. C. N. MCCCLXVI. à Davide noſtro II. in comitiis ſuis præſcriptum eſſet, ut nummi Scotici ad Anglicorum normam revocarentur, proximo tamen anno MCCCLXVII. *propter raritatem pecuniæ de argento*, ſtatutum eſt, ut, ſervatâ quidem eâdem quâ apud Anglos materiæ puritate, *libra argenti minueretur in pondere decem denariis ponderis, ſic ſciz. quòd de libra ponderis jam fiant 29 ſolidi & 4 denarii numerales (p).* Sub Davide II.

De Roberti II. nummis nihil memoriæ proditum invenio : illos tamen pondere nonnihil adhuc imminutos, vel majore æris mixturâ vitiatos oſtendit illud (cujus ſuprà meminimus) Ricardi II. Angli anno MCCCXC. (qui Roberto noſtro II. ultimus fuit) ſtatutum, quo duo ejuſdem ſpeciei nummi Scotici uni duntaxat Anglico æquivalere præcipiuntur. Sub Roberto II.

Tempore Roberti III. anno MCCCXCIII. auctum adhuc magis eſt nummorum pretium, ita ut *uncia de ejuſdem Regis moneta 32 denarios continuiſſe dicatur.* Sub Roberto III.

Sub Jacobo noſtro I. ſtatutum eſt (*q*), ut monetam ſuam Rex emendandam, ſimilique, ac Anglica erat, pondere & puritate feriendam præciperet. Ex hac lege, quæ primis Regis illius comitiis, annoque MCCCCXXIV. eſt lata, apparet monetam à proximè præcedentibus Regibus percuſſam deterioris quàm oportebat notæ fuiſſe. Sed ſive quòd hæc ipſa Jacobi I. lex non eâ quâ decuit curâ ſit obſervata, ſive quòd pejor illa à prioribus Regibus excuſa moneta curſum habere fuerit permiſſa, aut quacunque alia ex cauſa ; dubitandum vix eſt, quin etiam ſub prudentiſſimo illo Rege, pecuniæ apud nos pretium nonnihil accreverit. Id penè perſuadent quæ ſub ſequentibus Regibus quotidie invaleſcebant monetæ augmenta. Nam, Sub Jacobo I.

Jacobi II. tempore ſtatutum eſt (*r*), ut *nova moneta monetæ Anglicæ pondere æqualis percuteretur, atque ut ex uncia combuſti argenti* (ita enim argentum bene excoctum, atque ad juſtam puritatem redactum appellabant) 8 *groſſi ferirentur, atque (eâdem ratione ſervatâ) ſemigroſſi, denarii, oboli & quadrantes :* ſcitumque porro eſt, ut horum nummorum duplicaretur valor, i. e. *ut groſſus pro 8 denariis, ſemigroſſus pro 4, denarius pro 2 denariis, obolus pro denario, quadrans pro obolo diſcurrerent.* Hoc anno MCCCCLI. regni ejus xiv. factum. Anno autem MCCCCLV. novi illius groſſi valor ad 12 denarios, ſimilique in minoribus nummis proportione, evectus eſt (*ſ*). Sub Jacobo II.

Primo Jacobi III. anno, h. e. MCCCCLX. cudi juſſi ſunt illi (de quibus ſuprà diximus) nummi ærei, ac non multò pòſt moneta (cujus itidem meminimus) nigra, i. e. majorem partem ænea, unde ſceleratis civibus in immerentem Regem inſurgendi occaſio inter alia eſt quæſita. In tertiis ejus comitiis, anno MCCCCLXVII. (*t*), groſſus Scoticus, quem *coronæ* nominabant, curſum pro 14 denariis habere juſſus ; nigræque monetæ fabricatio ſub capitis pœna inhibita. Proximis comitiis, eodem anno atque intra paucos menſes celebratis (*u*), groſſus *coronæ* ad 12 denarios revocatur. Sextis comitiis, anno MCCCCLXXI. habitis, ut novus groſſus pravæ temperaturæ pro ſex denariis, ſemigroſſus pro tribus diſcurreret, præſcriptum eſt (*x*). Octavis comitiis, anno MCCCCLXXV. 12 groſſi ex una argenti excocti uncia eâdem ligâ quâ erat novus groſſus Anglicus, itemque denarii & oboli ejuſdem puri- Sub Jacobo III.

(*p*) Hîc verò haud levis ſcrupulus injicitur : nam ſi hæc Davidis II. libra ejuſdem ponderis erat ac libra patris ſui Roberti I. quæ 15 uncias totidem Anglicanis (ut modò diximus) ferè æquiponderantes continebat ; libra autem Anglica non pluribus quàm 12 unciis, ut & nunc, conſtabat ; cùmque hoc pacto libra Scotica tribus unciis Anglicâ gravior fuerit, neceſſariò conſequetur Scoticos Davidis II. denarios Anglicis ponderoſiores fuiſſe : quod mihi neutiquam ſit veriſimile. Dicendum ergo videtur Scotos eo tempore in nummis pendendis librâ Anglicâ, non ſuâ, fuiſſe uſos. (*q*) Parl. 1. cap. 23. (*r*) Parl. 8. cap. 32. (*ſ*) Parl. 13. cap. 29. (*t*) Cap. 18. (*u*) Cap. 23. (*x*) Cap. 46.

tatis,

tatis, illi 3 denarios, hi unum cum dimidio habituri, fabricari præcipiuntur (y). Decimis tertiis hujus Regis comitiis, anno MCCCCLXXXIII. (juxta computationem Romanam MCCCCLXXXIV.) ſtatutum, ut nummus argenteus, pondere decimam unciæ partem, & puritate veterem groſſum Anglicum æquans, atque ex eadem materia ſemigroſſus excuderentur, quorum ille pro 14 denariis, hic pro 7 curſum haberet (z). Eodemque tempore præſcriptum, ut nummus aureus feriretur, pondere & puritate nummo Anglico, *Nobili roſæ* dicto, reſpondens, utque is aureus 30 groſſos argenteos pretio valeret (a). Iiſdem denique comitiis (b), omnes nummi 4 denariorum, *Placci* vulgò dicti, ſive à monetariis regiis, ſive ab aliis excuſi, ad incudem revocari, duoque pro ſingulis probæ monetæ denarii à magiſtris monetalibus intra certum tempus numerari juſſi.

Sub Jacobo IV.

Sub principio regni Jacobi IV. idem perſtitit, quod poſtremis patris ſui Jacobi III. annis fuerat, monetæ Scoticæ pondus & valor. Anno enim regni ejus primo, C. N. MCCCCLXXXVIII. lege ſancitum eſt (c), ut ex una argenti uncia 10 groſſi, puritate veteri Anglorum groſſo æquales, ſingulique pro 14 denariis curſum habituri excuderentur : itemque nummus aureus Nobili roſæ puritate & pondere par, qui 30 eorum groſſorum valorem æquaret. Similiſque altero poſt anno de aliis groſſis fabricandis regula eſt præſcripta (d). Quartis ejus comitiis, anno MCCCCXCIII. ſtatutum, ut nemo pecuniam regiam, licet à variis monetariis (e) percuſſam, propter fiſſuras, ſi modò juſtæ puritatis exiſteret, repudiare auderet (f), pœnâ mercis aut pecuniæ recuſatæ amiſſione denunciatâ (g). Anno MDIII. initum matrimonium eſt inter Jacobum IV. & Margaretam Henrici VII. Angli filiam. Ex tabulis autem ea de re ſcriptis apparet, tres tum libras Scoticas uni Anglicæ æquiparatas fuiſſe. Donatio enim propter nuptias à Jacobo pacta, quæ erat *duarum millium librarum ſterlingorum, ſex millia librarum monetæ nunc currentis & habentis curſum in Scotia* facere & conſtituere expreſſis verbis dicitur (h). Hac ratione, monetæ Scoticæ valorem extrinſecum, infra eum quem ante aliquot annos habebat, nonnihil imminutum fuiſſe neceſſe eſt (i).

Sub Jacobo V.

Jacobi V. tempore nullam, ad monetæ Scoticæ legem quod attinet, comperimus auctoritate publicâ factam mutationem. Clariſſimus quidem J. C. Thomas Cragius, in ſuo *de regnorum Britanniæ unione* libro (k), *ſe ab Henrico Balnavio Senatore* (l) *accepiſſe* ait, *toto penè Jacobi V. tempore denarium Anglicum tribus tantum Scoticis æſtimatum* : quod facilè, propter vilioris materiæ, quâ Henricus VIII. tum Angliæ Rex, monetam ſuam vitiavit, admiſtionem, accidere poterat. Sæpius ſuprà laudatus D. Jacobus Balforeus (m)

(y) Cap. 64. (z) Cap. 93. (a) Ibid. (b) Cap. 97. (c) Cap. 2. (d) Parl. 2, cap. 17. (e) Horum tres in ſtatuto memorantur Gilbertus Fiſh, Alexander Levingſton, & Joannes Currour. (f) Cap. 40. (g) De hac re lex antea erat lata anno 1489. parl. 2. cap. 17. & parl. 3. cap. 37. & poſtea parl. 6. cap. 97. (h) Vide Rymeri act. publ. tom. 13. p. 57. 63. & 75. & illuſt. Comitis Hadintoniæ chartarum collectiones MS. in bibl. JCtorum Edinb. p. 291. & 386. (i) Cùm enim ex modò memoratis Jacobi III. & IV. actis, ex una uncia argenti moneta fabricanda eſſet, quæ pro 140 denariis, ſive 11 ſolidis, 8 denariis diſcurreret; apud Anglos verò eodem tempore, juxta Lowndeſii relationem, p. 41. & Fletwodi ex eo computum, chron. pret. p. 53. monetæ ex una uncia percuſſæ valor 3 tantùm ſolidorum 1 denarii & ſemis eſſet : neceſſariò conſequitur libram Anglicam tres Scoticas cum $\frac{4}{5}$ ampliùs libræ partibus pretio exæquare oportuiſſe. Quî autem acciderit, ut monetæ Scoticæ extrinſecus valor, qui ad quadruplum ferè Anglicæ valorem excreverat, intra 12 pòſt annos ad triplam cum eo collatus proportionem fuerit reductus, nullam præter alteram ex hiſce binis rationem comminiſci poſſum. Aut enim Anglus monetam ſuam (licet id à nemine proditum inveniam) adulterari erat paſſus, quod ab avari illius Principis moribus non abhorret; vel aliter ejus valorem auxerat : aut Scotus (contra quàm aliàs fieri ſolebat) ſuæ pretium imminuerat. Id autem quò facilius efficeret, præſtabat ingens frugum fructuumque (cujus meminit Buchananus lib. 13.) ejus tempore proventus, potiſſimè verò quæſtuoſiſſima illa ex re piſcaria (quam Rex ille promovendam enixè curabat, vide act. Jac. IV. parl. 4. cap. 49.) facta mercatura : unde tanta ex regionibus exteris invecta eſt auri argentique copia, ut (ſi D. Jac. Balforeo id in ſuis annalibus MSS. referenti credimus) triplicata illis temporibus in Scotia pecuniæ quantitas eſſet. (k) Cap. 5. p. m. 80. (l) Qui in collegium judicum allectus anno 1562. annoque 1568. unus erat ex legatis, qui unà cum Jacobo Stuarto Moraviæ Comite, tum Scotiæ Prorege, cum legatis Mariæ Scotæ & Elizabethæ Anglæ, de illius Mariæ cauſa diſceptaturi, Eboracum miſſi erant. (m) In ſchediaſmate de re Scotorum monetaria ſuâ manu ſcripto, nunc in JCtorum bibliotheca ſervato : cujus etiam meminit celeberrimus Nicolſonus bibl. Scot. hiſt. p. 292.

imperante

imperante ſcribit Jacobo V. groſſos, quos *Duglaſſianos* vocabant, 10 denarios, & *Babeos*, vulgò **Babees**, 3 denarios valentes, uſu introductos. Sub illius Principis deceſſum argenti unciam 19 ſolidis 9 denariis, auri verò 12 libris æſtimatam idem tradit. At luculentum multòque hiſce certius de monetæ apud nos illis temporibus valore indicium ſuppeditat conventio inter Gavinum Dunbarum Aberdoniæ Epiſcopum, & Willelmum Sutherlandium de Duffus, die quinto menſis Auguſti, anno MDXXIX. i. e. Jacobi V. regni xvi. perſcripta; cui inter alias hæc memorabilis conditio eſt adjecta *(n)*: *Proviſo inſuper, quòd ſi contingat monetam regni Scotiæ, ſeu cujuſvis alterius regni in Scotia curſum habentem, ad altius pretium levari, quàm ut nunc in ſolutione capiunt, unde reverendus ipſe pater, aut heredes ſeu aſſignati ſui quicunque pauperioris aut deterioris conditionis efficientur, in eo caſu obligo* [inquit Willelmus Sutherlandius] *& aſtringo prædictas terras meas de* **Queralwod** & **Lidget** *poſſeſſoribus quibuſcunque dicti annui redditûs ad ſolvendum pro qualibet marca & triginta duobus denariis unam unciam puri argenti, quod erit ad minus* **alewyne penny fyne**, (*i. e.* ad undecim denarios purum,) *vel ejus verum valorem in uſuali moneta regni Scotiæ.* Ex quibus verbis perſpicuè apparet unciam probi argenti 16 ſolidis Scoticis tum penſitatam. Cæterùm, reliquis xiii. quibus Rex ille imperium geſſit annis, credibile admodum eſt, nonnihil ad monetæ Scoticæ valorem incrementi acceſſiſſe. Id enim eventurum fore Gavinus Dunbarus cautelâ hacce adjunctâ augurari ſe declarat; neque eum opinione falſum fuiſſe, quæ poſt in re apud nos pecuniaria ſecutæ ſunt mutationes, oſtendere videntur. Etenim,

Altero Reginæ Mariæ imperii anno, h. e. C. N. MDXLIV. una libra Anglica quatuor Scoticas efficiebat. Id palam teſtatur *Indentura*, ſive altrinſecus obligans inter Henricum VIII. Angliæ Regem & Matthæum Leviniæ Comitem 26. Junii ejus anni facta conventio *(o)*, in qua Rex ille Margaretam Duglaſſiam, ſororis ſuæ filiam, ex ſecundo ejus cum Comite Anguſiæ matrimonio genitam, nuptui Matthæo collocaturum pollicetur, daturumque dotis nomine terras & prædia in Anglia ad valorem annuum 6800 marcarum Scoticarum, quæ ſumma ad 1700 marcas ſterlingorum diſertis verbis redire memoratur. Intra paucos pôſt annos auctior nonnihil factus eſt Scoticæ pecuniæ valor: 16. enim Martii, anno MDLV. i. e. ex computatione Romana MDLVI. acto ſecreti conſilii *(p)* decretum eſt, ut ex uncia auri quatuor nummi aurei fabricarentur, ſinguli tres libras Scoticas valituri. Quòd ſi eadem tum, quæ Jacobi IV. tempore obtinebat, inter auri & argenti pretia, proportio ſervabatur, oportet nummos ex argenti libra ponderali eo tempore factos 13 ferè libris numeralibus fuiſſe æſtimatos. Cùm autem eodem tempore apud Anglos ex libra argenti ponderali, 60 ſolidi *(q)*, ſive tres libræ numerales, excuderentur, (quam ferè normam gens illa in hunc uſque diem retinet;) hoc pacto aliquanto plus quàm quatuor libræ Scoticæ ad unam Anglicam conficiendam requirebantur *(r)*. Mirandum verò eſt quantis ab eo tempore auctibus, & quàm præcipiti gradu monetæ apud nos valor percreverit. Circa annum enim MDLX. una Anglica quinque librarum Scoticarum pretium æquâſſe videtur. Certè haud multò pòſt, i. e. 22. Decembris anni MDLXV. ex acto ſecreti conſilii feriri juſſus eſt nummus ille

Sub Regina Maria.

(n) In chartulario eccleſiæ Moravienſis, quod in JCtorum bibliotheca ſervatur, fol. 118. b. *(o)* Apud Rymerum act. publ. tom. 15. p. 29. Confer etiam quæ ſuper hac re annotat Reverendiſſimus Rob. Kethus, in accuratiſſima ſua rerum Scoticarum, tum eccleſiaſticarum, tum civilium, à reformatæ apud nos religionis primordiis deducta hiſtoria, vol. 1. p. 36. *(p)* Apud illuſtriſſimum Hadintoniæ Comitem, in collectaneis ſuis ex tabulis Parliamentariis, curiæ Scaccarii, & ſecreti conſilii deſumptis, fol. verſo 123. *(q)* Vide Fletwodi chron. pret. p. 53. *(r)* Cum his ferè conſentit cl. Tho. Cragius in prædicto ſuo de regnorum Britanniæ libro, ubi ſuprà, his verbis: "Quod ad me attinet, *inquit*, antequam è pueris "exceſſeram, *(natus eſt autem egregius ille vir anno* 1548.*)* denarii noſtri quatuor denarium ſive num-"mum Anglicum in pretio æquabant." At hîc numerum rotundum, neglectis minoribus partibus, Cragium noſtrum adhibuiſſe exiſtimaverim.

(cujus ſuprà (ſ) meminimus) argenteus maximi moduli, qui unciæ Tricaſſenſis pondus, puritatem 11 denariorum haberet, ac pro 30 ſolidis diſcurreret: item alii duo minores ex eadem maſſa, juſtâ proportione ſervatâ, nummi, quorum alter 20, alter 10 ſolidos valeret (t). Ex his haud paucos, eo anno, ut & duobus ſequentibus percuſſos, viri rei nummariæ ſtudioſi in ſuis cimeliarchiis aſſervant. Ex eorum autem hac deſcriptione liquidò apparet, Scoticam eo tempore monetam cum Anglica comparatam eam inter ſe rationem habuiſſe quam habent 6 ad 1. Tum enim apud Anglos uncia argenti 5 ſolidis erat æſtimata (u).

Sub Jacobo VI.

Id præterea oſtendunt nummi ſub initiis Jacobi VI. i. e. anno MDLXVII. quatuorque ſequentibus, unciali itidem pondere excuſi, quibus omnibus numerus xxx. valorem tot ſolidorum indicans, eſt impreſſus. In primis illis, anno MDLXVII. fabricatis, debita retinetur (x) 11 denariorum puritas; & veriſimiliter etiam in reliquis ejuſdem generis nummis. Anno MDLXXI. à Comite Leviniæ, tum Prorege, Dominiſque ſecreti conſilii præſcriptum eſt (y), ut duo nummi argentei percuterentur, quibus *liga* eſſet novem tantùm denariorum, i. e. qui quartam æris portionem admiſtam haberent: ut alterius (marcæ appellandæ) pondus eſſet 11 denariorum 12 granorum Tricaſſenſium, alteri dimidium ejus ponderis, nomenque dimidiæ marcæ daretur; utque poſtremò utrique ex antica parte inſcriberetur, JACOBVS 6. DEI GRATIA REX SCOTORVM, ex poſtica carduus cum corona ſuperpoſita, additâ hâc perigraphe, NEMO IMPUNE LAEDET 1571, atque à cardui lateribus, illi xiii. 4. huic vi. 8. Horum autem nummorum percuſſuram impediiſſe videntur res apud nos tum turbulentiſſimæ, & quæ non multò pòſt ſecuta eſt Proregis cædes. Nulli certè, quod ſciam, nummi Scotici exſtant hâc emblematicâ ſententiâ inſcripti, NEMO IMPUNE LAEDET. Quæ autem magis arguta & ad rem appoſita eſt viſa, NEMO ME IMPUNE LACESSET, non ante annum MDLXXVIII. in nummis noſtris conſpicitur. Cæterùm, ex horum nummorum deſcriptione palam eſt Proregem, alioſque qui ad rerum apud nos ſub Jacobo VI. gubernacula tum ſedebant, conſtituiſſe, ut pecuniæ ex una ejuſmodi libra ponderali cudendæ valor extrinſecus eum quem anno MDLXVII. pecunia noſtra habebat, 1 libra 19 ſol. 4 den. 1 q. computatitiis ſuperaret.

Ex contractu inter Jacobum Mortoniæ Comitem, tum Scotiæ Proregem, & Johannem Atchiſonum rei monetariæ magiſtrum, & Abrahamum Paterſonum Flandrenſem, 5. Martii anno MDLXXVI. (juxta computationem Rom. MDLXXVII.) inito (z), intelligimus monetam noſtram argenteam ad legem 8 denariorum redactam, h. e. trientali æris parte immiſtâ corruptam fuiſſe. Id enim faciendum partes contrahentes paciſcuntur. Quæ nummorum ſpecies tum excudendæ eſſent, aut qui deberet eſſe eorum valor, in eo contractu non memoratur. Quòd ſi ex libra argenti, tanto æris intertrimento adulterati, tot marcæ, ſolidi & denarii, quot ex priore illo Proregis Levinii acto deſtinabantur, tum percuſſi erant; neceſſe eſt monetæ noſtræ pretium octavâ adhuc marcæ, ſolidi vel denarii parte auctius fuiſſe. Id quò magis credamus facit avarum, atque ad rem ſuam quàm ad publicam attentius, Mortonii ingenium (a): rem verò penè extra dubium ponit lex in comitiis publicis 25.

(ſ) Pag. 64. (t) Vide actum ipſum in ſuprà laudata Rob. Kethi hiſtoria, append. p. 118. (u) Vide Fletwodi chron. pret. p. 54. (x) Ita enim præcipit ſecreti conſilii edictum, penult. Aug. 1567. apud Comitem Hadintoniæ collect. p. 132. a. (y) Apud Comitem Hadintoniæ collect. p. 158. a. (z) Ibid. p. 185. b. (a) Imò, ſi anonymo de rebus à quatuor Scotiæ Proregibus, Jacobo VI. adhuc puero, geſtis ſcriptori credimus, Mortonius, antequam Prorex eſſet, ex argento multo ære deturpato ſemimarcas, earumque dimidia, Dalkethi fabricari fecit, quæ & diu poſtea, inquit ille, in Scotia curſum tenuere, MS. in biblioth. Jurid. fol. 56. b. Idem porrò narrat, fol. 80. a, Mortonium, cùm reipublicæ adminiſtrandæ præeſſet, in pecuniis ex redditibus regiis provenientibus, nullas niſi quæ optimæ notæ eſſent accipere voluiſſe; in opificum verò mercedibus ſolvendis adulteratam illam monetam, contra jus faſque, obtruſiſſe.

Julii

Julii MDLXXIX. lata *(b)*, quâ moneta ad puritatem 11 denariorum revocatur; virisque præterea ad id deputatis auctoritas est commissa, ut rationem inirent, quâ nummorum xxx. xx. & x. solidorum, itemque testonum, extra regnum deportatio inhiberetur. Multoque adhuc clariùs eadem res patescit ex altera lege *(c)* paullò post 24. diem Octobris anno MDLXXXI. edicta, quâ, post commemoratam *ingentem rerum omnium raritatem, multaque alia incommoda, ex nuperæ monetæ pretio altiùs quàm oportebat evecto orta*, statutum est, *ut omnis illa* [haud dubiè Mortonii jussu] *nuper cusa moneta, ad summam* 211 *petrarum*, 10 *librarum, pondere se extendens, ad officinam monetariam deferatur; utque ex ea, ad* 11 *denariorum puritatem redacta, nummi argentei* 10 *solidorum, singuli quadrantem unciæ pendentes, conficiantur.* Item, *principi regiæ monetæ cusori potestas est permissa, monetam ad* 11 *denarios puram, tum in regno cursum habentem, præcipuè nummos* xxx. xx. *&* x. *solidorum, ut & testones, confringere, ex iisque novam monetam ejusdem puritatis, ad* 40 *solidorum pro qualibet uncia valorem, recudere (d).* Horum omnium anno sequente MDLXXXII. excusorum, inscriptis (pro stato singulorum pretio) numeris xl. xxx. xx. x. in hoc volumine figuræ exhibentur. Unde etiam & illud manifestè constat 24 libras tum Scotorum computatitias ex una ponderali factitatas, earumque octo ad unam Anglicam explendam postulatas fuisse.

Crescebat interea (non obstantibus quæ id fieri vetabant variis legibus) pecuniæ magis magisque apud nos valor: adeò ut tres regni ordines, non suâ quidem sponte, sed, ut grassanti indies huic malo aliquem, si fieri posset, modum imponerent, lege anno MDXCVII. lata *(e)*, ejus valorem auctiorem adhuc facere, vel veriùs monetæ argenteæ ex una uncia percussæ pretium intra 50 solidos, aureæ verò intra 30 libras, coërcere necesse habuerint. Hoc pacto eò res deducta est, ut unus Anglicus decem ejusdem nominis apud nos nummos pondere, ac proinde valore, adæquaret.

Cùm autem neque hâc, neque prioribus legibus, malesana hæc monetæ apud populum augendæ libido reprimi vel cohiberi posset, tandem, quo aliqua saltem perniciei inde orienti mora injiceretur, consultissimum Regi regnique ordinibus visum est, ut omnis pecunia, tam aurea quàm argentea, sive domi sive foris signata, ad officinam monetariam, in alios diversarum specierum nummos recudenda, deveheretur. Id quod lege 11 Septembris anno MDCI. latâ fieri jussum ostendit actum secreti consilii 1. proximi Decembris ea de re editum *(f)*, quo inter multa alia huc pertinentia præscriptum est, ut moneta aurea 22 caractarum, argentea 11 denariorum, duobus utrique infrà vel suprà remedii (quod vocant) granis monetario indultis, puritatem haberent; utque pecuniæ ex uncia hujus metalli fabricatæ valor trium librarum esset, ex illius verò, 36 libris æstimaretur. Ex hoc autem edicto certissimè novimus, monetam Anglicam duodecies Scoticam æquâsse, eandemque proportionem aurum inter argentumque constitutam fuisse *(g)*.

Atque

(b) In actis Parliamentariis typis haud impressis. *(c)* Jac. VI. parl. 7. cap. 106. & 107. *(d)* Eadem lex anno 1583. servata; in instrumento enim 22. Octobris ejus anni scripto, quo Rex omnes auri, argenti, aliorumque in Scotia metallorum fodinas Eustathio cuidam Roghe Medico & sociis locat, uncia purissimi auri xxii. libris Scoticis, purissimique argenti uncia xl. solidis ejusdem monetæ taxantur. *Apud Comitem Hadintoniæ in collect. fol.* 203. b. *(e)* Jac. VI. parl. 15. cap. 249. ita enim in D. Jo. Skenæi, & D. Tho. Moravii editionibus perperam numeratur: at rectiùs, ut in actis anno 1682. minore formâ editis, cap. 253. *(f)* Apud Com. Hadint. in collect. fol. 299. b. *(g)* Patricius Abercrombius, in præfatione ad suam D. Balguii [*Monsieur Beague*] belli Scotici annis 1548. & 1549. historiæ versionem Anglicam, p. 28. se ex actis Scotiæ monetariis compertum habere ait, regnante apud nos Jacobo VI. intra unius anni curriculum, excusas fuisse ex auro petras 119, sive libras ponderales 1904, ex argento verò petras 986, i. e. libras 15776; quæ summæ ad hodiernæ nostræ monetæ valorem reductæ libras Anglicas sive sterlingenses efficerent 133633. At tantam pecuniæ vim uno anno in Scotia fuisse signatam, prorsus incredibile facit ejusmodi divitiarum apud nos longè minor tum & semper aliàs quàm apud vicinos Anglos & Gallos copia. Certè apud Anglos totis illis 22 annis, quibus Jacobus noster VI. eis imperabat, referente cl. Lowndesio *tentam.* p. 103. non ampliùs quàm 1700000 libræ sterling. ex argento erant excusæ, h. e. pro quolibet anno, 77272. Huc adde, quòd multò maxima quæ illis temporibus apud nos discurrebat pecunia, non domi signata, sed ex aliis nationibus advecta fuit. Restat igitur,

quò

Atque hîc demùm pecuniæ Scoticæ augendæ, quæ nullis antea metis coërceri poterat, modus, qui adhuc ferè ſervatur, impoſitus eſt. Quod niſi altero pòſt anno Jacobus noſter VI. ad imperium in Anglos natalium jure ſibi debitum capeſſendum arceſſitus fuiſſet, pecuniamque deinceps Scoticam ad Anglicæ (quæ ab eo tempore una ferè ac ſtabilis permanſit) normam conformandam cenſuiſſet : vix dubium eſt, quin monetæ noſtræ valor extrinſecus novis ſubinde auctibus accreturus fuerit.

Variæ pecuniæ apud Scotos aliosque augendæ cauſſæ.

LX. Quamvis ab inſtituto meo nonnihil alienum videri poſſit hoc in loco inquirere, unde tot ac tam variæ in pecunia noſtra provenerint mutationes : quia tamen id nonnullis (quibus ea res minus eſt explorata) gratum fore intelligam, dabunt mihi veniam cæteri mei lectores, ſi, in eorum gratiam, quæ mea ſit ſuper hac re ſententia breviter exponam. Monetæ autem valoris, non apud Scotos modò, ſed & alias pleraſque gentes augendi, hæ mihi potiſſimùm ſe offerunt rationes.

Prima.

Et primò quidem, id ortum ex neceſſitate ſive egeſtate Principum, qui falsâ opinione ducti hoc pacto ærarii ſui inopiæ ſuccurri poſſe, pecuniam ſuam nimiâ vilioris materiæ admiſtione inquinatam fabricari, eodemque quo proba pecunia pretio taxari juſſerant. Cùm autem nullis vel ſeveriſſimis edictis efficere Principes poſſint, ut populus idem probæ atque adulterinæ monetæ pretium ſtatuat, hoc eſt, ut intrinſecum ac jure gentium ſtabilitum rei monetariæ valorem immutare velit; hinc brevi factum, ut, cùm pravæ valorem minuere legibus prohibiti non auderent, tanto probæ monetæ, quanto ea intrinſeco ſuo valore pravam exſuperat, pretium augeant.

Huc etiam referenda eſt pecunia à falſatoribus excuſa, quæ cùm plerumque infra puritatem lege præſcriptam ſubſidat, ſi curſum habere permittatur, bonæ ac legitimæ pretium apud populum attollit.

Secunda.

Secunda pecuniæ augendæ cauſſa ex eo proficiſcitur, quòd in nummorum ex variis metallis cuſorum pretiis definiendis, non juſta ea quam apud alias, præſertim finitimas gentes, hæc metalla inter ſe mutuò habent, valoris proportio obſervetur. Hoc etenim pacto, ſi aurum v. g. cum argento comparatum pluris apud Scotos, quàm vicinos Anglos, Gallos alioſque æſtimetur; neceſſariò conſequetur argenteæ pecuniæ ad alias nationes deportatio : quæ non aliter quàm aureæ pecuniæ pretio domi imminuto, vel (quod ſæpius accidit) argenteæ aucto, ſiſti poteſt. Eademque ſors erit monetæ aureæ, ſi argenti pretium ultra juſtam proportionem extendatur. Sed nulla res ad pecuniæ tum aureæ tum argenteæ apud nos pretium augendum majus momentum habuit, quam nummorum æreorum majore quàm pro intrinſeco valore æſtimatione, aut nimiâ copiâ facta percuſſio. Cùm enim ſemper ferè & ubique locorum æs præ auro atque argento ſordeat parvique habeatur, fieri vix quitum eſt, quin nummis ex vili hac materia, minore quàm oportuit pondere, majoreque quàm res poſcebat copiâ, excuſis, nummis ex nobiliore metallo percuſſis pretium intenderetur.

Tertia.

Pecuniæ apud nos valorem tertiò auxit nummorum omne genus peregrinorum invectio, liberque eis curſus permiſſus. Cùm enim tam variam tamque diverſæ legis monetam ad certum verumque examen populus nequiret revocare; ſed illius pretium, vel ex ſola nummorum magnitudine, vel ex eo quem apud ſuis habebant valore metiretur : non potuit non accidere, quin nummorum apud nos cuſorum cum iis collatorum æſtimatio vacillaret, & modò infra juſtum deprimeretur, modò (quod crebriùs evenit) eo altiùs attolleretur.

quò Abercrombii dictis fides conſtet, ut dicamus hanc tantæ pecuniæ percuſſuram factam anno 1601. quo omnes cujuſcunque generis apud nos nummi ad incudem monetariam revocari jubebantur. Neque tamen ex pecuniæ eo anno apud nos publicâ auctoritate ſignatæ copia, de universâ ejus in hoc regno tum diſcurrentis quantitate quicquam certi ſtatuere licet. Non obſtante enim hoc edicto, plurimi nummi argentei (rem certè cognitam loquor) ante hoc tempus apud nos cuſi, ad nuperam uſque duorum regnorum in unum conjunctionem, liberum atque à nemine interpellatum curſum habuere.

Ex

Ex hâc ſubnata alia eſt pecuniæ attollendæ cauſſa, quòd nimirum noſtri, Quarta.
quò monetæ, cujus penuriâ domi laborabant, majorem copiam ab exteris regionibus ad ſe derivarent, imprudenti, me judice, conſilio peregrinorum horum nummorum valorem ultra juſtum auxerint; non animadverſo hâc ipſâmet ratione nummos ſuos, pretio eorum ſic imminuto, ad alias gentes fore deportandos. Hujus rei exempla nobis ſuggerunt duæ Jacobi noſtri III. leges, altera tertiis ejus comitiis anno MCCCCLXVII. *(h)*, altera octavis ejuſdem comitiis anno MCCCCLXXV. *(i)* latæ, quibus, propter monetæ in Scotia inopiam (ex illius in alias regiones, quia minore pretio apud nos quàm illic æſtimaretur, deportatione,) variis nummorum tam domeſticorum quàm exterorum ibi memoratis ſpeciebus certa pretia, iis quæ antea habebant multò majora, conſtituuntur.

Quinta monetæ pretia augendi cauſſa ex pernicioſiſſima illa orta eſt nummorum margines accidendi conſuetudine; quæ quamvis omni ferè ævo haud levia in re pecuniaria, ac perinde commerciali, damna dederit, nunquam tamen tantopere graſſata eſt hæc peſtis, ac noſtrâ patrumque noſtrorum memoriâ, quâ plerique omnes nummi, niſi quos molæ & præli artificium ab hac injuria incolumes præſtabat, ita attondebantur, ut ſæpe tres duntaxat veri ponderis partes, interdum ſolæ duæ relinquerentur *(k)*. Quantum verò non ſolùm ad pecuniæ integræ, ſed & auri argentique infecti pretium accendendum improbiſſima hæc fraus valeat, res ipſa declarat. Certè non ita pridem, regnante apud nos Gulielmo Arauſionenſi, nefariâ hacce nummorum oras abſcindendi, aliiſque pravis artibus, eò res perducta eſt *(l)*, ut nummi aurei (quas *Guineas* vulgò vocamus) qui pro 20 ſolidis Anglicis primùm erant percuſſi, ad 30 aſſurrexerint; uncia autem argenti infecti, quæ priùs (uti & nunc) 5 ſolidis 2 denariis penſabatur, ad pretium 6 ſolidorum 5 denariorum provecta fuerit *(m)*. Neque huic indies ingraveſcenti, & rerum omnium exitium ſecum trahenti malo aliter obviam iri poterat, quàm periculi quidem (utpote duriſſimi belli tempore) plenâ, ſed tamen neceſſariâ lege ſancitâ, quâ juſſum eſt, ut omnis argentea moneta, præter eam quæ molæ prælique operâ erat ſignata, ad officinas monetarias denuò recudenda deferretur. Quinta.

His pecuniæ valorem attollendi cauſſis poſtremo loco accenſeri debet, quam Sexta.
commercii lancem vulgò nominamus, i. e. pecuniæ inter diverſas gentes, ex mutuis hinc illinc commerciis, ut JCti loquuntur, *pariationem* vel *reliquationem*. Si enim gens aliqua ita ſubductas habeat publicas rationes, ut pecuniæ ex mercium negotiatione in ipſam ex aliis gentibus invectæ copia eam quæ inde transfertur ſuperet, vel etiam æquet; facile eſt illi genti curare, niſi aliqua alia cauſſa interveniat, ne monetæ ſuæ pretium immodicè augeatur, vel auctum multum detrimenti ſecum adferat. Si cui autem genti adeò infelici eſſe contigerit, ut pecunia ex ea exportata importatæ quantitatem excedat, fieri vix poteſt, quin moneta, quæ hoc pacto rarior in ea gente magis magiſque efficietur, indies etiam rarior ſive pretio auctior in eadem ſit evaſura.

Atque hæ, ſi non omnes, præcipuæ certè erant valoris pecuniarum apud nos augendi cauſſæ. At eæ neutiquam (ut dixi) Scotis propriæ, ſed aliis penè omnibus (quibus uſus pecuniæ eſt) nationibus ferè communes. Id quod magna ex parte facile, ſi otium eſſet, foret demonſtratu. Apud Anglos quidem, ſummâ eâ quâ in re monetaria regenda ſedulitate gens illa eſt uſa, præſertim peregrè advectorum nummorum apud ſuos curſu interdicto, effectum eſt, ut eorum pecunia minoribus quàm aliorum populorum incrementis fuerit aucta. A Gulielmi enim Normanni in hunc uſque diem temporibus, tri-

(h) Cap. 18. *(i)* Cap. 22. & 23. *(k)* Quin ex periculo ea de re ab accuratiſſimo Gul. Lowndeſio (cujus ipſe in ſuo tentamine, p. 106. & ſeqq. meminit) facto, apparuit nummos Anglicos hac deteſtabili fraude ante id tempus acciſos dimidiam fere ſui ponderis partem amiſiſſe. *(l)* Vide eund. clariſſ. Lowndeſium, p. 68, 70, & 77. *(m)* Quòd aurei tam apud Anglos nummi ad majus quàm argentei pretium, pro rata inter hæc duo metalla valoris proportione, aſſurrexerint, hanc rationem reddit cl. Lowndeſius, p. 88. quòd gens illa ad aurum ſuum plus nimio æſtimandum ſemper proclivis fuerit.

plicatus & pauxillo ampliùs tantùm est monetæ apud Anglos valor: tum enim ex libra ponderali 20 solidi excudi solebant, nunc verò ex eadem 62 conficiuntur. Apud Gallos autem, gentem licet divitiis abundantem, longè diversum nacta est pecunia fatum. Nam 20 solidi, qui à Caroli M. ad Philippi usque I. ætatem, referente Blancio *(n)*, veram ferè libram, aut 12 uncias, pondere æquabant; tunc, cùm hæc ille scriberet, i. e. anno MDCXC. non nisi 7 denarios & 3 grana pendebant; ut proinde vetus ille Gallorum solidus hunc recentiorem pondere quadragies superârit. Nunc verò, aucto sæpiùs ab eo tempore monetæ ejus gentis valore, libra Gallica numeralis vix sexagesimam illius ponderis, quod prisca illa Caroli M. libra habebat, partem retinet. Quòd si ad alias Europæ gentes, Germanos, Belgas, Italos, &c. transierimus; si non paria, haud multò certè minora inveniemus variis temporibus facta apud eos pecuniæ incrementa. Ad monetam verò Scoticam (ut illuc redeam) quod attinet, ex iis quæ superiùs diximus apparet extrinsecum ejus valorem 36 vicibus supra eum quem Davidis nostri I. tempore ea tenebat, anno MDCI. surrexisse.

De gravibus damnis ex crebris pecuniarum augmentis promananti-bus.

LXI. Priùs autem quàm hanc partem absolvam, unum adhuc restat animadversione nostrâ magnopere dignum; insignis nimirum illa jactura, quæ non ad privatorum modò fortunas, sed & ipsorum Principum census & patrimonia, ex crebris illis pecuniarum augmentis redundârit. Id verò præcipuè ac ferè necessariò eveniebat in statis illis, vel in perpetuum, vel ad diutinum tempus, ex diplomate vel pacto aliquo faciendis, certæ pecuniæ solutionibus. Cùm enim in ejusmodi instrumentis, vel simpliciter tot libræ, solidi, denarii solvendi exprimerentur, vel (quod haud rarò fieri solebat) adderentur voces *bonæ & legalis* hujus illiusve regni *monetæ*; fieri non potuit, quin, aucto nummorum valore, tantundem ferè de tot librarum, solidorum, denariorum summa (qualis ea concessionis aut pacti tempore erat) decederet, quantum priores illæ libræ posteriores hasce (ejusdem licet numeri & appellationis) pondere superabant. Neque vocis *Sterlingorum* (quam in antiquioribus chartis & syngraphis frequentissimè invenimus) adjectio rem vel minimùm adjuvit: quamvis enim hæc vox pro pondere æquè ac puritate pecuniæ primitùs usurpata videatur, longè tamen crebriùs obtinuit, ut nihil eâ aliud significaretur, præter nummorum (ut suprà *(o)* diximus) numerandorum probitatem. Ex hoc autem pecuniæ crescente identidem, præter paciscentium mentem, sæpe etiam & exspectationem, valore, damnisque inde obvenientibus variæ lites disceptationesque sunt subortæ; quæ uberem Jureconsultis dicendi scribendique materiem præbuere. Ad has, quantum pote, evitandas, variæ leges latæ, variæque in ipsis instrumentis conditiones erant adjectæ: illa in primis quâ cautum fuit, ut si fortè augeretur externus monetæ valor, tot nummi ad pactam summam conficiendam penderentur, quot currenti tum (i. e. instrumenti scribendi tempore) in illo regno pecuniæ pondere & puritate responderent. Interdum (ut in superiùs *(p)* memorata Gavinum Dunbarum inter & Willelmum Sutherlandium conventione) monetæ pro qualibet libra vel marca solvendæ puritas & pondus nominatim definiebantur. At multò major hominum pars, hac curâ in pactis suis sanciendis posthabitâ, in ea quæ diximus ex mutato pecuniæ valore orta detrimenta incauti inciderunt. Quibusdam grandia vel exilia, ut tum videbantur, rerum pretia fraudi fuerunt. Hic enim, cùm ex prædio aliquo ad emphyteusin vel ad longum tempus locato certum *bollarum* frumenti numerum quotannis perciperet, si annonæ inopia ac proinde caritas ingrueret, ita ut bolla frumenti ad semimarcam v. g. Scoticam (quod ingens Jacobi nostri I. tempore pretium erat) assurgeret, ex præsenti de futuro rerum statu judicans, è re sua se facturum existimabat, si emphyteutam vel conductorem ad frumentum in pecuniam convertendum, atque pro singulis quas prius numeraverat bol-

(n) De monet. Franc. p. 17. *(o)* Pag. 63. *(p)* Pag. 73.

lis

lis ſingulas ſemimarcas ſibi pendendas inducere poſſet. Alius contrà, qui fundum pro annua quadam pecuniæ ſumma locatum poſſidebat, in magna frumenti caritate, bene ſibi ſuæque rei familiari conſulturum ſe putabat; ſi domino perſuadere poſſet, ut pecuniæ antea perſolutæ loco, tantum frumenti, quantum eam ſummam ex præſenti illius divenditi pretio penſaret, à ſe in poſterum accipere vellet. Hæc atque ſimilia inter noſtrates pacta inita ſæpiùs commemorata audivi; at quantopere ſpes ſua paciſcentes fefellerit, quamque ſuis ſucceſſoribus damnoſæ tales tranſactiones fuerint (*q*), quæ de aucto toties apud nos monetæ valore ſuprà tradita ſunt, ſatis ſuperque commonſtrant.

Nulli autem ex amplificatis ſine fine nummorum pretiis graviorem jacturam ſenſerunt, quàm ipſi populorum Rectores ac Præſides: quorum redditibus quantum hâc unâ ratione detractum ſit, dici non poteſt. Pro innumeris, quæ memorari poſſunt, liceat hoc unum proferre exemplum. Alexandri noſtri III. aut eo circiter tempore, Willelmus de Maulea, Baro de Panmore, pro relevio ſuo, ſive aditione hereditatis, 122 libras 10 ſolidos Regi ac domino ſuo ſuperiori ſolvere tenebatur. Ex ea ſumma 82 libras 10 ſolidos Edwardus I. Anglorum Rex, qui ſe ſuperiorem dominum regni Scotiæ tum venditabat, Willelmo condonavit: reliquas 40 libras ſibi per manum Camerarii Scotiæ ad tres proximos terminos reddendas præcepit. Hujus rei documentum habemus illius Regis ad M. Alanum de Dunfres, à ſe conſtitutum Scotiæ Cancellarium, miſſum reſcriptum; quod ideò ex apographo in turre Londinenſi aſſervato æri inciſum hîc libuit exhibere. Cæterùm teſtimonio ſpectabilis viri, Joannis Maulii, cauſarum patroni, ac illuſtriſſimi Comitis de Panemure germani, confirmatum habeo; perantiquæ hujus familiæ heredes ab eo ad hunc uſque diem tempore, non amplius quàm 40 libras, imminuto quantumvis earundem intrinſeco valore, pro releviis ſuis pendere conſueviſſe. Hoc autem pacto, cùm 40 illæ libræ, (ut reliquam ſummam ab Edwardo I. condonatam præter-

Charta EDWARDI I. Regis Angliæ
Willelmo de Maulea de PANEMORE

(*q*) Detrimenta ex imprudentibus ejuſmodi tranſactionibus, ſive quas *compoſitiones* vocamus, orta, variis exemplis illuſtrat reverendiſſimus ac in patriæ ſuæ antiquitatibus indagandis ſolertiſſimus vir Whitus Kennetus, in antiquitatibus ſuis parochialibus, p. 603. & ex eo cl. Fletwodus in chron. pret. p. 175.

eam)

eam) ad ſuprà traditos calculos exactæ, tricies ferè & ſexies 40 hodiernæ noſtræ pecuniæ libras æquarent, i. e. 1440 Scoticas, ſive 120 Anglicas, quales nunc ſunt, intrinſeco ſuo valore effecturæ eſſent; adeòque regium patrimonium, ex aucto extrinſeco monetæ noſtræ pretio, hoc uno nomine, tantum damni ſuſtinuerit: quantam exiſtimabimus eam eſſe, quæ in infinitis id genus aliis ex eadem cauſſa ei facta ſit jactura (r)?

Atque hæc aliaque ejuſmodi ex aucto nummorum valore orientia incommoda, haud immeritò accidiſſe videri poſſunt iis Regibus, qui monetam ſuam corrumpendo ejus pretium auxerunt, eâque ratione, non (quod illi animo agitabant) ærarii ſui locupletandi, ſed vehementer attenuandi auctores fuere. Hujus rei gnari prudentiores Principes, ut & regni proceres, ad quos pars hujus mali haud exigua pertinebat, creſcenti indies monetæ valori ſummâ quidem ope obſiſtere nitebantur (ſ): at quæ huic morbo adhibuere remedia, cùm non ad ipſum rei fontem primamque originem penetrârent, irrita plerumque atque inutilia fuere.

Tabulæ varium variis temporibus monetæ Scoticæ valorem repræſentantes.

LXII. Expoſito ad hunc modum, quatenus eum ex regni ſtatutis, aliiſque publicis privatiſque monumentis indagare nobis licuit, monetæ Scoticæ per varia ſecula ſtatu & valore; quo omnia faciliùs diſtinctiùſque intelligi queant, duas hîc tabellas viſum eſt ſubjicere: in quarum altera monetæ noſtræ aureæ, in altera verò argenteæ, variis temporibus, puritas, temperatura & æſtimatio, in priore etiam auri argentique inter ſe apud nos valoris proportio, uno quaſi oculi conjectu cognoſcendæ proponuntur.

TABULA I.

In qua quot ex libra auri ponderali, libræ, ſolidi & denarii Scotici numerales variis temporibus fabricati eſſent, eorumque intrinſeca puritas, aurique ad argentum proportio oſtenditur.

A. D.	*Anno regni.*		*Puritas.*			*Allaia, ſive mixtura.*			*Nummorum ex libra auri cuſorum valor.*			*Libra auri puri penſabat argenti puri,*			
			unc.	*den.*	*gr.*	*unc.*	*den.*	*gr.*	*lib.*	*ſol.*	*den.*	*lib.*	*unc.*	*den.*	*gr.*
1371 &c.	Roberti II.	—	11	18	18	0	1	6	17	12	0	11	1	17	22
1390 &c.	Roberti III.	—	11	18	18	0	1	6	19	4	0	11	1	17	22
1424	Jacobi I.	19	11	18	18	0	1	6	22	10	0	11	1	17	22
1451	Jacobi II.	15	11	18	18	0	1	6	33	6	8	9	8	4	14
1456	——	20	11	18	18	0	1	6	50	0	0	9	8	4	14
1475	Jacobi III.	16	11	18	18	0	1	6	78	15	0	10	2	0	20
1484	——	24	11	18	18	0	1	6	78	15	0	10	5	7	9
1488	Jacobi IV.	1	11	18	18	0	1	6	78	15	0	10	5	7	9
1529	Jacobi V.	16	11	18	18	0	1	6	108	0	0	10	5	7	9
1556	Mariæ	14	11	0	0	1	0	0	144	0	0	10	5	8	6
1577	Jacobi VI.	10	11	0	0	1	0	0	240	0	0	10	5	8	6
1579	——	13	10	10	0	1	10	0	240	0	0	11	5	2	20
1597	——	31	11	0	0	1	0	0	360	0	0	12	0	0	0
1601	——	35	11	0	0	1	0	0	432	0	0	12	0	0	0
1633	Caroli I.	9	11	0	0	1	0	0	492	0	0	13	2	7	11
1738	Georgii II.	12	11	0	0	1	0	0	560	14	0	15	2	10	7

De hac Tabula, NOT. I. *Ut valoris apud nos inter aureos argenteoſque nummos variis temporibus ſervata proportio faciliùs intelligatur, potius viſum eſt puritatis in nummis aureis gradus per uncias, denariata (ſive*

(r) Ex his (ut id obiter adjiciam) videre licet quàm non ſatis ex merito vituperari ſoleat optimus Regum David noſter I. quòd multa cœnobia fundando, ampliſque proventibus ditando patrimonium regium magnopere attriverit. Primùm enim, quas in ejuſmodi pios uſus religioſiſſimus is Princeps opes erogavit, non admodum largæ, aut pro moribus illorum temporum immodicæ fuere. Deinde, quod hîc præcipuè notari velim, hæc ejus ad rem divinam promovendam munificentia haud adeò patrimonium ſuum gravabat, ut non cenſus ſatis amplus, atque ad ſumptus regiæ familiæ pro dignitate alendæ, aliiſque publicis uſibus ſuppeditandos, abundè ſufficiens ſupereſſet. Ex iis enim quæ de vario monetæ noſtræ variis temporibus ſtatu diſſeruimus, nemini dubiam futurum exiſtimo, quin Davidis noſtri I. ætate patrimonium regium, non modò ſatis lautum & copioſum, ſed & vigecuplâ minimùm proportione eó, quale Jacobi VI. tempore, ex aucto pecuniæ apud nos valore, ut alios caſus taceam, effectum eſt, locupletius fuerit. (ſ) Vide de hac re ſtatuta ſuprà citata Jacobi III. parl. 3. cap. 18. & parl. 4. cap. 22. & 23. & parl. 7. cap. 50. in fine, in primis verò ſtatutum ſuprà etiam citatum Jacobi VI. parl. 15. cap. 249. [*veriùs* 253.] Legi etiam merentur, quæ ſuper hac re diſſerit vir ſubacti judicii Ricius Vaughan, in libro de nummis & monetæ percuſſione tempore Caroli I. ſcripto, pag. [edit. Lond. 1675.] 50, 173, 176. Item Bodinus de augmento & decremento auri & argenti, & quomodo ei occurrendum ſit; Et Fr. Blancius de monet. Franc. p. 472. & ſeqq. ubi procerum regni de turbis ex mutato monetæ valore ortis, earumque remediis, conſilia Henrico III. anno 1575. exhibita, perſcribuntur.

Penny-weight)

penny-weight) & *grana, quàm per caractas earumque fractiones, distinguere: eòque magis quòd (ut supra docuimus pag. 60.) cudendæ apud nos monetæ magistri, non, ut Angli, caractarum minutias in 4 grana, neque, ut Galli, in 2. 4. 8. &c. partes; sed, Germanorum more, in 12 grana, dividere solebant.*

Not. 2. *Deperditis apud nos rei monetariæ actis & commentariis, in nummorum aureorum pretiis, eorumque ad argenteos proportionibus, sub Roberto II. & III. interdumque sub aliis Regibus, definiendis, nullam aliam, quam tutò sequeremur, normam habuimus, præter solam analogiam, i. e. eam, quæ vel tum apud Anglos, vel aliis temporibus apud nos obtinebat, harum monetarum rationem. Neque tamen propterea nos multum extra veri metas delatos sperare fas est.*

Not. 3. *In nonnullis quidem à nostra computatione dissentit exquisiti vir judicii Gul. Fletwodus, qui in chronico suo pretioso, pag. 26. scribit, aurum inter argentumque apud Anglos eandem ferè ab Edwardi III. ætate ad sua usque tempora servatam, hoc est, hujus ad illius proportionem ut* 15 *circiter ad* 1. *fuisse. Sed dum vir aliàs accuratissimus, neque suæ quæque ætati aptat, neque ullam in hac re rationem habet alienæ materiæ huic illive metallo diversis temporibus admixtæ, graviter (sit dicto venia) à via recti deerrat. Quippe si aurum purum cum argento puro (quod factum oportuit) contulisset, rem longè aliter atque ipse tradit se habere deprehendisset. Hoc etenim pacto, juxta suos & Lowndesii calculos (ut exemplis quibusdam res agatur) libra auri anno* 27 *Edwardi III. argenti libras* 11. *unciam* 1. *denariata* 17. *grana* 22. *valore æquabat. An.* 9. *Henrici V.* 10. 3. 19. 13. *An.* 36. *Henrici VIII.* 6. 9. 16. 8. *An.* 37. *ejusdem* 5. 0. 0. 0. *An.* 4. *Edwardi VI.* 2. 0. 2. 13. *An.* 2. *Elizabethæ* 11. 1. 17. 22. *An.* 43. *ejusd.* 10. 11. 9. 13. *An.* 1. *Jacobi I.* 12. 2. 9. 15. *anno denique* 22 *Caroli II.* 14. 5. 16. 11. *nunc verò hoc anno* 1738, 15. 2. 10. 7. *quæ & hodie totâ ferè Europâ argenti ad aurum proportio est. Si cui animus est de varia apud varias gentes auri ad argentum proportione plura inquirere, adeat Gul. Budæum de asse, lib.* iii. *Matth. Hostum, in historica antiquitate rei nummariæ, lib.* v. *cap.* 4. *Jo. Fr. Gronovium de pecun. vet. lib.* ii. *cap.* 7. & 8. *supra laudatum Ricium Vaughan (qui eandem ferè apud Anglos quam nos horum metallorum inter se rationem constituit) cap.* 4. *Jo. Arbuthnetum in dissert. de vett. nummis, cap.* 6. *&c. præcipuè verò (quod ad hodiernum monetæ in plerisque orbis regionibus statum attinet) calculum ea de re ab incomparabili viro* D. *Is. Newtono, officinarum monetalium apud Anglos tum præfecto* 17 *Sept. anno* 1717 *scriptum.*

TABULA II.

In qua perspici potest quot libræ, solidi, denarii Scotici numerales, ex una argenti libra ponderali variis temporibus essent excusi; simulque pes illius monetæ, sive diversi sub diversis Regibus puritatis in ea gradus indicantur.

A. D.	*Anno regni,*		*Puritas.*			*Allaia.*			*Nummorum ex libra argenti cusorum valor,*		
			unc.	*den.*	*gr.*	*unc.*	*den.*	*gr.*	*lib.*	*sol.*	*den.*
ab anno 1107 *ad* 1296	Alexandri I. Davidis I. Gulielmi. Alexandri II. Alexandri III. Joannis		11	2	0	0	18	0	1	0	9
ab anno 1306 *ad* 1329	Roberti I.		11	2	0	0	18	0	1	1	0
1366	Davidis II.	38	11	2	0	0	18	0	1	5	0
1367	———	39	11	2	0	0	18	0	1	9	4
ab anno 1371 *ad* 1390	Roberti II. —		11	2	0	0	18	0	1	9	4
1393	Roberti III.	4	11	2	0	0	18	0	1	12	0
1424	Jacobi I.	19	11	2	0	0	18	0	1	17	6
1451	Jacobi II.	15	11	2	0	0	18	0	3	4	0
1456	———	20	11	2	0	0	18	0	4	16	0
1475	Jacobi III.	16	11	2	0	0	18	0	7	4	0
1484	———	24	11	2	0	0	18	0	7	0	0
1488	Jacobi IV.	1	11	2	0	0	18	0	7	0	0
1489		2									
1529	Jacobi V.	16	11	0	0	1	0	0	9	12	0
1544	Mariæ	3	11	0	0	1	0	0	9	12	0
1556	———	14	11	0	0	1	0	0	13	0	0
1565	———	23	11	0	0	1	0	0	18	0	0
1567	Jacobi VI.	1	11	0	0	1	0	0	18	0	0
1571	———	5	9	0	0	3	0	0	16	14	0
1576	———	10	8	0	0	4	0	0	16	14	0
1579	———	13	11	0	0	1	0	0	22	0	0
1581	———	15	11	0	0	1	0	0	24	0	0
1597	———	31	11	0	0	1	0	0	30	0	0
1601	———	35	11	0	0	1	0	0	36	0	0
1738	Georgii II.	12	11	2	0	0	18	0	37	4	0

LXIII. Ex ſupra traditis, ac præſertim ex binis hiſce tabellis, facile datur intelligere, quàm egregiè in veteris noſtræ pecuniæ rationibus exputandis hallucinentur, non imperitum vulgus modò, ſed viri etiam docti rerumque prudentes, qui, cum in antiquis ſcriptis commemoratum inveniunt, vel fando accipiunt, bollam v. g. tritici 10, 12, 14. &c. denariis, lagenam vini 2 denariis, gallinam obolo, &c. æſtimatam; protinus, harum pecuniæ appellationum eundem olim, atque nunc eſt, valorem intrinſecum fuiſſe exiſtimantes, Hui, exclamant, quanta illis temporibus apud nos fuit nummorum penuria, cum res, quæ nunc tam carè veneunt, tantillo tum pretio emerentur. Verùm ſe rem longè aliter habere ex ſuperioribus patet, & nominatim, denarium, ſolidum, libram, Davidis noſtri I. ac diu poſtea ætate, tricies ſexies; Jacobi I. duodevigeſies; Jacobi II. novies; Reginæ Mariæ bis, eum ferè quem nunc hæ appellationes habent valorem intrinſecum, ſive materiæ pondus, in ſe comprehendiſſe. Quò autem tota hæc res paullo dilucidior manifeſtiorque evadat, haud inutile futurum exiſtimavi veterem noſtram inter & hodiernam pecuniam proportionem quibuſdam exemplis, ex priſcis noſtris legibus aliisque monumentis petitis, ob oculos Lectoris hîc proponere.

TABULA III.

In qua vetuſtiora rerum quarundam pretia ad eorum in hodierna noſtra moneta valorem reducuntur.

Rerum pretia.	*in pecunia Scot. vetere.*			*In pecunia Scot. hodierna.*		
	lib.	*ſol.*	*den.*	*lib.*	*ſol.*	*den.*
Tempore Davidis I. A. 1124, &c.						
Bollæ tritici	—	—	10	1	10	—
—— ejuſdem	—	1	—	1	16	—
—— ejuſdem *(t)*	—	2	—	3	12	—
Lagenæ vini *(u)*	—	—	2	—	6	—
2 lagenarum cerviſiæ *(x)*	—	—	1	—	3	—
2 ovium *(y)*	—	1	4	2	8	—
Juvencæ *(z)*	—	3	—	5	8	—
Vaccæ *(a)*	—	6	—	10	16	—
Tempore Ja. Balioli, 1292, &c.						
Gallinæ *(b)*	—	—	½	—	1	6
Lagenæ cerviſiæ cum dimidio *(c)*	—	—	1	—	3	—
Tempore Jacobi I. 1424.						
Bollæ tritici *(d)*	—	2	—	1	18	—
—— ſecalis, hordei, piſi	—	1	4	1	5	4
—— avenæ	—	—	6	—	9	6
Bovis	—	6	8	6	6	8
Equi	—	13	4	12	13	4
Tempore Jacobi IV. 1489.						
Vervecis *(e)*	—	3	—	—	15	10
Bovis ſaginati	—	15	—	3	19	3
100 aſellorum majorum ſalitorum, Kelings	3	—	—	15	17	1
100 aſellorum minorum, Haddocks & Speldings	—	1	4	—	7	0
Pintæ aceti	—	—	8	—	3	6
Pintæ mellis	—	1	6	—	7	11
24 porcorum	10	—	—	52	17	1
Tempore Jacobi V. 1523.						
Bollæ farinæ & hordei promiſcuè *(f)*	—	13	4	2	11	4
Gallinæ	—	—	4	—	1	3
* Salarium quindecimviris ſive ſupremi apud nos fori Judicibus (quos vulgò *Senatores* ſive *Dominos Collegii Juſtitiæ*						

appel-

(t) Ex codice antiquarum noſtrarum legum [MS. in Bibl. Jurid.] in quo aſſiſa panis, ſive illius pro obolo vendendi quantitas, ex pretio bollæ tritici a 10 denariis ad 3 ſolidos, perſcribitur, *Legg. Burgorum, cap.* 120. *& ſeqq.* *(u)* Ibid. de aſſiſa vini, *cap.* 134. *(x)*. Ibid de aſſiſa cerviſiæ, *cap.* 135. *(y)* In legibus Regiæ majeſtatis vulgò dictis, lib. 3. cap. 16. *(z)* Ibid. lib. 4. cap. 31. *Juvenca* in legibus Malcolmi II. cap. 7. Colpindach appellatur, taxaturque eo tempore 30 denariis. Vid. Cl. Nicolſoni Bibl. Scot. hiſtor. pag. 190. *(a)* Reg. majeſt. lib. 4. cap. 31. *(b)* In chartulario ſive regiſtro MS. monaſterii Calchoenſis, prope init. *(c)* Ibid. *(d)* Hæc pretia tritici, ſecalis, *&c.* in ſtatutis Jacobi I. nigro ſive Saxonico charactere impreſſis, habentur cap. 11. in aliis edit. omiſſ. *(e)* Hæc anno 1489. pretia habentur in libro Aberbrothienſi majore, MS. Biblioth. Jurid. fol. 126. a. *(f)* De his anno 1523. vid Chartul. Cambuskennethenſe, MS. Bib. Jurid. fol. 91. a.

(g) In

	lib.	sol.	den.	lib.	sol.	den.
appellamus) à Jacobo V. annò 1532 constitutis primitùs assignatum *(g)*	1400	—	—	5395	16	6
Tempore Reginæ Mariæ, 1551.						
Pintæ *(h)* vini Burdigalensis per mare orientale aut boreale importati *(i)*	—	—	10	—	2	6
—— Rupellensis per eadem maria importati	—	—	8	—	2	—
—— Burdigalensis per mare occidentale importati	—	—	8	—	2	—
—— Rupellensis per idem mare importati	—	—	6	—	1	6
Anseris cicuris	—	1	4	—	4	—
—— silvestris	—	2	—	—	6	—
Gruis & cygni	—	5	—	—	15	—
Galli silvestris [vulgò Black-cock] *(k)*	—	—	6	—	1	6
Scolopacis sive gallinaginis [vulgò Wood-cock]	—	—	4	—	1	—
Coturnicis	—	—	2	—	—	6
Caponis	—	1	—	—	3	—
Gallinæ	—	—	8	—	2	—
Pulli gallinacei	—	—	4	—	1	—
Porcelli	—	1	6	—	4	6

Ex his paucis, quæ ex magno ejusmodi numero seligere placuit, facile erit de quibusvis aliis rerum pretiis, ratione temporum auctæque subinde pecuniæ habitâ, statuere, eaque præcedentium tabellarum ope ad hodiernæ monetæ legem exigere. Hinc etiam (liceat & id adjicere) patet rem non modò falsam, sed & in se incredibilem à Hectore nostro Boethio narrari, dum scribit *(l)* Gulielmum Scotorum Regem, apud Anglos captivum, *pro liberatione sua* Henrico II. pepigisse *centum millia librarum Sterlingarum,* quarum *unam partem* (Nicolsonus *(m) dimidiam* interpretatur) statim repræsentaret, pro reliqua Cumbriam, Hundintoniam ac Northumbriam pignori opponeret. Primùm enim ex antiquioribus nostris, ut & omnibus Angliæ scriptoribus, ac præsertim ex conventione ipsa *(n)* apparet, unicam Gulielmo sui liberandi conditionem datam, ut ipse & proceres sui se regnumque Scotiæ Anglo in perpetuam clientelam addiceret, obsidibus primùm, ac deinde quinque ex præcipuis Scotiæ arcibus, fidei firmandæ caussâ ei traditis. At præterea, ut hæc abfuerint, quis (ut de Angli iniquitate taceam) Gulielmum nostrum adeò stolidum futurum existimaverit, ut se ad tantam pecuniæ summam, quæ hodie 300000 ampliùs libras Anglicas æquaret, quantæque vix tertiam (ita enim mihi persuadeo) partem universa tum Scotiæ in unum corrasa acervum moneta efficere nequibat, Anglo soluturum obstringeret. Sanè rem magnam Gulielmus præstitit, qui (referentibus utriusque regni Historicis) ut se suosque in pristinum libertatis statum redimeret, decies mille marcas argenti (quæ in hodierna nostra pecunia ad vicies mille libras sterlingenses rediret) Ricardo I. istius Henrici filio & successori, in præsenti pecunia numeravit.

Ex prædictis etiam judicari potest, quanta quàmque dira apud nos, regnante Jacobo I. anno MCCCCXXXV. annonæ caritas, ac proinde fames fuerit, cum (prodente id Fordoni continuatore *(o)* bolla frumenti 18 solidis Scoticis venderetur. Item gravior adhuc altera initio Jacobi II. anno MCCCC

(g) In Bulla Pauli III. Pontif. Rom. 4 Idus Martias 1535. scripta, salarium his Judicibus ab Ecclesiastico ordine solvi imperatum, est *decem millium ducatorum de camera,* quæ 1400 *libras usualis monetæ Scotiæ,* 350 *libras sterlingorum vel circa constituere* dicuntur. Unde (ut id obiter notem) quod supra pag. 73. dixi confirmatur, quatuor sciz. vel circa libras Scoticas unam eo tempore Anglicam confecisse. Hoc pacto merces annua singulis ex quatuordecim Senatoribus pendenda erat ferè 22 librarum sterl. Præsidi verò dupli ejus summæ, sive 44 librarum; in præsenti moneta Anglica, illis librarum 28, huic ferè 56. Neque tamen est quod miremur tam exile tantoque muneri non satis æquum stipendium his Judicibus constitutum; cum ex Fletwodi chron. pretioso, p. 155. & seqq. liqueat, Judicum apud Anglos salaria non multo his ampliora tum fuisse. Huc adde, quòd ex hac Bulla Regi permissum sit, præter alias ab ipso faciendas donationes, de ulteriore horum Judicum sustentatione ex vacaturis beneficiis, ad usque 200 libras sterl. quotannis solvendas, providere. *(h)* Pinta Scotica 4 ferè Anglicas continet, sextario Romano paulo minus par. *(i)* De harum rerum, ad tabulæ finem, pretiis, vide Acta Reginæ Mariæ, Parl. 5. cap. 11. & 12. *(k)* Hæc avis Scotis videtur peculiaris. Vide Gesneri Hist. animal, tom. 2. pag. 460. *(l)* Lib. 13. fol. 272. b. Idem habet Leslæus lib. 6. Buchananus eò inclinat, sed summam non definit, lib. 7. *(m)* Bibl. Scot. histor. p. 308. *(n)* Apud Rymerum Act. publ. tom. 1. pag. 39. *(o)* In codice MS. cui nomen, *Extracta ex chronicis Scotiæ* fol. 278. a. & in Tho. Hearnii edit. Fordoni Scotichr. vol. iv. pag. 1319.

XXXVIII. & ſequente, cum (eodem (p) referente) bollæ frumenti pretium ad 30 ſolidos eſſet evectum (q). Hac enim ratione prioris bollæ pretium ad hodiernæ pecuniæ valorem reductum 10 lib. 16 ſol. poſterioris autem 18 lib. Scoticas adæquaret.

De pecuniæ apud Scotos, nuperæ *Unionis* tempore, diſcurrentis quantitate.

LXIV. Hîc autem in fine ſubjiciendum duxi, quod à viro præſtantiſſimo, priſcæque virtutis ac probitatis ſingulari exemplo, Davide Dromondo J. C. rei nummariæ in Trapezia (quem Bancum Scoticum appellamus) per plurimos annos Quæſtore fideliſſimo, notatum accepi. Nimirum, cum inter conditiones, quibus duo Angliæ & Scotiæ regna in unum anno MDCCVII. feliciter coaluerunt, hæc una exiſteret, ut omnis deinceps moneta ejuſdem legis valoriſque, cujus tum Anglica erat, per univerſam Britanniam foret; atque ejuſce rei ergô à Dominis ſecreti apud Scotos conſilii eodem anno ſtatutum eſſet, ut tota per Scotiam tum diſcurrens moneta argentea, tam domi quàm foris ſignata, in eam quam diximus Scotiæ Trapeziam inferretur, inde (exceptâ ſolâ (r) Anglicâ recentiore) ad rei monetariæ præfectos, ut in novam pecuniam cuderetur, devehenda: laudatiſſimus ille vir (cujus præcipuæ in hoc negotio partes erant) animi ſui gratiâ, univerſæ illius monetæ ſummas, ad generalia quædam capita redactas, in adverſaria ſua retulit. Eas verò benignè mecum communicatas, tum quòd rei noſtræ monetariæ ſtatum nonnihil illuſtrent, tum etiam quòd de pecuniæ apud nos tum diſcurrentis quantitate aliqua indicia præbeant, hîc tibi ob oculos ponendas exiſtimavi.

In Trapeziam Scoticam anno MDCCVII. *invectum eſt,*

	Sterl. lib.	*ſol.*	*den.*
Monetæ argenteæ peregrinæ, ad — —	132080	17	6
—— Scoticæ per molam percuſſæ, ad — —	96856	13	9
—— Scoticæ malleo percuſſæ, ad — —	142180	00	0
—— Anglicæ per molam percuſſæ, ad — —	40000	00	0
Summa	411117	10	9

Atque hæc quidem ſumma longè maximam ſine dubio conſtituebat pecuniæ argenteæ in Scotia tum curſum habentis quantitatem. Non tamen exſpectandum erat, ut omnis ejus generis moneta in hocce ærarium inferretur. Multos enim veteres nummos Scoticos alioſque, aut avarorum quorundam Euclionum veſania, aut amittendi metus, ut varia alia pericula caſuſque omittam, ne illuc deveherentur cohibuerunt (ſ). Horum maximam partem in lucem poſtea erutam aurifabri in vaſa conflantes abſumpſerunt: nonnulli in exteras regiones deportati: pauci privatorum manibus adhuc tractantur.

(p) Ibid. fol. 281. a. & in Appendice ad Fordoni Scotichronic. ex edit. Tho. Hearnii p. 1562. (q) De ſumma annonæ apud Anglos his ipſis temporibus caritate meminerunt eorum Scriptores: hiſtoriæ enim Croylandenſis continuator, p. 518. ad annum 1434. *aquoſum*, inquit, *nimis extitit tempus autumnale; unde tam valida crevit in Anglia fames per biennium ferè continuata, quòd in multis regni locis unus frumenti modius pro 40 denariis vendebatur.* Rob. autem Fabianus, in ſuo Chronico, fol. 190. a. ad annum 1439. hoc anno tantam fuiſſe ait frumenti caritatem, ut Londini modius pro 3 ſolidis 4 denariis venderetur. Cum verò 4 modii Anglici bollam ferè Scoticam efficiant, hac ratione frumenti menſura bollæ Scoticæ par apud Anglos utroque hoc tempore pro marca Anglica tum venibat, hoc eſt, in præſente eorum pecunia pro 22 ſolidis. Sed & frumentum multò adhuc carius aliis temporibus apud Anglos venditum ipſorum ſcriptores prodidere. Vid. Fletwod. chron. pret. p. 78, 92, 119, 123. (r) Quòd hæc etiam moneta in trapeziam prædictam inferri juberetur, cauſſa erat, quòd ea ad majus pretium quàm apud Anglos habebat, tum apud nos evecta fuit; coronatus nimirum ad 65 ſolidos Scoticos, ejus dimidium ad 32½, ſolidus deniquè Anglicus ad Scoticos 13. (ſ) Memorabile in hanc rem eſt, quod à prædicto clariſſimo viro audivi. Nimirum cum proximâ deinde æſtate regni æmulus, quem vulgò *Prætentorem*, ſequaces ſui Jacobum III. vel VIII. nominant, Scotiam claſſe Gallicâ adjutus invadere pararet, qui rerum ſummæ apud nos ſub Anna Regina tum præerant (metuentes ne in tali articulo, omni noſtrâ monetâ argenteâ in prædictum theſaurum nummarium paullo ante illatâ, deeſſet pecunia ad belli ſumptus faciendos neceſſaria,) nummos illos 40 ſolidorum (quorum tum apud nos magna erat copia) iterum ex ea gaza emitti, atque in militum ſtipendia alioſque publicos uſus diſpergi imperârunt. Cum autem, eo tumultu ſedato, nummi illi in prædictam trapeziam invehi denuò juſſi eſſent; ſupputatione factâ compertum eſt, ejus generis nummorum hac ſecundâ vice illatorum numerum priorem illum quater minimùm millibus librarum Sterlingenſium copiâ ſuperâſſe.


Quanta

Quanta autem tum fuerit aureæ in Scotia monetæ quantitas, nullâ certâ ratio iniri poteſt. Nonnullâ tamen ſunt, quæ non minorem illius (pretio utriuſque penſato) quàm argenteæ, tum fuiſſe apud nos copiam ſuadere videntur. Huc in primis faciunt pauca illa quæ mihi videre licuit officinæ noſtræ monetariæ acta, à 16 Decembris anni 1602, ad 19 Julii 1606, & deinde à 20 Septembris anni 1611, ad 14 Aprilis anni 1613. deducta. Ex iis enim apparet, aureæ apud nos monetæ diverſis his temporibus percuſſas fuiſſe, petras 51, libras 11, uncias 9, denariata 23, grana 16. Argenteæ autem, petras 596, lib. 7, unc. 13, den. 23, gr. 12. Hoc pacto, juxta rationes illorum temporum, ex auro prodiêre libræ ſterlingenſes circiter 39726, ex argento autem libræ tantummodò 38172. ut adeò aurei his annis nummi percuſſi, argenteos 1554 libris valore ſuperârit *(t)*. Hanc regulam erroribus obnoxiam eſſe haud inficior: at quando nulla certior nobis in præſentia ſuppetit, idque ſolum quod vero ſimilius ſit hîc quærimus; ex iis quæ diximus haud abſurdè conjectare licet, univerſam, quæ (ſub nuperam duorum regnorum in unum coitionem) in tota Scotia erat, tam ex auro quàm ex argento *(u)* factam pecuniam ad ſummam plus minus nongenties mille librarum Sterlingenſium ſurrecturum fuiſſe.

Atque hîc tandem longo huic ac tædii pleno labori meta eſto. Duo tantum ſunt, quæ in fine à te, *benevole Lector*, deprecanda habeo: primùm, ne errores, quos non ſanè nullos, ſed haud ita multos, ſpero, in tam difficili tamque varii argumenti materia mihi excidiſſe deprehenderis, ſeveriore trutinâ caſtigandos exiſtimes: deinde ne tibi legendi faſtidium pariat, quòd perſpicuitatis unicè ſtudioſus ſtylo ferè humili ac minus compto, verbiſque nonnunquam barbaris mihi utendum cenſuerim. In tali enim, ſi quoquam, ſcriptionis genere, verum comperietur illud, quod, haud multùm diſſimilis argumenti opus aggreſſus, canit Poëta,

Ornari res ipſa negat, contenta doceri:
Et ſi qua externâ referentur nomina linguâ,
Hoc operis, non vatis erit. Non omnia flecti
Poſſunt, & propria meliùs ſub voce notantur.

(t) In illa nummorùm apud nos facta anno (uti ego colligo, vid. ſupra pag. 75.) 1601. percuſſura, aureos plus quam tertiâ valoris parte argenteos ſupergredi palam eſt. *(u)* Ex hoc cenſu nummos ex ære percuſſos excipio: quippe qui, cum ad majorum ſummarum reliquias ſive fractiunculas explendas, vel ad rerum viliorum mercimonia exercenda, vel denique ad pauperum neceſſitates ſublevandas, ſint comparati, monetæ nomen vix merentur. Interea ſilentio haud videtur prætereundum, quòd cum anno 1683. gravis à Rege Carolo II. adverſus rei monetariæ præfectos lis mota eſſet, inter multa alia eis crimini data haud leviſſimum fuit illud, quòd cùm ipſis ex eo metallo ad 6000 ſolùm petras, ſive 96000 pondo, nummos excudere eſſet permiſſum; illi tamen Regis injuſſu ad alias 34000 petras, ſive pondo 544000, atque ex ſingulis ad trium ſolidorum Anglicorum valorem, ex eo genere nummos fabricâſſent. Hîc autem mirari ſubit, ex tam immenſa ejuſmodi nummorum vi, quæ in hodierna noſtra moneta 96000 libras Sterlingenſes valore penſaret, cujusque pars major in noſtram ſaltem ætatem duratura videbatur, tam paucos (cæteris ævi injuriâ vel abſumptis vel dilapſis) nunc ſupereſſe; ut nihil ferè frequentiorem hominibus noſtris, quàm ejuſmodi nummorum inopia, querendi, & falſariis adulterinos eorum loco cudendi occaſionem præbeat. Videri de hac re poſſunt *D. Patr. Humii Deciſiones, Num.* 472.



Regum Scotiæ,

A Milcolumbo III. *Capitone, vulgo* Canmore *cognominato, series chronologica.*

1057. I. MILCOLUMBUS III. Duncani I. filius, à Fergusio I. regni fundatore octogesimus sextus, à Fergusio II. ejus restitutore quadragesimus septimus, à Kennetho II. imperii Pictici in Britannia eversore duodevicesimus Scotorum Rex à nostris Scriptoribus numeratus, regnum iniit 25. Aprilis, anno post Christum natum 1057. D. Margaretam, Edmondi, Ferrei lateris cognominati, Regis Angliæ proneptem, uxorem duxit anno 1070. Res multas & pace & bello præclarè gessit. Tandem, dum Alnevicum Northumbriæ oppidum obsidet, cujusdam Equitis fraude cum Edwardo filio natu maximo interimitur, 13 Novembris, anno regni sui 37, Christi nati 1093. Milcolumbus III.

1093. II. DONALDUS, cognomento *Banus*, Milcolumbi frater, expulsis ejus filiis, regnum occupat. Post sextum mensem ipse à Duncano Milcolumbi notho Scotiâ exactus: at, eo clam cæso, iterum reversus sceptrum utcunque per tres plus minus annos tenuit. Donaldus *Banus*.

1094. III. DUNCANUS ille ejus nominis II. regnum, ejecto (ut diximus) Donaldo Bano, arripuit: sed ejusdem fraude eo simul & vitâ exutus, postquam annum & sex ferè menses imperâsset. Duncanus II.

1098. IV. EDGARUS, ex Milcolumbi III. & sanctissimæ ejus conjugis Margaretæ filiis jam superstitibus natu maximus, Donaldo ipsius patruo sublato, paternum regnum recuperat anno 1098. quod postquam 9 annos & 3 menses summa cum prudentia & æquitate gessisset, 6 Idus Januarias diem extremum clausit, anno 1107. Edgarus.

1107. V. Ei sine liberis defuncto successit frater ipsius ALEXANDER eo nomine I. ob singularem fortitudinem, & in latronibus aliisque facinorosis persequendis plectendisque audaciam & severitatem *Acer* cognominatus. Rei Scoticæ præfuit 17. annos, 3 menses, & dies 16. decessitque 8 Kal. Maii, anno 1124. Alexander I.

1124. VI. Fratri Alexandro prolis itidem experti successor fuit DAVID ejus nominis I. filiorum Milcolumbi III. natu minimus. Is regnum adeptus omnia optimi Principis in eo administrando numeros ita implevit, ut quosvis superiores Reges belli artibus æquaverit, studiis pacis longè anteiverit. Moravienses enim & Gallovidienses rebellantes compescuit: cum Anglis variâ fortunâ, sed invictâ semper animi magnitudine, sæpius in acie conflixit. Interea & statum publicum præstantissimis legibus conditis emendavit: jus ubique summa cum æquitate & assiduitate, aut ipse dixit, aut ab aliis dicendum curavit: aulam suam ab omni luxuria aliisque vitiis, quæ palatia Regum infesta habere solent, repurgavit. In pietatis autem operibus omnibus, sive ante se, sive post se Regibus longè antecelluit. Ad quatuor enim priores Episcopatus sex alios adjecit: monasteria quoque diversorum ordinum, vel collapsa vetustate, vel bellorum injuriis diruta instauravit, plurima etiam nova à fundamentis exstruxit; quæ omnia, pro conditione illorum temporum, largis proventibus locupletavit. Ob egregium hocce divini cultûs promovendi studium, omnesque alias Principe Christiano dignas virtutes, in Sanctorum numerum meritissimò, si quis mortalium, est relatus. Septimo regni anno uxore Mathilde femina lectissima, quæ eum comitatibus Northumbriæ & Hundintoniæ auxerat, est orbatus, cujus desiderio reliquum vitæ tempus Veneris expers transegit. Anno autem regni 28. C. N. 1152. filium unicum Henricum, maximæ spei juvenem, ac patri in omni virtutis genere simillimum, amisit. Ipse anno sequente 9 Kal. Junii piissimam animam Deo reddidit, postquam imperium 29 annos, 2 menses, 3 dies tenuisset. David I.

1153. VII. Davidi successit ex Henrico filio nepos MILCOLUMBUS IV. puer 12 annorum, ob perpetuam à Venere abstinentiam *Virgo* cognominatus. Regno inito, vitæ sanctimoniâ patrem avumque æmulabatur; at magnitudine animi artibusque imperandi illis plurimùm concedebat. Externo bello liber, intestinis seditionibus, suorumque nonnullâ rebellione est agitatus: quibus demum compositis, è mortali ad immortalem vitam commigravit 5 Idus Decembres, ætatis anno 25, postquam annos 12 cum dimidio ferè regnâsset. Milcolumbus IV.

1165. VIII. Proximè post Milcolumbum IV. sceptro Scotico potitus est ejus germanus GULIELMUS, ob egregiam in utraque fortuna animi fortitudinem *Leonis* cognomen adeptus. Ob Northumbriam sibi injustè ademptam, Henrico II. Anglo bellum infert: sed dum incautus cum aliquot è suis obequitaret, à pluribus circumventus 3 Idus Julii 1174. capitur, & in Normanniam in turre Falesii custodiendus deportatur: cumque Gulielmus.

cumque aliter restitui in regnum non posset, coactus est durissimâ conditione se suosque Anglo in clientelam subjicere. Hoc in statu res Scotica perstitit ad annum 1190. quo Ricardus I. qui priore anno in regnum Anglicum successerat, injuriarum Gulielmo factarum sensu permotus, eum posterosque ejus ab omnibus pactis à patre suo Henrico vel vi expressis, vel fraude obtentis absolvit, eumque adeò in liberam, ut antea, regni Scotici possessionem restituit; in tanti beneficii remunerationem decies mille marcis argenti Anglo ad bellum sacrum proficiscenti datis. Hoc pacto foris per multos annos pace stabilitâ, jus domi summa cum æquitate exercuit; tandemque omnibus optimi Regis muneribus functus diem suum obiit pridie Nonas Decembris, anno regni 49, ætatis suæ 72.

1214. IX. Successit Gulielmo unicus ex legitimo matrimonio superstes filius ALEXANDER II. qui altero post patris obitum die, anno ætatis suæ 17. Sconæ in Regem est inauguratus. Post unam & alteram expeditionem in Angliam magna cum belli clade susceptam, haud multò post ab ejus gentis proceribus, qui, Rege suo Joanne exauctorato Ludovicum Philippi Franci filium Regem elegerant, arcessitus, ut amico opem ferret, magno cum exercitu per mediam Angliam Londinum usque perrexit. Sed Joanne intra paucos dies mortuo, Angli, eorum quæ fecissent pœnitentiâ subeunte, Henricum III. ejus filium Regem acceperunt. Quâ rerum mutatione Ludovicus in Galliam, Alexander in Scotiam redire sunt coacti. Pace deinde inter duo regna compositâ, rebusque domi feliciter administratis, obiit Alexander 8 Idus Julias regni anno 35, ætatisque 52. ALEXANDER II.

1249. X. Imperium dehinc adeptus est superioris Regis filius ALEXANDER III. puer nondum annum octavum egressus. Primâ ætate sub Cuminiorum, quæ florentissima tum erat in Scotia familia, potestate detentus, se Henrici III. Angli, cujus filiam Margaretam uxorem duxerat anno 1251. ope adjutus in libertatem asseruit. Achonem Regem Norvegorum, per legatum suum Alexandrum Stuartum, ejus qui ex illa familia primus in Scotia regnum gessit, proavum, magno prælio devicit, anno 1263. Ab omnibus dein tum externis bellis, tum internis seditionibus immunis, ad suos saluberrimis institutis æqualique justitiæ administratione in officio continendos se totum applicuit. Cæterùm dum id agens regiones juris dicundi caussâ obiret, equi insolentiâ ad terram dejectus, cervicibus fractis haud procul a Kingorno interiit, 14 Kal. Apriles, anno regni 37. vitæ 45. Christi nati 1286. ALEXANDER III.

1286. XI. Is duas uxores habuit, Margaretam (ut diximus) Henrici Angli, & Joletam Comitis Druidum filiam. Ex posteriore nullam prolem creavit; ex priore autem duos filios, Davidem & Alexandrum, unicamque filiam Margaretam, qui omnes ante patrem immaturâ morte obiere. Margareta autem ex Erico Norvegorum Rege unam filiam reliquit, nomine itidem MARGARETAM, avo mortuo Scotiæ jure hereditario Reginam, quæ filio Edwardi I. Angli desponsata, sexto post avi obitum anno, i. e. 1291 impubes fato concessit. MARGARETA *Regina.*

Exstincta (ut diximus) Alexandri III. nepte, deficienteque in ea totâ Gulielmi, Alexandri II. & III. sobole, gravissima Scotisque funestissima de regno orta est controversia. Præcipui competitores exstiterunt Joannes Balliolus Gallovidiæ, & Robertus Brussius Annandiæ Reguli; hic Davidis Comitis Hundintoniæ (qui regis Gulielmi frater, Alexandri III. propatruus erat) ex minore filia Isabella nepos; ille ejusdem ex majore filia Margareta per matrem Dervegildem, pronepos. Huic liti dirimendæ Edwardus I. Anglus arbiter electus secundum Joannem Balliolum sententiam dixit. *Interregnum.*

1292. XII. Ex hoc decreto JOANNES *Balliolus* Rex Scotorum est declaratus 17. Novembris anno 1292. At paucis post annis, cum atrocissimas ab Anglo injurias & indignitates perpessus, se suosque in pristinam libertatem vindicare vellet, bello victus ac profligatus se regnumque ei dedere est coactus, postridie Kal. Jul. 1296. Mox ab eo in Angliam traductus, ac non multo post rogatu Pontificis Rom. in Gallias ire permissus est, ubi post aliquot annos vitam in exilio finivit. JOANNES *Balliolus.*

Post expulsum Joannem Balliolum, Scoti intolerandâ Edwardi tyrannide oppressi, ut servitutis jugum collo excuterent, arma sumpserunt. Sed quamvis in plurimis congressibus, præcipuè sub Gulielmo Valla duce fortissimo, prosperâ fortunâ fuerint usi, inter se tamen discordes, & cum hoste potentissimo rem habentes, nihil quod ad rei summam valeret efficere poterant; donec tandem,

1306. XIII. ROBERTUS *Brussius*, ejus qui regnum petebat, ex Roberto Carictæ Comite nepos, sceptro Scotico 25 die Martii anno 1306. arrepto, post multas quas primum passus est belli calamitates & miserias, hostibus devictis, patriâque ingenti cum belli clade excedere coactis, se suosque in pristinam libertatem restituit. Postquam ad hunc modum summaque cum gloria regnum per 24 annos tenuisset, vixissetque 55. morti demum succubuit 7 Idus Junias, anno Christi nati 1329. ROBERTUS I.

1329. XIV. Ei successit filius DAVID II. puer quinque annorum, qui vir postea effectus, animi magnitudine ingenti patri penè par erat, at regnandi felicitate multùm inferior. Ipso enim impubere, & Thomâ Randulpho regni custode fatis abrepto, EDWARDUS *Balliolus* Joannis filius, occasione arreptâ, opem conferente Edwardo III. Anglo, sceptrum Scoticum invadit. Ex eo David in Gallias abire coactus, expulso DAVID II.

pulso demum Balliolo, ad suos anno 1342 est reversus. At dum Francorum partes adversus Anglos continuato cum eis bello tutaretur, magno prælio ad Dunelmum victus, in potestatem hostium venit anno 1346: unde non nisi post undecim annos, centumque marcarum millibus pro sua redemptione pactis, in regni possessionem restituitur. Ab eo tempore justum prudentemque Principem agens suos in pace continuit, decessitque 22 Februarii anno 1371. vitæ suæ 47. postquam imperium gessisset annos 41. menses 8. diesque 15.

1371. XV. Davide absque sobole defuncto successit in regnum ROBERTUS II. ex Marjoria Roberti I. filia, & Waltero Stuarto magno Scotiæ Senescallo genitus, primusque ex ea familia apud nos Rex. Varia cum Anglis bella, & felici ferè semper successu, vel ipse sub avunculo Davide Prorex, vel regnum adeptus per duces suos gessit. Ex prima uxore Elizabetha Mora Adami Mori de Rowallan filia quatuor filios suscepit, Joannem, Walterum, Robertum & Alexandrum; ex secunda uxore Euphemia Comitis Rossiæ filia etiam filios duos, Davidem & Walterum, omnes præter priorem Walterum sibi superstites: ut filias minimum sex, aliamque utriusque sexus prolem extra matrimonium prognatam (unde multæ nobiles florentesque in Scotia familiæ genus trahunt) prætercam. Decessit 19. Aprilis anno 1390. exactis vitæ annis 75. regni 19. mense 1. diebusque 28. ROBERTUS II.

1390. XVI. Patri successor fuit *Joannes*, qui nomine mutato ROBERTUM se III. appellari voluit. Vir fuit miti clementique ingenio, sed ad res publicas gerendas minus apto. Itaque penes eum Regium nomen, penes fratrem Robertum Comitem Fifæ, postea Ducis Albaniæ titulo auctum, imperium erat. Is pravâ regni adipiscendi cupidine ductus, Davidem Rothesaiæ Ducem ac regni heredem, juvenem quidem naturâ præferocem, patrique recta monenti immorigerum, Falcolandiæ fame enecandum curat. Robertus Rex ea de re certior factus, alterique filio Jacobo metuens, eum, ut extra periculum esset, in Gallias transmittendum navi imposuit: at eâ ad Flamburgum promontorium vi tempestatis delatâ, Jacobus capitur, & contra induciarum fidem per 18 ferè annos in Anglia custoditur. Pater calamitate filii auditâ mœrore non ita multò post exstinguitur, pridie Nonas Apriles, post Christum natum anno 1406. post initum regnum exacto ferè anno 16. ROBERTUS III.

1406. Interea res Scotica per Interreges est administrata, primùm per *Robertum* Ducem Albaniæ Jacobi patruum annos 14. ac deinde per ejus filium *Murdacum* annos 4.

1424. XVII. JACOBUS ejus nominis 1. è longa captivitate grandi pecuniæ summâ redemptus, ac ad suos redire permissus anno 1424. sceptrum suâ manu moderandum accepit: Princeps ob insignes omne genus virtutes, justitiæ in primis cultum, æternâ hominum memoriâ dignus. Statum regni, tum ecclesiasticum, tum civilem, multis modis sub Gubernatoribus convulsum ac labefactatum, optimis legibus condendis restituit & emendavit: furta, cædes aliaque ejusmodi facinora summâ cum severitate coërcuit: jus per omnes regni partes obeundo aut ipse dixit, aut per alios (quorum diligentiæ rigidus erat exactor) æquabiliter dicendum curavit. Dum his studiis toto animo incumberet, exsecrabili patrui sui Walteri Comitis Atholiæ conjuratione, parricidis immissis, multis vulneribus confossus interiit, 20 Feb. anno C. N. 1437. regni 32. post reditum ex Anglia 13. JACOBUS I.

1437. XVIII. In ejus locum successit filius ipsius unicus JACOBUS II. ante 6 annos & 4 ferè menses natus. Primâ pueritiâ, modò ab Alexandro Levinstonio Prorege, modò à Gulielmo Crichtonio Cancellario, de summâ rerum potestate inter se contendentibus, in prædam abductus. Postea robustior factus à Duglassiorum (quorum tum nimia potentia erat) factione pene oppressus. At fractis deinde perduellium viribus, suique quasi juris tandem effectus, rem Scoticam summâ cum æquitate prudentiâque deinceps administravit. Quo in cursu haud dubiè longiùs perrexisset, ni eum Rosburgi arcem obsidentem excussus ex tormento æneo cuneus ligneus inopinâ ac acerbissimâ morte exanimâsset, 3 Nonas Augusti, anno 1460. ætatis 30. regnique 24. JACOBUS II.

1460. XIX. Post hunc rerum potitus est ejus filius JACOBUS III. puer septem annorum. Initio ejus regni, ac per aliquot annos res utcunque tranquillæ fuere. Mox turbis ac seditionibus nonnullis in aulâ laboratum. Postea verò, anno 1482. fratris sui Alexandri Ducis Albaniæ regno inhiantis ambitione, factionisque è nobilitate in ejus exitium conjuratæ perfidiâ, alienissimo tempore, cum adversus Anglos Scotiam invasuros proficisceretur, exercitum suum dimittere, et in arcem Edinburgensem se abdere, vel à perduellibus abdendum duci est coactus. Inde quidem paullo post est liberatus. At perfidi cives, non deposito, sed sopito per aliquod tempus suo in eum odio, simulque ne consilia sua, mutatis in Anglia rebus, in apricum proferrentur metuentes, resumptis subitò armis eum ad iniquissimam Martis aleam subeundam compulerunt, fugientemque ex acie crudelissimè trucidârunt, 11 die Junii, anno 1488. regni 28. ætatis 36. JACOBUS III.

1488. XX. Imperium deinde apud Scotos accepit ejus filius JACOBUS IV. adolescens 15 annorum: Princeps omnibus belli pacisque artibus nemini nostrorum Regum secundus; magnitudine verò animi morumque nobilitate cunctis penè superior. Potestatem enim adeptam per multos annos tam dextrè administravit, eòque quietis æquâ juris dispensatione regnum redegit, ut furtis, latrociniis, cædibus, & id genus flagi- JACOBUS IV.

tiis undique abstineretur. Rem nauticam in primis & mercatoriam ita apud suos promovit, ut nunquam aliàs tantâ auri argentique copiâ Scotia abundaret. At invidente fortunâ viri felicitati, suscepto bello in Anglos Francorum caussâ, in pugna ad Fluidonem Northumbriæ vicum cum magno nobilium numero cæsus interiit 9 Septembris, anno orbis redempti 1513. postquam 25 annos ac 3 ferè menses imperâsset, vixisset verò annos 40, menses 5, ac dies 23.

1513. XXI. Exstincto Jacobo IV. ad JACOBUM V. ejus filium, pusionem vixdum duorum annorum, sceptrum Scoticum devolvitur. Princeps is erat summis à naturâ dotibus virtutibusque ornatus; justitiæ in primis cultu, & in latronibus persequendis plectendisque sedulitate & patientiâ inter paucissimos Scotorum Reges memorandus. Sola suis rationibus obstabat factiosa Nobilitas, quæ jam inde à pueritia ei molesta & gravis, eò tandem pervicaciæ processit, ut cum exercitus adversus Anglos veteres hostes duceretur, tumultu in castris excitato, multi in inimicorum potestatem potiùs venire, quàm pro Rege suo & patria dimicare mallent. Rei indignatione primùm, ac deinde mœstitiâ Rex commotus intra paucos dies moritur, 14 sciz. Decembris, anno C. N. 1542. regni 30. ætatis 31. JACOBUS V.

1542. XXII. Regnum deinde adepta est filia ejus unica MARIA, septimo ante patris obitum die nata: in qua postquam adoleverat, non solùm incomparabilis corporis venustas & decor, sed & ingentes animi dotes & virtutes, etiam fatentibus inimicis, emicuere. Infans adhuc Edwardo Henrici VIII. Regis Angliæ filio est desponsata. At rupto ob Angli injurias hoc fœdere, belloque deinde multâ cum clade Scotis illato, Britannodunum primùm Regina (ut extra periculum esset) est seposita, ac non multò post in Galliam missa: ibique cum nubendo maturuisset, i. e. anno 1558. Francisco II. tum Delphino, postea Galliarum Regi, uxor est collocata. Eo intra 2 annos mortuo, Maria ad suos anno 1561. revertitur, ac post 4 annos Henricum Darnilæum Matthæi Comitis Leviniæ filium thalami consortem accipit. Eo autem, anno 1567, fœdissimum in morem à Comite Bothueliæ trucidato, Maria Bothuelium, eo crimine à Paribus suis (ut vulgò dicimus) absolutum, tertium maritum admittit. Hinc omnium infelici huic Reginæ malorum origo. Mox enim ab iis ipsis, qui harum nuptiarum conciliatores fuerant, cædis prioris sui conjugis conscia insimulatur, prælio victa capitur, regno se abdicare cogitur, & in arcem Lacûs Levini custodienda traditur. Inde post aliquod tempus elapsi, alioque certamine victa rursus, & in Angliam profuga, post 18 demum annorum captivitatem, à Regina Elizabetha (cujus in fidem se dediderat) non sine magno ipsius probro, cervices suas securi percutiendas submittere jubetur. Hoc, quo minimè decuit, pacto mortalitatem exuit Princeps nobilissima, meliore certè (teste etiam invidiâ) digna fortunâ; quam &, si in alia tempora regnum ejus incidisset, haud dubiè fuisset experta. Neci autem tradita est 8 Feb. anno à Christo nato 1587. postquam imperium tenuisset annos 25. mensesque ferè 8. vixisset verò annos 45, menses 2, diemque unum. MARIA.

1567. XXIII. Mariâ de solio depulsâ, filius ejus unicus JACOBUS eo nomine VI. tredecim tantùm mensium ac in cunis vagiens infans, Rex creatur, 29 Julii, anno 1567. Commissa est regni tutela quatuor, alii post alium, Proregibus, Jacobo Moraviæ, Matthæo Leviniæ, Joanni Marriæ & Jacobo Mortoniæ Comitibus, qui omnes (præter Marrium) violentâ morte è medio sunt sublati. Ipse, regimine in se suscepto 15 Feb. 1578, per totum ferè quo solis Scotis imperabat tempus, adeò vel Proecerum quorundam, vel verbi divini Ministrorum turbis & seditionibus est exagitatus, ut tum demùm Scotorum verè Regem se diceret, cum ad Angliæ sceptrum, sibi Elizabethâ mortuâ jure sanguinis debitum, moderandum arcesseretur: quod factum initio anni 1603. Ab eo deinceps tempore, ad vitæ finem, qui fuit 27 Martii, anno 1625. ab omni externo internoque bello liber, regnum, licet minore quàm par erat animi constantiâ & fortitudine, placidè satis tranquilleque exegit. Vixit annos 59, mensesque cum paucis diebus 9. imperavit Angliæ annos circiter 22. Scotiæ annos 58, mensesque ferè 8. JACOBUS VI.

1625. XXIV. At longè disparem fortunam expertus est filius ejus ac successor CAROLUS I. qui licet omnibus homine ac Principe Christiano dignis virtutibus ornatus, variis tamen nimio otio lascivientis populi seditionibus exceptus primùm & ultra modum lacessitus, bello deinde internecino, nec sibi magis quàm utrique genti luctuoso, implicitus, victus tandem & in custodiam mancipatus, immani, & in omne ævum detestabili, eorum qui rem publicam invaserant, parricidio, sacrum majestateque verendum caput carnificis manu, ante sui palatii fores, detruncandum subjicere est coactus, 30 Januarii, anno 1649. postquam regnâsset (demptis ferè duobus mensibus) annos 27, vixissetque annos 48, menses 2, diesque 11. CAROLUS I.

1649. XXV. Ei successit ipsius filius CAROLUS II. qui à Scotis ab exteris regionibus, in quas parentis fatum timens profugerat, domum revocatus, Sconæ primo die Januarii, anno 1651, regni insignia accepit. Sed prævalente parricidarum factione iterum in exsilium pulsus, miserante tandem Deo Opt. Max. Britannorum Regiæque familiæ calamitates, post varios casus & multa rerum discrimina, in avita regna placidissimè, suo die natali, i. e. 29 Maii est restitutus, anno 1660. A quo deinde tempore ad supremum vitæ terminum, qui fuit 6 Februarii anni 1685, si tumultus quosdam religionis CAROLUS II.

præ-

prætextu excitatos, bellumque unum & alterum adversus Belgas prospere gesta excipias, imperium satis feliciter (ut se res habent mortalium) administravit.

1685. XXVI. Eo fine legitima prole in fata concedente, frater JACOBUS VII. Dux Eboracensis rerum habenas capessit, præclaræ quidem ex sua natura indolis, animique vere Regii Princeps: sed dum religionem Pontificiam, quam exsul cum fratre apud exteros agens adolescens admodum addidicerat (perruptis quæ id prohibebant legum omnium repagulis) denuo apud suos instaurare adniteretur, de solio deturbatus, atque in Galliam profugere est coactus, postquam regnum annos fere 4 tenuisset. Vixit deinde annos prope 11. decessitque ad S. Germanum in pratis 6 Septembris, anno 1701; ætatis suæ 68. JACOBUS VII.

1689. XXVII. Depulso (ut diximus) Jacobo VII. ejus gener GULIELMUS Arausionensium Princeps, filiaque MARIA, ab utriusque regni, ab ipsis in Concilium vocatis, Ordinibus Reges creantur, Angliæ quidem 13 Februarii, Scotiæ 11 Aprilis, anno 1689. Gravissimum ille adversus Ludovicum XIV. Francorum Regem, magno quidem animo, sed parum prospero successu per multos annos bellum sustinuit. Uxore Maria præmatura morte anno 1694, vitæ suæ 33 abrepta, ipse solus imperium adipiscitur; tandemque dum novum adversus veterem suum hostem Ludovicum Gallum bellum apparat, ad plures abit, 8 Martii, anno 1702, ætatis 51, regnique Anglici 14, Scotici 13. GULIELMUS II. & MARIA II.

1702. XXVIII. Post hunc ANNA, Jacobi VII. filia natu secunda, sceptro ac diademate Britannico potitur: quæ regno inito nihil prius habuit, quam ut bellum a Gulielmo Francis indictum committeret; quod & multis annis summa sua cum gloria ita feliciter gessit profligavitque, ut superbus totique pridem Europæ imminens hostis, iteratis aliis post alias cladibus fractus & debilitatus, ad pacis conditiones petendas confugere sit coactus. Neque interea minus prospere prudenterque res domi Reginæ auspiciis ductuque sunt administratæ. Præcipua autem ejus imperii laus est, quod rem a proavo ac patruo suo frustra tentatam aggressa, divulsa hactenus Britanniæ regna in unum consociavit. His curis intentam, omnibusque optimæ Principis muneribus fungentem mors occupat 1 Aug. anno 1714. exactis regni annis 13, mensibus 4, diebus 23, vitæ autem annis 51, mensibus 5, diebusque 23. ANNA.

1714. XXIX. Exstinctis absque sobole superioribus Britanniæ Regibus, Gulielmo, Maria & Anna, ex lege de successione in regnum lata, ad rerum frena moderanda vocatus est GEORGIUS ejus nominis I. Brunswici ac Luneburgi Dux, sacri Rom. imp. Elector, proximusque ex reformatam religionem profitentibus regni heres; qui postquam rem Britannicam per 13 fere annos justo, satis prudentique imperio rexisset, ad suas in Germania provincias invisendas peregre profectus, ex itinere repentino morbo correptus fatis occubuit 11 die Junii, anno 1727, ætatis suæ ingressus annum 68. GEORGIUS I.

1727. XXX. Nunc rerum apud nos summæ feliciter præest superioris Regis filius GEORGIUS II. annum regni 12. vitæ 56 agens. Res ab eo fortiter ac prospere gestas GEORGIUS II.
1738. & gerendas posteri commemorabunt.



TABU-

TABULARUM

In hoc Volumine contentarum

INDEX.

(a) Hanc Duncani II. chartam descriptam & explicatam vide apud D. Jac. Dalrymphium in suis Collect. Scot. p. 299. (b) Duncanus in hac sua charta se *hereditariè Regem Scotorum constare* ait, quibus verbis se pro legitimo Malcolumbi III. filio (quod & Torfæus in sua Orcadum Historia lib. 5. cap. 26, scribit) habendum voluisse videtur. At alii omnes tam Anglici quàm Scotici Scriptores nothum eum fuisse testantur. Cæterùm hac in re imitatus est Duncanus Gulielmum Normannum, qui, licet ipse nothus, se tamen hereditariè Regem Angliæ in chartis suis nonnunquam venditare solitus est. Vid. Geo. Hickesii dissertat. epistolar. pag. 72. (c) Hæc insula de Lochlevin olim ad KELEDEOS (quos vulgò sed minus propriè *Culdeos* appellamus) pertinebat, à Brudeo ultimo Pictorum Rege (ut in Præf. pag. 20, supra diximus) iis concessa. Erant autem hi Keledei vetustissimum apud nos Monachorum genus, qui quamvis certam quandam disciplinam sibi propriam, vitæque instituta à cæterorum qui postea invecti sunt Monachalium ordinum regulis multùm diversa sectarentur; cùm tamen non solùm Episcopis suis obsequentes se ubique præberent, sed & ex eorum numero primi apud nos Episcopi ferè semper eligerentur, haudquaquam existimandum est (quod nonnullis, in primis Clariss. D. Jacobo Dalrymplio in suis collectaneis, visum) diversam eos de Romana Hierarchia, illisque quæ ubique tum in ea ecclesia recepta erant Christianæ religionis dogmatibus, sententiam fovisse. Id, ut alios taceam, extra dubium mihi posuisse videtur Geo. Crafordius, in suo de summis in Scotia Statûs Ministris opere, Vol. I. pag. 6, & 7.

Tab. XXX.

(*d*) Memorabile est, quòd in hac charta Franciscus & Maria se Reges Scotiæ, Angliæ & Irlandiæ, *&c.* appellent. V. supra Præfat. pag. 2.

de Dunbar: quâ terra de Dundas Heliæ filio Huttredi pro servitio dimidii militis conceditur.

Tab. LXXIV. Apographum ejusdem.

Tab. LXXV. Charta RICARDI de MOREVILLA Constabularii Regis Scottorum: quâ duo mancipia, sciz. Edmondus filius Bonde, & Gillemichel frater ejus, & filii & filiæ suæ, & tota progenies ab eis descendens, Henrico de Sancto Claro & heredibus suis pro tribus marcis conceduntur.

Alia charta ejusdem RICARDI *de* MOREVILLA: quâ dat & concedit eidem Henrico de Sancto Claro terram de Hirdmanestum cum tota terra quam Ricardus Camerarius tenuit de Hugone de Morevilla patre suo, *&c.*

Tab. LXXVI. Earundem chartarum apographa.

Tab. LXXVII. Charta WALTERI *de* BERKELEY Camerarii Regis Scottorum: quâ terra de Creswaldef Willelmo filio Ricardi pro servitio dimidii militis conceditur.

Tab. LXXVIII. Apographum ejusdem.

Tab. LXXIX. Charta WALTERI CUMIN Domini de Roualeyn; quâ concedit Ricardo de Boill Domino del Calburne quinquaginta solidos annui redditûs terrarum - - - - - - in tenemento suo de Roualeyn in Baronia de Conigham, *&c.*

Tab. LXXX. Apographum ejusdem.

Tab. LXXXI. Charta ROLLANDI filii Uchtredi Constabularii Regis Scotorum: quâ concedit Alano de Sancto Claro & Matildæ de Windesoure sponsæ suæ, & heredibus eorum, terram illam quam Willelmus de Morvilla eis dedit, *&c.* Unâ cum apographo ejusd. recent. charact.

Magna SIGILLA Regum Scotiæ post Robertum III.

Tab. LXXXII. Sigillum JACOBI I. Regis.

Tab. LXXXIII. Sigillum JACOBI II. Regis.

Tab. LXXXIV Sigillum JACOBI III. Regis.

Tab. LXXXV. Sigillum JACOBI IV. Regis

Tab. LXXXVI. Sigillum JACOBI V. Regis *(e).*

Tab. LXXXVII. Aliud Sigillum JACOBI V. Regis.

Tab. LXXXVIII. Sigillum MARIÆ Reginæ.

Tab. LXXXIX. Sigillum FRANCISCI & MARIÆ R R.

Tab. XC. Sigillum MARIÆ Scotorum Reginæ, Franciæ dotariæ.

Tab. XCI. Sigillum JACOBI VI. Regis.

Tab. XCII. Titulus, SIGILLA *Regum Scotiæ, ex quo Jacobus* VI. *Sceptrum Angliæ tenuit.*

Tab. XCIII. Sigillum JACOBI VI. Scotiæ, I. Angliæ Regis.

Tab. XCIV. Sigillum CAROLI I. Regis.

Tab. XCV. Sigillum CAROLI II. Regis.

Tab. XCVI. Sigillum JACOBI VII. Regis.

Tab. XCVII. Sigillum GULIELMI II. & MARIÆ II. R. R.

Tab. XCVIII. Sigillum GULIELMI II. Regis.

Tab. XCIX. Sigillum ANNÆ Reginæ.

Tab. C. Sigilla Ecclesiasticorum *(f).*

Tab. CI. REGALIA *Scotiæ,* sive summi apud Scotos imperii Insignia; *corona, sceptrum* & *gladius (g).*

Tab. CII. Titulus, CHARACTERES & ABBREVIATURÆ *in antiquis scriptis.*

Tab. * CIII. Primum Alphabetum literarum majusculárum, ab *A* ad *M.*

Tab. CIV. Secundum alphabet. lit. majusc. ab *M* ad *Z.*

Tab. CV. Tertium alphabet. lit. majusc. ab *A* ad Z, incipiens 20 literis *A.*

Tab. CVI. Quartum alphab. lit. majusc. ab *A* ad *Z,* incipiens 6 literis *A.*

Tab. CVII. Quintum alphab. lit. majusc. ab *A* ad *Z,* incipiens 10 literis *A.*

Tab. CVIII. Primum alphabetum literarum minusculárum ab *A* ad *Z,* incipiens 11 literis *a.*

Tab. CIX. Secundum alphab. lit. minusc. ab *a* ad *z,* incipiens 4 literis *a.*

Tab. CX. Tertium alphab. lit. minusc. ab *a* ad *z,* incipiens 6 literis *a.*

Tab. CXI. Prima Abbreviaturarum, incipiens 9 literis majusculis, totidemque minusculis.

Tab. CXII. 2*da* abbrev. incipiens *aliquando.*
Tab. CXIII. 3*tia* abbrev. ——— *authentica.*
Tab. CXIV. 4*ta* abbrev. ——— *beatum.*
Tab. CXV. 5*ta* abbrev. ——— *cathedralis.*
Tab. CXVI. 6*ta* abbrev. ——— *consuetudine.*
Tab. CXVII. 7*ma* abbrev. ——— *divide.*
Tab. CXVIII. 8*va* abbrev. ——— *dicitur.*
Tab. CXIX. 9*na* abbrev. ——— *essentias.*
Tab. CXX. 10*ma* abbrev. ——— *expositio.*
Tab. CXXI. 11*ma* abbrev. ——— *formalium.*
Tab. CXXII. 12*ma* abbrev. ——— *Galenus.*
Tab. CXXIII. 13*tia* abbrev. ——— *Henricus.*
Tab. CXXIV. 14*ta.* abbrev. ——— *hominibus.*
Tab. CXXV. 15*ta* abbrev. ——— *id est.*
Tab. CXXVI. 16*ta* abbrev. ——— *insensibiliter.*
Tab. CXXVII. 17*ma* abbrev. ——— *Kalendæ.*
Tab. CXXVIII. 18*va* abbrev. ——— *longitudine.*
Tab. CXXIX. 19*na.* abbrev. ——— *malitiæ.*
Tab. CXXX. 20*ma* abbrev. ——— *multitudo.*
Tab. CXXXI. 21*ma* abbrev. ——— *nota.*
Tab. CXXXII. 22*da* abbrev. ——— *nomini.*
Tab. CXXXIII. 23*tia* abbrev. ——— *omnem.*
Tab. CXXXIV. 24*ta* abbrev. ——— *Psalmus.*
Tab. CXXXV. 25*ta* abbrev. ——— *personæ.*
Tab. CXXXVI. 26*ta* abbrve. ——— *penitentia.*
Tab. CXXXVII. 27*ma* abbrev. ——— *præter.*
Tab. CXXXVIII. 28*va* abbrev. ——— *queritur.*
Tab. CXXXIX. 29*na* abbrev. ——— *quod.*
Tab. CXL. 30*ma* abbrev. ——— *quoque.*
Tab. CXLI. 31*ma* abbrev. ——— *Rex.*
Tab. CXLII. 32*da* abbrev. ——— *respectum.*
Tab. CXLIII. 33*tia* abbrev. ——— *simpliciter.*
Tab. CXLIV. 34*ta* abbrev. ——— *secunda.*
Tab. CXLV. 35*ta* abbrev. ——— *sicut.*
Tab. CXLVI. 36*ta* abbrev. ——— *tenet.*
Tab. CXLVII. 37*ma* abbrev. ——— *ut.*
Tab. CXLVIII. 38*va* abbrev. ——— *vel.*
Tab. CXLIX. 39*na* abbrev. ——— *Willielmus.*
Tab. CL. 40*ma* abbrev. ——— *Jer.*

PARS SECUNDA.

Tab. CLI. Titulus, NUMISMATA *aurea* & *argentea Regum* Scotiæ.

Tab. CLII. *NUMISMATA AUREA.*

ROBERTORUM R R.

1. *Antico latere,* + ROBERTUS. DEI. GRA. REX. SCOTTORUM. Scutum Scotiæ

(*e*) Quatuor primi Jacobi Scotorum Reges, & per aliquod etiam tempus Jacobus V. uno eodemque archetypo sigillo (ut ex illius aposphragismate patet) usi sunt. (*f*) Hæc omnia sigilla sunt Episcoporum S. Andreæ, præter ultimum, quod sigillum est Decani & Capituli ejus Ecclesiæ, vel (quod verius videtur) ipsius Ecclesiæ sede vacante. Primum autem quod hic exhibetur sigillum est Roberti (de quo supra in Præfat. pag. 19.) qui obiit anno 1159. Secundum est Arnaldi, qui ei successit anno 1160. Tertium est Ricardi, qui Episcopatum iniit anno 1165. Quartum est Rogeri, qui electus est ejus sedis Antistes anno 1189. Quintum est ejusdem Rogeri, qui consecratus demum anno 1198. Sextum est Willelmi Malvoisin, qui Episcopus creatus anno 1202. Septimum & octavum Willelmi Fraser, qui à Papa Nicolao IV. consecratus anno 1280, decessitque anno 1297. Hic primus gentis Fraseriæ arma gentilitia, quæ sunt novem pentaphylla, sive fragi folia, in suo sigillo adhibuit. Notatu autem hîc dignum est, quòd hi omnes S. Andreæ Antistites se SCOTTORUM EPISCOPOS appellent. Qua de re vid. Præf. pag. 12. (*g*) Horum Insignium (quæ nunc in arce Edinburgena custodiuntur) descriptionem faciendam curavit egregius mihique amicitiâ olim conjunctissimus vir Gulielm[illegible] W[illegible]sonus in supremo foro juridico caussarum Clericus. Ejus autem descriptionis exempla authentica in Bibliotheca Juridica Edinburgi, in Collegiis Scotorum Ratisbonensi, Parisiensi, & Romana, aliisque locis, illius viri jussu deposita sunt: quæ etiam in Libris præsentem M. Britanniæ statum exhibentibus exstat.

genti-

gentilitium, cum corona ſuperpoſita.
Poſtico latere, XPC. REGNAT. XPC. VINCIT. XPC. deficiente ſpatio vox IMPERAT omiſſa. S. Andreas cruci decuſſatæ (quam vulgò S. Andreæ appellamus) inter duo lilia, affixus.

2. *A.* + ROBERTVS DEI. GRACIA. REX. SCOTTORU. Scutum Scotiæ, ut ſuprà.
P. + XPC. REGNAT. XPC. VINCIT. XPC. IMPERAT. S. Andreas inter duo lilia, ut ſuprà.

3. *A.* + ROBERTVS: DEI: GRACIA: REX. Scutum Scoticum, abſque corona, duobus lineis in formam quaſi roſæ circumductis.
P. XPC: VINCIT: XPC: REGNAT *(h)*. Crux S. Andreæ, cum binis ex oppoſitis partibus hinc liliis, illinc trifoliis.

4. *A.* + ROBERTVS. DEI. G. REX. SCOTO. Leo Scoticus in ſcuto.
P. XPC. REGNAT. XPC. VINCIT. +. Crux Sanctandreana, cum liliis & trifoliis *(i)*.

JACOBI I. R.

1. *A.* IACOBUS. DEI. GRA. REX. SCOTTORUM. Leo Scoticus coronâ inſignitus, cum duobus liliis.
P. XPC. REGNAT. XPC. VINCIT. XP. D. Andreas cruci affixus inter duo lilia coronata.

2. *A.* IACOBVS. D. GRACIA. REX SCOTOR. Leo Scoticus inter duas corollas, majore coronâ ſuperpoſitâ.
P. + SALVVM FAC POPVLVM TVVM. Divus Andreas, cruci affixus, inter duo lilia, abſque coronis.

JACOBI II. R.

1. *A.* IACOBVS. D. GRACIA. REX. SCO. Divus Andreas crucem ſuam manibus geſtans.
P. SALVVM FAC POPVLVM TVV. DOE *(k)* Leo Scoticus coronâ inſignitus inter duo lilia.

2. *A.* IACOBVS. DEI. GRACIA. REX. SCOT. Scutum Scoticum ſub figura rhombi, minore coronâ ſuperpoſitâ.
P. + SALVVM FAC POPVLVM TVVM DNE. Parva crux Sanctandreana inter duo liliola, quibus circumducta eſt ſtella grandiuſcula ſex radiorum, ſingulis in lilium deſinentibus, cum ſex roſis minuſculis, radiis ſtellæ ordinatim interjectis.

Tab. CLIII.

JACOBI III. R.

1. *A.* IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTORVM. Monoceros ſcutum cum Leone Scotico tenens; ſub pedibus parva crux decuſſata, ſive Sanctandreana.
P. EXVRGAT. DE. ET. DISIPENT. NIMICI. EI *(l)*. Crux florida, magnâ ſtellâ 12 radiis coruſcante ſuperinductâ.

2. *A.* IACOBVS. DEI. GRACIA. REX. SCT. Monoceros cum ſcuto Scotico, ut ſupra, at abſque cruce.
P. EXVRGAT. DNS. ET. DISIPT. INIM. E. Crux cum ſtella, ut in priore.

JACOBI IV. R.

1. *A.* IACOBVS. 4. DEI. GRA. REX. SCOTORUM. Monoceros cum ſcuto Scotico, ut in prioribus.
P. EXVRGAT. DEVS. & DISIPENT. INIMICI. EIV. Crux cum coruſcante 12 radiorum ſtella, ut ſuprà.

2. *A.* IACOBVS. DEI. GRA. REX SCOTOR. Icon Regis quaſi equitis cataphracti, dextrâ gladium vibrantis habitu.
P. SALVVM FAC POPVLVM TVVM DNE. Leo Scoticus in ſcuto ſupernè coronato, cum ingente cruce ad extimum nummi limbum pertingente.

3. *A.* IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTORV. Leo Scoticus cum magna cruce, ut ſuprà.
P. + SALVVM FAC POPVLVM TVVM DOMIN. Rex cataphractam indutus, ut ſuprà. *Hic nummus priorum quadrans.*

JOANNIS *Ducis Albaniæ Gubernatoris.*

1. *A.* IOANNIS. ALBANIE. DVC. GVBERN. Inſignia gentilitia Joannis Ducis Albaniæ (Scotiæ ſub pueritia Jacobi V. Gubernatoris) & uxoris ſuæ *(m)*, cum ingente cruce totum nummum pertranſeunte.
P. + SVB VMBRA TVARVM. Sub cruce, quam Melitenſem vocant, Spiritus Sanctus ſub forma columbæ, alis expanſis, 1524. inferiùs arma Joannis gentilitia quadripartita, tanquam Ducis Albaniæ, Comitis Marçiæ, Domini Manniæ & Annandiæ *(n)*. *Hic nummus eſt honorarius, ſive medallus (o)*.

JACOBI V. R.

1. *A.* * IACOBVS 5. DEI. GRA. REX SCOTORVM. Scutum Scoticum cum corona ſuperpoſita, parvaque ex utroque latere cruce *(p)*.
P. CRVCIS ARMA SEQVAMVR. Crux florida, apicibus in lilia deſinentibus, quatuor cardui conis interjectis. *Hic nummus medalli ſpeciem præfert (q)*.

2. *A.* IACOBVS 5. DEI. GRA. REX. SCOTOR. Protome Jacobi V. coronâ epanocliſtâ *(r)* caput cincti. Pone literæ C K *(ſ)*.
P. VILLA EDINBRVGH. ⁎ Scutum Scoticum magnæ cruci per totum ferè nummum tranſeunti incumbens.

3. *A.* * IACOBVS 5. DEI. GRA. REX. SCOTORVM ſcutum Scot. cum corona ſuperpoſita, parvaque ex utroque latere cruce.
P. CRVCIS ARMA SEQVAMVR. Crux florida, ut in primo hujus Regis nummo *(t)*.

(h) De hoc ſymbolo XPC. VINCIT, &c. ut & de primis apud nos nummorum aureorum cuſoribus, Vide Præfat. pag. 65. Porrò autem notandum eſt literas XPC. Græcas eſſe, compendiumque facere nominis beati Servatoris noſtri XPICTOC vel ΧΡΙΣΤΟΣ: olim enim Græci C pro Σ utebantur. Vid. & Præfat. pag. 49. *(i)* Miror Jac. Andersonum ex aureis Robertorum nummis eos amiſiſſe, quibus ex poſtica parte inſcriptum eſt DNS PTECTOR MS & LIBERATOR. i. e. *Dominus protector meus & liberator meus.* Horum tres in Nummophylacio JCC. Edinb. ſervantur, meminitque eorum Nicolſonus Bibl. Scot. hiſt. p. 294 *(k)* DOE hic, & mox DNE contractè pro *Domine.* *(l)* Pro *Exurgat Deus & diſſipentur inimici ejus*, literis quibuſdam, deficiente ſpatio, omiſſis. In voce autem NIMICI, primus ductus literæ N pro I etiam poſitus videtur: quod in antiquis Inſcriptionibus uſitatiſſimum eſt. *(m)* Ea erat Anna de Turre Comitiſſa Arvernenſis & Bononienſis, filia natu maxima & heres Joannis de Turre Comitis Arvern. &c. Ea nupta Duci Albaniæ anno 1505, obiitque anno 1534. ipſiuſque maritus altero anno poſt, 2 ſciz. die Junii, 1536. qui ex hoc matrimonio ſuſcepti erant liberi primo ævo & ante parentes exſtincti. De nobili hoc conjugum pari prolixè & accuratè agit eruditiſſimus Steph. Baluzius in genealogica ſua domûs Arvernenſis hiſtoria, tom. I. pag. 353. & ſeqq. *(n)* Vid. Alex. Nisbeti ſyſtem. herald. pag. 270. *(o)* Vid. Nicolſonum Bibl. Scot. hiſt. pag. 299. *(p)* Has à lateribus cruces nonnulli pro literis XX accipiunt, proindéque hunc nummum pro XX libris Scoticis cuſum volunt. At cum hic nummus (quod à Cl. Nicolſono Bibl. Scot. pag. 299, notatum) non amplius ponderet quàm unciam unam, ac ſemidrachmas (Scoticè *Drappas* vocamus) ferè tres; ex tabula de auri apud nos variis temporibus valore, Præfat. pag. 80. palam eſt eum, percuſſionis ſuæ tempore, vix novem apud nos libras valuiſſe. Præterea duæ ejuſdem figuræ cruces aliis hujus Regis multò minoris molis nummis à ſcuti lateribus adjectæ planè oſtendunt, non nummorum valorem, ſed Principis, hoc Chriſtianæ religionis Symbolo, pietatem ſignificari: id quod averſa nummi facies confirmat. *(q)* Vid. eund. Nicolſonum, ibid. *(r)* De coronis ejuſmodi epanocliſtis, ſive supernè clauſis, vide ſuprà in Præf. pag. 53. *(ſ)* Fortè his literis Monetarii nomen indicatur. *(t)* Hunc & proximè præcedentem medallis accenſet Nicolſonus loc cit.

[Tab.] CLIV. 4. *A.* ✱ IACOBVS. 5. DEI. G. R. SCOTORV. 1539. Protome Jacobi V. pileum gemmis ſplendeſcentem capite gerentis *(u)*.

P. ✚ HONOR. REGIS. IVDICIVM. DILIGIT. Scutum Scoticum coronâ ornatum cruci floridæ ſuperjacens.

5. *A.* ✚ IACOBVS. 5. DEI. G. R. SCOTORV. 1539. Scutum Scoticum coronatum, torque ex carduis undique circumcinctum.

P. HONOR. REGIS. IVDICIVM. DILIGIT. Magna crux Divi Andreæ, cui in medio incumbit corona inter literas I. & R. ſuperiùs carduo, inferiùs lilio inter crura interjectis.

6. Idem ferè ac quartus hujus Regis nummus, excepto quòd ei inſcriptus eſt annus 1540.

7. Idem ferè qui præcedens, ſed minore mole. Poſticæ parti à lateribus ſcuti inſcriptum I. 5.

8. Ejuſdem generis, ſed minimi moduli nummus.

MARIÆ REGINÆ.

1. *A.* ✱ MARIA. DEI. GRA. REGINA. SCOTORVM. Scutum Scoticum inter duo pentaphylla *(x)*, coronâ ſuperpoſitâ.

P. CRVCIS ARMA SEQVAMVR. Crux liliata, cum quatuor carduorum cacuminibus.

2. *A.* MARIA. D. G. R. SCOTORVM. 1543. Scutum Scoticum coronatum, abſque pentaphyllis.

P. ✱ ECCE ANCILLA DOMINI. In medio MR. ſuprà corona, infra ſtella.

3. *A.* ✚ MARIA. D. G. SCOTORVM. REGINA. Scutum Scoticum coronâ ſuperpoſitâ, à lateribus literæ I & G. pro Jacobo Araniæ Comite tum Scotiæ Gubernatore *(y)*.

P. ✚ DILIGITE. IVSTICIAM. 1553. Monogramma *(z)* literas vocum MARIA REGINA complectens: ſuprà corona, à lateribus duo pentaphylla.

4. *A.* MARI. D. G. R. SCOTORVM. Scutum Scoticum coronæ ſubjectum, cum literis I & G. ut in priore.

P. ✚ DILIGITE IVSTICIAM. 1553. Monogramma literarum M R. ſuprà corona, à lateribus duo pentaphylla, ut in priore.

Tab. CLV. 5. *A.* MARIA. D. G. SCOTOR. REGINA. Reginæ effigies, crinibus pulchrum in modum ornatis.

P. IVSTVS. FIDE. VIVIT. 1555. Scutum Scoticum ſuperpoſitâ coronâ.

6. Ejuſdem formæ ſed minoris moduli nummus.

FRANCISCI & MARIÆ. R R.

7. *A.* FRAN. ET. MA. D. G. RR. SCOTOR. DELPHIN. VIEN. Protomæ ſive pectore tenus deductæ Franciſci & Mariæ imagines, impendente in medio coronâ.

P. HORVM. TVTA. FIDES. 1558. Quatuor delphinorum ſibi mutuo implexorum & coronatorum paria, intercedente inter ſingula paria cruce Lotharingicâ, cum cruce Sanctandreana in medio.

JACOBI VI. R.

1. *A.* ✚ IACOBVS. 6. DEI. GRATIA. REX. SCOTORVM. Navis cum duobus apluſtribus, inſcriptis alteri litera I. alteri numero 6. cum parva ex uno navis latere roſa, & infrà carduo. In medio ſcutum Scoticum coronatum.

P. ✚ FLORENT. SCEPT. PIIS. REGNA. HIS. IOVA. DAT. NVMERATQ. Duo ſceptra ſive baculi, tranſverſim in formam crucis Sanctandreanæ poſiti, faſtigiis utrinque coronâ ornatis. Hæc omnia circumdat magna roſa, cujus ſingulis foliis exteriùs interponitur carduus, uti etiam in centro, interiùs verò quatuor Leones coronati. *Roſa nobilis Scotiæ*.

2. IACOBVS. 6. DEI. GRA. REX. SCOTOR. Jacobus 6. coronâ redimitus, loricâ indutus, dextrâ gladium, ſiniſtrâ ramum olivæ tenens. In exergo, IN VTRVMQVE PARATVS. 1575.

P. PARCERE. SVBIECTIS. & DEBELLARE. SVPERBOS. Scutum Scoticum coronâ inſignitum *(a)*.

3. *A.* IACOBVS 6. DEI. GRA. REX. SCOTORVM. Protome Jacobi VI. capite nudo, collum redimiculo, quod *ruffum* vocamus, cingente, impendente ſuperius coronâ.

P. EXVRGAT. DE'. ET. DISSIP. INIMICI. EIVS. Scutum Scoticum coronatum inter 15 & 80.

4. *A.* DEVS. IVDICIVM. TVVM. REGI. DA. 1584. Literæ IR quater in modum crucis poſitæ, cum litera S in centro.

P. POST 5 ET 100 PROAVOS INVICTA MANENT HEC *(b)*. Leo Scoticus coronâ inſignitus, clunibus poſterioribuſque pedibus inſiſtens, cetero corpore erectus, dextris anteriorum pedum unguibus gladium, ſiniſtris ſceptrum vibrans.

5. Nummus priorem bis mole æquans, ejuſdem formæ typo ſignatus, anno 1586.

6. Similis nummus anno 1588.

Tab. CLVI. 7. *A.* IACOBVS. 6. D. G. R. SCOTORVM. Jacobi VI. laureâ caput redimiti effigies.

P. NEMO. ME. IMPVNE. LACESSET. 1590. Magnus carduus in varios ramos ſe diffundens, ſummo cacumine coronatus: à lateribus literæ I & R. itidem coronatæ, infrà numerus 6.

8. *A.* IACOBVS. 6. D. G. R. SCOTORVM. Caput Regis pileo oblongo tectum: ponè carduus.

P. TE. SOLVM. VEREOR. 1591. Leo erectus & coronatus, ſceptrum ad nomen Dei tetragrammaton literis Hebraicis ſcriptum attollens.

9. *A.* IACOBVS. 6. D. G. R. SCOTORVM. Rex ſub figura equitis cataphracti: infrà 1594.

P. SPERO. MELIORA. Scutum Scoticum coronatum *(c)*.

(u) De Pileatis hiſce, vulgò Bonnet-Pieces, qui ex auro in Scotia reperto fabricati dicuntur, vide ſupra in Præf. pag. 65. (x) Hæc pro ſtellis habent Nicolſonus, pag. 301, & Jac. Sutherlandius: mihi potiùs pentaphylla, ſive cinquefolia videntur. (y) Memoriâ lapſus Cl. Nicolſonius, qui, pag. 301, literis I. & G. Jacobum Stuartum Moraviæ Comitem deſignari ſcribit. Certum enim eſt eo anno 1553. Jacobum Hamiltonium comitem Araniæ in Scotia, in Gallia ducem Caſtelleroti, regni Gubernatorem fuiſſe: Jacobum verò Comitem Moraviæ non ante annum 1567. quo Jacobus VI. Rex erat creatus, id muneris in ſe ſuſcepiſſe. (z) De Monogrammatis (quas nunc vulgò Zyphras vel Cyphras vocamus) vid. Præfat. pag. 48. (a) Hunc inter nummos honorarios, ſive *medallos*, numerandum cenſet Cl. Nicolſonus, Bibl. Scot. hiſt. p. 303. At cum alterum ejuſdem figuræ ac ponderis, anno ſequente 1576, percuſſum ipſe agnoſcat, verius eſt utrumque pro moneta tum in Scotia curſum habitura excuſum exiſtimare: præſertim cum Archeſonus in ſuo de metallis Scoticis tractatu cum ex auro in Scotia reperto fabricatum, ac ſuo tempore pro 3 Libri. Sterl. diſcurriſſe ſcribat. At primus ejus valor, utpote uncialis ponderis, erat tantùm 24 lib. Scot. Vid tab. 1. in Præfat p. 80. (b) Vulgò à ſcriptoribus noſtris 107 Reges ante Jacobum VI. numerantur. Quo pacto *Poſt 7 & 100 proavos, &c.* huic nummo inſcriptum oportebat. Verum ex hoc albo duo Balioli, utpote parum juſto titulo regnum adepti excluſi videntur Atqui eâdem ratione Donaldus Inſulanus, Macbethus, Donaldus Banus, Duncanus II. & quidam alii omitti debuerant. (c) Frequentiſſimum hoc erat apud Scotos, regnante Jacobo VI. aureorum nummorum genus. Ex his enim cuſi exſtant anno 1593, & ſeqq. uſque ad annum 1601. Hoc autem lemmate, ſive legendâ, *ſpero meliora*, voluiſſe videtur Jacobus noſter VI. ſignificare, ſe in propiorem indies regni Anglici adipiſcendi ſpem adductum.

10 Simi-

10. Similis huic, sed dimidiatæ molis nummus, eod. an. 1594.

11. *A.* IACOBVS. 6. D. G. R. SCOTORVM. Scutum Scoticum coronatum.
P. SALVS. POPVLI. SVPREMA. LEX. Sceptrum & gladius tranversim in crucis formam positi: suprà corona, à lateribus duo cardui, infrà 1602.

12. Similis, sed dimidiato pondere nummus, anno 1601.

JACOBI VI. & ANNÆ REGINÆ.

13. *A.* IACOBVS. 6. ET. ANNA. D. G. SCOTORVM. REX. ET. REGINA. Capita Regis & Reginæ: suprà corona.
P. IN DEFENCE. Arma Scotiæ gentilitia, cum unicornibus ea sustinentibus, galeâ ejusque apice, item ordinis S. Andreæ sive cardui insignibus, &c. *Nummus honorarius, sive medallus.*

Tab. CLVII. *NVMISMATA* RR. SCOTIÆ *ARGENTEA.*

ALEXANDRI I. R.

1. *A.* + ALEX*ander* REX. Regis Alexandri I. caput, cum sceptro, circulo ex globulis, fortè margaritis *(d)*, circumcinctum.
P. ON B . . . . . Nomen monetarii, literis vetustate exesis. Crux gemina, cum stella hexagona in unaquaque quadra *(e)*.

2. *A.* + ALEXANDER. REX. Caput Regis cum sceptro.
P. WALEKOK. ON. . . . . Nomen monetarii. Crux gemina cum stellis, ut suprà.

3. *A.* + ALEXNDE. . . . . Caput Regis cum sceptro.
P. . . . . IN. ON. TON. . . . Nomen monetarii, cum cruce & stellis, ut suprà.

DAVIDIS I. R.

1. *A.* DAVID. R. . . . . M. Caput Regis cum sceptro, circulo globulorum inclusum.
P. WATA. . . . . R. DVE. Nomen monetarii. Crux simplex, cum pentaphyllo in unaquaque quadra.

2. *A.* + DAVID. DEI. GRACIA. Caput Regis coronatum, cum parvo sceptro *(f)*.
P. REX. SCoTTORVM. +. Grandis crux ad extimas nummi oras pertingens, cum stella hexagona *(g)*, vel potiùs calcari sex aculeorum, in singulis quadrantibus.

GULIELMI R.

1. *A.* +. WILELMVS. R. Regis caput cum sceptro.
P. + HVE. . . . EDN. . . . Monetarii nomen, *Hugo* (uti ego conjicio) *ab Edinburgo*. Crux gemina, cum quatuor stellis hexagonis.

2. *A.* + WILELMV. REX. Regis caput, cum sceptro in obliquum jacente.
P. + WATER ON TER *(h)*. Monetarii nomen. Crux gemina in florem quasi desinens, stellâ singulis quadris interjacente.

3. *A.* + WILELMVS. R. Regis caput cum sceptro.
P. + . . . AVL. ON. ROCE *(i)*. Monetarii nomen, cum gemina cruce ancoriformi, & quatuor stellis hexagonis.

ALEXANDRI II. R.

1. *A.* ALEXANDE. REX. Caput Regis coronâ ornatum, cum sceptro cruciformi, catenâ ex margaritis circumductâ.
P. IONAS ON AN *(k)*. Monetarii nomen, cum geminâ cruce ancoriformi, & quatuor stellis.

2. *A.* ALEXANDER. REX. Caput Regis, ut priùs.
P. TOMAS ON AN. Monetarii nomen, cum gemina cruce & stellis.

3. *A.* ALEXANDER. REX. Caput Regis, ut priùs.
P. IOHAN ON BE *(l)*. Monetarii nomen, cum gemina cruce & stellis.

ALEXANDRI III. R.

1. *A.* + ALEXANDER. DEI. GRA. Caput Regis coronatum, cum sceptro in lilium desinente.
P. REX. SCOTORVM. +. Crux grandis cum stellis.

2. Nummus præcedenti similis, nisi quòd pro stellis calcaria posita sunt.

3. + ALEXSANDER. DEI. GRA. Caput Regis, ut priùs, sceptro nonnihil inclinato.
P. REX SCOTORVM. Crux cum stellis, ut in priore.

4. *A.* ALEXANDER. DEI. GRA. Caput Regis cum sceptro, ut priùs.
P. REX SCOTORVM +. Magna crux, cum duabus tantum in oppositis quadrantibus calcaribus. *Prioris nummi dimidium.*

Tab. CLVIII. JOANNIS BALIOL R.

1. *A.* + IOHANNES. DEI. GRA. Caput Regis coronatum cum sceptro liligero.
P. REX SCOTORVM +. Crux cum duabus in quadris oppositis, hinc stellis, illinc calcaribus pentagonis.

2. *A.* + IOHANNES. DEI. GRA. Caput Regis, ut suprà.
P. CIVITAS S. ANDREE. Crux cum 2 stellis, totidemque calcaribus, ut priùs. Stellæ autem sunt hexagonæ.

3. *A.* + IOHANNES DEI GRA. Caput Regis, ut suprà.
P. REX SCOTORVM +. Crux cum duobus tantum calcaribus hexagonis. *Prioris nummi dimidium.*

(d) Alexander noster I. summâ margaritarum (quarum fluvii quidam Scotici feracissimi sunt) copiâ abundabat: quod testatur laudatus suprà (Præfat. pag. 11.) Nicolaus Prior Wigorniensis, in suâ ad Eadmerum Electum S. Andreæ epistola sub finem, his verbis: *Præterea rogo & valde obsecro, ut margaritas candidas quantum poteris mihi adquiras. Uniones etiam quascunque grossissimas adquirere potes; saltem quatuor mihi adquiri per te magnopere postulo. Si aliter non vales, saltem à Rege, qui in hac re omnium hominum ditissimus est, pro munere expete.* (e) Inter Alexandri I. nummos, nunc in Nummophylacio JCC. Edinb. servatos, unus est cui in aversa parte inscriptæ sunt literæ WALTER ON ROCE, quod Jacobus Sutherlandius in suo catalogo interpretatur *Walterus in Rothesaia* (quod oppidum est in insula Bota vulgò *Bute*.) Mihi potiùs voce ROCE Rosburgum vel Roxburgum oppidum Teviotiæ significari videtur. Et fortè idem est iste Walterus qui in secundo hujus Regis nummo WALEKOK nominatur, literarum apicibus præ vetustate evanescentibus. (f) Hunc nummum Cl. Nicolsonus Bibl. Scot. histor. p. 307. eumque secutus auctor noster J. Andersonus Davidi I. tribuunt. Ego verò à Davide II. cusum existimo. Vid. Præfat. pag. 63. ad notam (g). (g) Has figuras rei heraldicæ Scriptores Mullets vel Molets vocitant: an verò iis stellæ, an calcaria intelligenda sint, haud satis distinctè explicant. Rationi autem maximè consentaneum videtur, ut quæ integræ in centro ac solidæ sunt, pro stellis; quæ in medio perforatæ, pro calcaribus habeantur. V. Alex. Nisbetum in System. herald. p. 408. (h) Jacobus Sutherlandius WALTER ON BER (quod & rectius videtur) legit; interpretaturque *Walterus in Bertha*, quod olim nomen oppido fuit, postea *Pertho* appellato. (i) Idem Sutherlandius legit RAVF ON ROCE, id est, *Radulphus in Rothesaia*, vel potiùs *Rosburgo*. (k) Hic nummus nunquam à me visus, in nobilissimo & rariorum omne genus nummorum copiâ refertissimo illustriss. Comitis Pembrociæ cimeliarchio habetur. Fortè in eo, literis vetustate exesis, & oculi aciem fallentibus, pro IONAS ON AN legendum, ut in sequente, TOMAS ON AN; quod Jac. Sutherlandius *Thomas in Anando* oppido explicat. (l) Fortè *Johannes in Berwico.*

ROBERTI I. BRVCE R.

1. *A.* + ROBERTVS DEI GRA. Caput Regis coronatum, cum ſceptro *(m)*.
P. SCOTORVM REX. +. Crux cum 4 calcaribus pentagonis.

2. *A.* + ROBERTVS REX SCOTTORV. Caput Regis coronatum cum ſceptro.
P. VILLA DE PERTH. Crux cum 4 calcaribus.

3. *A.* + ROBERTVS DEI GRA. Caput Regis, ut priùs.
P. SCOTORVM REX. Crux cum 2 tantum ſtellis. *Prioris nummi dimidium.*

4. *A.* + ROBERTVS REX. Caput Regis, ut priùs.
P. VILLA EDINBVG. Crux cum 4 ſtellis.

5. *A.* + ROBERTVS DEI GRA. Caput Regis, ut priùs.
P. SCOTORVM REX. Crux cum 4 ſtellis. *Denarii quadrans.*

Not. *Omnes ſupradicti nummi Alexandri* I. *Davidis* I. *&c.* (præter unum Alexandri II. qui bidenarius eſt) *vel denarii ſunt, vel ſemidenarii, vel quadrantes. Porrò in omnibus Reges dimidiatâ facie conſpiciuntur.*

DAVIDIS II. BRUCE R.

1. *A.* + DAVID: DEI: GRA: REX: SCOTORVM. Caput Regis coronatum cum ſceptro, roſæ incluſa.
P. +. DNS: PTECTOR MS. I LIBATOR MS. & interiore circulo, VILLA EDINBVRGH. Crux magna totum nummum pertranſiens, cum 4 calcaribus quinque aculeorum. *Nummus eſt 4 denariorum, ſive groſſus.*

2. *A.* + DAVID, *&c.* ut ſuprà.
P. DNS. PTECTOR. ME. I LIBATOR. MS. Interiùs VILLA ABERDON. Crux magna, ut in priore, cum 4 calcaribus. *Groſſus.*

3. *A.* + DAVID, *&c.* ut ſuprà.
P. + DNS PROSECTOR MEVS *(n)*. Interiùs VILLA EDINBVRGH. Crux cum 4 calcaribus, ut in priore. *Nummus ſuperioribus paullò minor, ac (uti videtur) ſemigroſſus.*

4. *A.* + DAVID REX SCOTOSVM *(o)*. Regis caput, ut ſuprà.
P. VILLA. EDINBVRGH. Crux cum 4 calcaribus. *Denarius.*

5. *A.* + DAVID. DEI. GRACIA. Caput Regis, ut ſuprà.
P. REX SCOTTORVM. Crux cum 4 calcaribus. *Denarius.*

Tab. CLIX. ROBERTI II. STUART R.

1. *A.* + ROBERTVS. DEI. GRA. REX. SCOTORVM. Caput Regis coronâ inſignitum cum ſceptro liligero, quibus magna roſa aut lineæ in roſæ formam diſpoſitæ, circumducuntur.
P. + DNS PTECTOR MS I LIBATOR MS. & in circulo interiore VILLA EDINBVRGH. Crux magna cum ſingulis in unoquoque quadrante calcaribus. *Groſſus.*

2. Similis præcedenti nummus, niſi quod in averſa parte interiùs inſcriptum ſit VILLA DE PERTH. +.

3. Similis præcedenti nummus, niſi quod in antica facie pone Regis caput inſcripta eſt litera B *(p)*, interiuſque in poſticâ + VILLA DVNDE. *Groſſus.*

4. *A.* + ROBERTVS. DEI. GRA. REX. SCOTTOR. Regis caput, cum ſceptro, roſâ includente.
P. + DNS PROTECTOR MEVS. Interiùs VILLA EDINBVRGI. Crux cum 4 calcaribus. *Semigroſſus.*

ROBERTI III. R.

1. *A.* ROBERTVS. DEI. GRA. REX. SCOTORV. Regis coronati, ac plenâ tuentis facie imago, ſed abſque ſceptro: intra roſam ternis globulis ad flexuras interſtinctam.
P. DNS. PTECTOR. MS. I LIBATOR. MS. Interiùs VILLA EDINBVRGH. Magna crux cum ternis in unaquaque quadra globulis *(q)*. *Nummus groſſus.*

2. Nummus eâdem inſcriptione, at roſæ angulos exornant cruciculæ, & in averſa parte VILLA DE PERTH. *Groſſus.*

3. Similis figuræ nummus, nonnihil detritus. Roſa ſimplex caput Regis circumclaudit abſque globulis aut cruciculis. In averſa parte VILLA DE ABERD. *Groſſus.*

4. *A.* + ROBERTVS: DEI: GRACIA: REX SC. Caput Regis coronatum, ut priùs: intra roſam ſingulis globulis ad unamquamque flexuram diſtinctam.
P. + DNS. PTECTOR, *&c.* interiuſque VILLA DVNBERTAN, cum cruce & globulis, ut ſuprà. *Groſſus.*

5. *A.* + ROBERTVS. DEI. GRA. REX. SCOTOR. Caput Regis intra roſam ternis globulis in curvaturis diſtinctam, ut ſuprà.
P. + DNS. PTECTOR. MS. I. LIBERAT. Interiùſque VILLA EDINBVRGH, cum cruce & globulis, ut ſuprà. *Semigroſſus.*

6. *A.* + ROBERTVS REX SCOTOR. Caput Regis coronatum, abſque roſa.
P. VILLA EDINBVRGH. Crux cum ternis in ſingulis quadrantibus globulis. *Denarius.*

Tab. CLX. JACOBI I. R.

1. *A.* + IACOBVS. DEI. TRACIA. *(r)* REX SCOTOR. Caput Regis coronatum, facie plenâ, cum ſceptro liligero. In ſummo Regis pectore inſcriptum eſt lilium cum binis cruciculis, item alia crucicula ſub cæſarie ad dextram. Hæc omnia circumambit magna roſa cum liliis ad ipſius flexuras interiùs diſpoſitis.
P. + DNS. PTECTOR. MS. I LIBATOR. M. & in interiore circulo, VILLA EDINBVRGH. Magna crux totum nummum pertranſiens, cum uno hinc lilio, terniſque illinc globulis ſive byzantinis *(ſ)*, in oppoſitis quadrantibus collocatis. *Groſſus.*

2. *A.* + IACOBVS DEI GRACIA REX SCOTOR. Caput Regis coronatum vultu pleno, cum ſceptro liligero, & in pectore cruce. Hæc omnia undique cingit roſa, cum globulo vel byzantino ad ſingulas curva-

(m) An ulli groſſi, ſive nummi 4 denariorum, ab hoc Rege percuſſi ſint, vid. Præfat. pag. 63. *(n)* Inſcitiâ monetarii pro PROTECTOR. *(o)* Eâdem inſcitiâ pro SCOTORVM. *(p)* De hoc nummo vid. Præfat. pag. 64. *(q)* Hi globuli, quos aliter *Byzantinos*, Angli Pellets ſive pilulas vocant, nunc primùm in noſtris nummis conſpiciuntur. Id autem imitatione factum Anglorum & Francorum, quorum in nummis hi globuli frequentiſſimè adhibentur. Vid. infrà ad nummum primum Jacobi I. *(r)* Inſcitia monetarii ſive ſculptoris, pro GRACIA. *(ſ)* Hos Byzantinos vulgò *Beſants* heraldi appellant, quibus & intelligi volunt nummos aureos à Regibus in ſuis inaugurationibus Deo offerri ſolitis. Nomen autem habent a Byzantio ſive Conſtantinopoli urbe, in qua ejuſmodi nummi cudebantur. Vid. Alex. Nisbet. Syſt. Herald. p. 220.

curvaturas interiùs posito.

P. + DNS PTECTOR, *&c.* ut in priore. Et in interiore circulo VILLA: ABERDEN: Crux cum liliis globulisque, ut suprà. *Grossus.*

3. *A.* + IACOBVS: DEI. GRACIA. REX. SCO. Rex pleno vultu aspiciens, cum lilio in summo pectore, & sceptro liligero. Rosa, cum 3 globulis ad singulas ejus flexuras, omnia circumcludit.

P. + ɑNS TECTOR MS ⁊ LIBATIVO *(t)*. Interiùsque VILLA ST. REVEVLI *(u)*. Crux cum liliis globulisque, ut suprà. *Grossus.*

4. *A.* + IACOBVS. DEI. TRACIA. *(x)* REX. SCO. Singulis vocibus interpositum lilium. Regis pleno vultu tuentis caput coronatum, pectore nudo, juxtà sceptrum liligerum. Rosa cum globulis, ut in nummo hujus Regis 2, omnibus circumducitur.

P. + DNS. PTECTOR. MS. ⁊ LIBAT *(y)*. Interiùsque VILIA DE LINLITHC *(z)*. Crux cum liliis globulisque, ut priùs.

5. *A.* + IACOBVS DEI GRACIA REX SCOT. Inter singulas voces lilium. Caput Regis coronatum, cum sceptro liligero, intra rosam liliis interstinctam. In summo Regis pectore lilium inter duas cruciculas.

P. + DNS PTECOTOR *(a)* MS ⁊ LIBAT. cum lilio post DNS. Interiùsque VILLA DE PERTH. Crux cum liliis globulisque, ut in prioribus. *Grossus.*

6. *A.* + IACOBVS, *&c.* cum lilio. Caput Regis cum sceptro liligero, *&c.* ut in priore.

P. + DNS PTECTOR MS ⁊ LIBATOR M. Interiùs VILLA EDINBVRGH, cum cruce liliis globulisque, ut suprà. *Semigrossus.*

JACOBI II. R.

1. *A.* IACOBVS: DEI: GRACIA: REX: COTRV. *(b)* *. Protome Regis coronam clausam capite gerentis.

P. + DNS. PROTECT. ⁊ LIBERATO: & in interiore circulo + VILLA EDINBRVG. Magna crux totum nummum pertransiens, inter cujus oppositas quadras hinc singulæ corollæ, illinc terni cum annulo globuli interjacent. *Grossus.*

2. *A.* IACOBVS: DIE: *(c)* GRACIA: REX: COTTO *(d)*. Regis protome cum corona clausa, ut supra.

P. + DNS PROTECTOR SVORVM. Interiùsque VILLA DE ABBDEN. Crux cum corollis, globulis annulisque, ut suprà. *Grossus.*

3. *A.* IACOBV. DEI GRACIA REX COT. *(e)*. Regis protome, ut priùs.

P. DNS PROTECTOR METE *(f)*. Interiùs VILLA EDINBRG. Crux cum corollis, *&c.* ut suprà. *Semigrossus.*

4. *A.* IACOBVS. DIE. GRACIA. REX. Protome Regis, ut suprà.

P. + DNS PROTETOR METERA *(g)*. Interiùs VIILA EDINBVR. Crux cum corollis, *&c.* *Denarius.*

JACOBI III. R.

1. *A.* IACOBVS. DEI. GRA. REX SCOTTORVM. cum corolla in initio, & inter plerasque voces cruciculis. Protome Regis apertâ coronâ caput redimiti, collo & summo pectore nudis, intra rosam, quatuor liliis interiùs adjectis.

P. Corolla. DNS. PTECTOR. MS. ⁊ LIBERATOR. MS. Interiùs corolla & VILLA EDINBVRG. Crux magna, cum corollis & globulis, ut in patris sui nummis, & inter globulos vice annulorum duobus flosculis. *Grossus.*

2. *A.* IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTOR. Initio crux recruciata, & inter singulas voces duæ parvæ cruces. Regis protome, thorace ligulis adstrictâ induti, rosâ absque liliis circumductâ.

P. Crux recruciata. DNS. PTECTOR. MEVS. ET. LI. binis cruciculis in medio & fine (punctorum vice) interjectis. Interiùs VILLA EDINBVRG. Crux cum corollis & globulis absque annulis. *Grossus.*

Tab. CLXI. 3. *A.* Corolla. IACOBVS. DEI. GRACIA. REX. SCOTORVM. Regis coronati effigies, intra rosam, cum liliis interiùs ad flexuras dispositis.

P. Corolla. DNS. PTECTOR. MS. ⁊ LIBERATOR. MS. Interiùsque VILLA EDINBVRG. Crux cum corollis, globulis & annulis, ut in nummis patris sui. *Grossus.*

4. *A.* Corolla. IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTTORVM. Icon Regis coronati, intra rosam liliis distinctam, ut suprà.

P. Corolla. DNS. PTECTOR. MS. ⁊ LIBERATOR. MS. cum cruciculis ante & post literam P. Interiùs corolla, & VILLA ABIRDEN, interjectis aliquoties cruciculis. Crux cum corollis globulisque, absque annulis.

5. *A.* Corolla. IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTTORV. Regis coronati imago, intra rosam, ut suprà.

P. Corolla. DNS. PTECTOR. MS. ⁊ LIBERATOR. Interiùs corolla, VILLA STERLING. Crux cum corollis & globulis, ut suprà.

6. *A.* Corolla. IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTTORVM. Protome Regis coronati intra rosam, absque liliis.

P. + DNS. PTECTOR. *&c.* Interiùsque ✠ VILLA. ROXBVRGH. Crux cum corollis globulisque, ut suprà. *Grossus.*

7. *A.* + IACOBVS. DEI. GRACIA. REX. SCOTOR. Protome Regis coronati, ut priùs.

P. Corolla. DNS. PTECTOR. *&c.* Interiùsque corolla, & VILLA EDINBVRG. Crux cum corollis & globulis, ut in priore; *Semigrossus.*

8. *A.* + IACOBVS. DI. *(h)* GRA. REX. SCOTORVM. Effigies Regis coronati, intra rosam cum liliis, ut suprà.

P. + DNS. PRETECTOR *(i)*. MEVS. Interiùs + VILLA EDINBVG. Crux cum corollis, globulis annulisque, ut suprà. *Denarius.*

9. *A.* Corolla. IACOBVS. DEI. GRACIA. REX. S. Regis coronati effigies, absque rosa.

P. Corolla. VILLA EDINBVRG. Crux cum duabus hinc corollis, illinc liliis. *Semidenarius.*

10. *A.* Crux recruciata. IACOBVS. DEI. GRA-

(t) Intolerandâ monetarii sive oscitantiâ sive inscitiâ, hîc litera ɑ inversa pro D. & TECTOR pro PTECTOR sive PROTECTOR, & LIBATIVO, pro LIBATOR i e. LIBERATOR, sculpta. (u) Pro STREVELIN. Ita enim olim scribebant, nunc *Stirling.* (x) Pro GRACIA, ut suprà. (y) Post DNS appositum lilium cum crucicula, post PTECT crucicula, post MS lilium. (z) Pro LINLITHCO, nunc LINLITHGOW, vulgò contractè LITHGOW; Buchananus Limnuchum appellat. (a) Pro PROTECTOR. (b) Pro SCOTORVM. * Hi Jacobi II. nummi à Monetario peregrino & literarum supra modum ignaro fabricati videntur. (c) Inversim pro DEI. (d) Omisso primo vocis elemento, pro SCOTTO. (e) Omisso S. ut in priore. (f) Crassissimâ inscitia pro MS. ET. *&c.* (g) Ineptissimè, pro PROTECTOR MS. ET. LIBA, i. e. MEUS & LIBERATOR. (h) DI pro DEI. (i) Pro PROTECTOR.

CIA

CIA. REX. SCOT. Protome Regis coronati, intra roſam, cum liliis, ut ſuprà.

P. Crux recruciata. DNS. PTECT. MEVS. ET. LEBA. M. *(k)*. Interiùs crux recruciata, VILLA. EDINBRG. Magna crux; cum lilio in uno quadrante, & ex adverſo corolla, & in aliis quadrantibus ternis globulis cum annulo. *Groſſus.*

11. *A.* + IACOBVS. DEI. GR. REX. SCOTO. Regis coronati icon, intra roſam.

P. DNS. PTECTOR. MS. & LIBERAT. Interiùs + VILLA EDINBVRG. Crux, cum ſingulis in oppoſitis quadrantibus calcaribus, in reliquis trinis globulis cum annulo. *Groſſus.*

12. *A.* + IACOBVS, &c. Regis effigies intra roſam.

P. + DNS. PTECTOR. MS. I LEBERATO. *(l)*. Interiùs VILLA EDINBVRGH. Crux cum calcaribus & globulis, ſed abſque annulo. *Groſſus.*

13. *A.* Stellula. IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTORM *(m)*. Regis effigies intra roſam.

P. Stellula. DNS. PTECTOR. MS. & LIBATVR *(n)*. Interiùs VILLA EDENBEOVRGH. Crux cum globulis & calcaribus. *Denarius.*

14. *A.* + IACOBVS. D. GRA. REX. SCOTOR. Regis coronati effigies, intra roſam.

P. + DNS. PTECTOR. MS. I LIBATOR. Interiùs + VILLA. BERWICHI *(o)*. Crux cum calcaribus, globulis annuliſque, ut ſuprà. *Groſſus.*

15. *A.* + IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTORM. Regis coronati imago intra roſam.

P. + DNS. PTECTOR. MS. I LIBERAT. Interiùs + VILLA. BERWICHI. Crux cum calcaribus & globulis, abſque annulo. *Semigroſſus.*

16. *A.* + IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOT. Rex coronatus, intra roſam, ut ſuprà.

P. DNS. PERTECTOR. MS. I LIBERATO. Interiùs VILLA. BERWICCHII. Crux cum calcaribus globuliſque, ut in præcedente. *Denarius.*

Tab. CLXII. JACOBI IV. R.

1. *A.* Corolla. IACOBVS DEI. GRA. REX. SCOTTORV. QT *(p)*. Protome Regis coronati, intra roſam, cum ternis ad flexuras globulis.

P. SALVVM. FAC. POPVLVM. TV. Interiùs VILLA. EDINBVRGE. Magna crux, quam Melitenſem vocant, cum ſingulis hinc ſtellis, illinc ternis globulis. *Groſſus.*

2. *A.* Corolla. IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTTORV. QRA. Regis intra roſam effigies, ut in præcedente.

P. SALVVM. FAC. POPVLV. TVV. DNE. Interiùs VILLA EDINBVRGE. Crux Melitenſis, cum ſtellis globuliſque, ut ſuprà. *Groſſus.*

3. *A.* Corolla. IACOBVS DEI. &c. ut in ſuperiore. Rex coronatus, intra roſam, cum ternis globulis ut ſuprà, & ab utraque gena ſtella.

P. SALVVM. FAC. &c. Interiùs VILLA EDINBVRGE. Crux Melitenſis, cum calcaribus globuliſque, ut ſuprà. *Groſſus.*

4. *A.* Corolla. IACOBVS. DEI. &c. ut in ſuperioribus. Rex coronatus intra roſam, cum ternis ex oppoſitis partibus globulis, abſque ſtella.

P. SALVVM. FAC. &c. Interiùs VILLA EDINBVRGI. Crux Melitenſis cum ſtellis & globulis. *Groſſus.*

5. *A.* Corolla. IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTTORVM. IIII. Rex coronatus intra roſam, ut in primis illius nummis.

P. SALVVM. FAC. PPLVM. TVVM. DNE. Interiùs, VILLA EDINBEOVRGE. Crux Melitenſis, cum ſtellis & globulis, ut ſuprà. *Groſſus.*

6. *A.* Corolla. IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTTORV. IIII. Rex coronatus intra roſam cum globulis, ut ſuprà.

P. SALVV. FAC. POPVLV. TV. DNE. Interiùs, VILLA EDINBVRGE. Crux Melitenſis, cum ſtellis globuliſque, ut ſuprà. *Denarius.*

7. *A.* Corolla. IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTTORV. Rex coronatus intra roſam, ut ſuprà.

P. SALVV. FAC. POPVLV. TVV. DNE. Interiùs, VILLA EDINBVRGE. Crux Melitenſis cum ſtellis globuliſque, ut ſuprà. *Denarius.*

JACOBI V. R.

1. *A.* + IACOBVS. DEI. GRA. REX. SCOTORV. Rex coronam apertam capite gerens, intra roſam, liliis circumcirca diſtinctam.

P. + VILLA EDINBVRGH. Crux foliata, cum binis in oppoſitis quadrantibus, hinc calcaribus, illinc carduorum cacuminibus. *Groſſus.*

2. *A.* + IACOBVS. DEI. GRA. R. cum parvis interpunctionum loco cruciculis. Rex coronatus intra roſam, ut priùs.

P. + VILLA EDINBV. Crux foliata, cum calcaribus carduiſque ut in præcedente. *Denarius.*

3. *A.* + IACOBVS. 5. DEI. GRA. REX. SCOTOR. Thorocata Regis effigies, quâ & coronâ ſupernè clauſâ inſignitus, & dimidiâ tantum facie proſpiciens, exhibetur.

P. OPPIDV. EDINBVRGI. Scutum Scoticum magnæ cruci Melitenſi totum nummum pertranſeunti ſuperincumbens. *Groſſus.*

4. *A.* + IACOBVS. 5. DEI. GRA. REX. SCOTORV. Rex dimidiatâ facie tuens, coronâ clauſâ capite tectus, thoracem diverſi à priore generis indutus.

P. OPPIDVM EDINBVRGI. Scutum Scoticum, cruci Melitenſi, ut in priore, ſuperincumbens. *Groſſus.*

5. *A.* + IACOBVS. 5. DEI. GRA. REX. SCOTOR. Rex thorocatâ effigie, &c. ut in ſuperioribus.

P. VILLA. EDINBVRGH. x. Scutum Scoticum cruci Melitenſi, ut priùs, incumbens. *Groſſus.*

(k) LEBA, ex monetarii inſcitia, pro LIBA, i. e. *Liberator meus.* (l) Pro LIBERATO, i. e. *Liberator*, ut ſuprà. (m) Pro SCOTORUM, deficiente ſpatio. (n) Pro LIBERATOR. (o) Locus, in quo hic duóque ſequentes nummi ſunt percuſſi, manifeſtè (ut à Nicolſono notatum) indicat eos ad Jacobum III. pertinere. Is enim oppidum Bervicum, Scotis ab Edwardo III. Anglo ereptum anno 1333. ac eis ab Henrico VI. anno 1461. reſtitutum, per 21 annos tenuit: donec tandem id anno 1482. Anglis rurſus deditum, ſub quorum deinde ditione in hunc uſque diem remanet. (p) Hic ex Scotorum Regibus primus numerum ſuo nomini in nummis ſuis adjecit, & aureo quidem (ut in tab. CLIII. N. 1.) figuram Arabicam 4. argenteis verò, ut hic, QT. ſæpiùs QTA. interdum IIII. pro *Quartus.* Imitatus autem in hac re videtur ſocerum ſuum Henricum VII. Anglorum Regem, qui hunc numerum ſuo nomini addendi morem, ab Henrico quidem III. uſitatum, at ab omnibus ejus ſucceſſoribus per ducentos amplius annos neglectum, primus reſtituit. Vide de hac re elegantiſſimi viri Radulphi Thoresbii Ducatûs Leodienſis topograph. &c. pag. 360. Mirum autem eſt apud Gallos, inter tot Reges, Carolos, Philippos, ac præſertim Ludovicos, hanc conſuetudinem cœpiſſe demùm ſub Henrico II. id quod ex eorum nummis apud Fr. Blancium videre eſt.

6. *A.* + IACOBVS. 5. DEI. GRA. R. SCOTOR. Rex thoracatâ effigie, ut priùs.
P. OPPIDV. EDINBVRGI. Scutum Scoticum ſuper crucem Melitenſem, ut priùs. *Denarius.*

Tab. CLXIII. MARIÆ R.

1. *A.* Roſula. MARIA. DEI. GRA. R. SCOTORVM. Reginæ clauſâ coronâ inſignitæ, & dimidiato vultu proſpicientis, effigies.
P. + DA. PACEM. DOMINE. 1553. Scutum Scoticum coronâ ſuperpoſitâ, inter duas roſas *(q)*. *Teſton (r).*

2. *A.* + MARIA. DEI. G. SCOTOR. REGINA. 1555. In medio litera M, impendente coronâ, ſtipante utrinque carduo coronato.
P. COR. HVMILE. DILICIE. DNI. Scutum Scoticum cruci patulæ incumbens. *Teſton.*

3. Idem præcedenti, ſed minoris moduli nummus.

4. *A.* + MARIA. DEI. G. SCOTOR. REGINA. 1557. Scutum Scoticum coronatum inter literas M & R.
P. Corolla. IN VIRTVTE TVA LIBERA ME. 1557. Crux magna pedata, cum 4 minoribus intra quadrantes cruciculis.

5. Idem ferè præcedenti ac ejuſdem moduli nummus. Hoc tamen diſconvenit hic à priore, quòd in antico latere literis M & R ſubjiciuntur duo annuli. In poſtico verò, quod mirum, annus apponitur 1556, cum in antico 1557 inſcribatur.

6. Similis præcedentibus nummus, inſcripto anno 1558.

7. Similis ejuſdem anni, ſed minoris moduli nummus.

FRANCISCI & MARIÆ RR.

8. 1. *A.* FRAN. ET MA. D. G. RR. SCOTOR. DELPHIN. VIEN. Protomæ Franciſci & Mariæ ſe mutuò aſpicientium, hujus capite nudo, illius crinibus plexis conſpicuorum, impendente in medio coronâ.
P. FECIT VTRAQVI *(ſ)* VNVM *(t)*. 1558. Scutum bipertitum, cui in dextra parte inſignia Delphini Viennenſis, in ſiniſtra Scotiæ ſunt inſcripta. Suprà corona, à lateribus literæ F & M coronatæ. *Teſton (u).*

9. 2. *A.* FRAN. ET MA. DEI. G. RR. SCOTOR. DD. VIEN. Inſignia Delphini & Scotiæ magnæ cruci pedatæ incumbentia.
P. FECIT VTRAQVE VNVM. 1558. Monogramma literarum F & M intra duas cruces recruciatas, impendente coronâ.

10. 3. *A.* FRAN. ET. MA. D. G. RR. SCOTOR. DD. VIEN. Inſignia Delphini & Scotiæ, ut priùs.
P. FECIT. VTRAQVE. VNVM. Monogramma literarum F & M, *&c.* ut in præcedente, cujus hic dimidium eſt.

11. 4. *A.* FRAN. ET. MA. D. G. R. R. SCOTOR. D. D. VIEN. Monogramma literarum F & M, cingente hinc delphino illinc carduo, coronatis, impendente coronâ.
P. + In quadra, IAM. NON. SVNT. DVO. SED. VNA. CARO. *(x)* intra duas cruces recruciatas: infrà 1558.

Tab. CLXIV. FRANCISCI & MARIÆ RR.

12. 5. *A.* FRANCISCVS. ET. MARIA. REX. REGI. Scutum gentilitium coronatum, in quatuor areolas partitum; in quarum prima & quarta rurſus quadripartita bis Franciæ totieſque Delphinatus, in ſecunda autem & tertia Scotiæ inſignia continentur.
P. SCOTORVM. DELPHINVS. VIENIS. *(y)* 1559. Lemniſcus, cui inſcriptum VNVS NON SVFFICIT ORBIS *(z)*. Supra quem in cœlum emicat diſtrictus gladius cuſpide coronam infixam gerens.

13. 6. *A.* MARIA. D. G. FRANCOR. SCOTOR. REG. ETC. Scutum coronâ epanocliſtâ inſignitum, in duas primùm areolas diſtributum, in quarum priore apparent quaſi dimidiata Franciæ inſignia; in poſteriore autem in quatuor rurſus areolas partita, prima & quarta arma Scotiæ, ſecunda & tertia Franciæ & Angliæ inſignia quadrifariam poſita exhibent.
P. * ALIAMQVE * MORATVR * 1560 *. In ſuperiore area innumeræ ſtellæ, in coronæ formam diſpoſitæ, in nubibus conſpiciuntur: inferiùs, & quaſi in terra, duæ coronæ ſuperne clauſæ, altera majore, altera minore mole, ſe oſtendunt *(a)*.

14. 7. *A.* + FRANCISCVS. ET. MARIA. DEI. GRATIA. REX. ET. REGINA. FRANCORVM. ET. SCOTORVM. Et medio circulo, præeunte lilio, HORA NONA. DOMINVS. IHS. EXPIRAVIT. HELI. CLAMANS. Et intimo circulo, + CIVITAS. PARISIIS. REGIORVM. Protomæ Franciſci & Mariæ, illius laureâ frontem redimiti, hujus comam in nodum plexilem religatæ; impendente inter utroſque coronâ.
P. + Cum lilio, BENEDICTVM. SIT. NOMEN. DOMINI. DEI. GRA. NOSTRI. DEI. IESVS. XPI. Et med. circ. præeunte lilio, OB. RES. IN. ITALIA. GERMANIA. ET. GALLIA. FORTITER. AC. FELI. *(b)*. Et intimo circ. præeunte lilio, FRANCISCVS. GALLIARVM. REX. PARCENDO. ET. DEBELLEN. *(c)*.

(q) Cl. Nicolſonus Bibl. Scot. p. 319. *Mulletos* ſive ſtellas nominat, mihi potiùs parvæ roſæ videntur. *(r)* De his *Teſtonibus* vid. ſuprà in Præfat. pag. 64. *(ſ)* Inſcitiâ ſculptoris pro VTRAQVE, ut rectè in duobus nummis ſeqq. *(t)* Hoc enim Franciſci & Mariæ conjugio Galliæ & Scotiæ regna in unum quaſi coaluerunt. *(u)* Hunc nummum deſcriptum habes apud Blancium de Moneta Francica, pag. 269. *(x)* Hoc lemmate ſignificatur Franciæ & Scotiæ regna uni ſceptro jam eſſe ſubdita. *(y)* Contractè pro VIENNENSIS. *(z)* Hujus nummi honorarii, ſive ſymboli heroici, meminêre Jacobus de Bie, *La France metallique* tab 61. C. Meneſtrerius, Philoſophia imaginum, pag. 104. & Jac. Boſchius ſymbolograph. Claſs. II. N. 963. & alii. Hoc tamen illorum ſive nummus, ſive ſymbolum, à noſtro differt, quod in iſto, inter duos lemniſcos, & à lateribus gladii, inſcribantur duæ ſphæræ cœleſtis & terreſtris, quæ ab hoc nummo prorſus abſunt. Et Meneſtrerius quidem nonnihil inanis gloriæ in hoc ſymbolo contineri ait, Biæus ad tempus conjugii horum Principium, 24 April. 1558. referendum, & pro nummo miſſili ſive honorario eâ occaſione percuſſum habendum vult. At ejus ſententiæ repugnat annus 1559, huic numiſmati inſcriptus. Mihi autem regni Scotici ad Francicum acceſſio eo ſignificari videtur: eodem ſciz. ſenſu, quo Virgilius *Britannos*, quorum Scoti pars remotior eſt, *toto orbe diviſos* ſcribit. Fortè etiam & Angliæ regnum ad Mariam noſtram jure pertinere hoc nummo innuere hi Principes volebant; id quod ſequenti nummo apertiùs eſt declaratum. *(a)* Hoc nummo Maria, aſſumptis Angliæ inſignibus, ſe planè pro illius regni herede gerit, quod inexpiabile ei ab Elizabetha Angla odium conflavit. Lemmatis autem ALIAMQVE MORATVR duplex eſt intellectus: vel enim ſe, depoſito in terris regimine, coronam in cœlis exſpectare Maria ſignificat; vel, quod potiùs reor, ſuam coronæ Anglicæ adipiſcendæ ſpem ſub obſcuro hocce emblemate adumbrari voluit. *(b)* Addenda erant, niſi ſpatium deficeret, — CITER GESTAS. *(c)* Ex errore pro DEBELLANDO.

Insignia Galliæ & Scotiæ in scuto quadripartito bis posita. Incumbit suprà magna corona; à lateribus cingit hinc stella septem radiis coruscans, illinc cardui surculus, imminente utrique coronâ minore *(d)*.

15. 8. *A.* FRAN. ET. MA. D. G. RR. FRANCO. SCOTORQ. Tesseræ Galliæ & Scotiæ gentilitiæ, inter duas cruces, alteram vulgarem, alteram Sanctandreanam.

P. VICIT. LEO. DE. TRIBV. IVDA. 1560. Monogramma literarum F M, impendente coronâ, cingente hinc lilio, illinc carduo, superpositâ utrique corollâ. *Teston.*

16. 9. *A.* Similis per omnia priori, sed dimidiæ tantum molis, nummus.

MARIÆ R. FRAN. DOT.

17. 1. *A.* MARIA. DEI. GRA. SCOTORVM. REGINA. Maria Regina, crinibus pulchrè plexis, cæteroque ad pectus usque amictu conspicua: infra 1562.

P. SALVVM. FAC. POPVLVM. TVVM. DOMINE. Scutum bipertitum, in cujus dextra parte insignia Franciæ dimidiata, in sinistra Scotiæ integra conspiciuntur. Adjicitur hinc illinc litera M, cum corollis superpositis. *Teston.*

HENRICI & MARIÆ RR.

18. 1. *A.* Carduus. HENRICVS. & MARIA. DEI. GRA. R. & R. SCOTORVM. Protomæ Henrici & Mariæ, infràque 1565.

P. QVOS. DEVS. CONIVNXIT. HOMO. NON. SEPARET. Scutum Scoticum coronatum inter duos carduos *(e)*.

Tab. CLXV. MARIÆ & HENRICI RR.

19. 1. *A.* MARIA. & HENRIC[s]. DEI. GRA. R. & R. SCOTORV. Scutum Scoticum coronatum, inter duos carduos, lineolâ per caulem in formam crucis ductâ.

P. Carduus. EXVRGAT DEVS & DISSIPENT[R] INIMICI EI[s]. Palma arbor coronam in cacumine gerens, limace stipitem perreptante: sub frondibus in transverso lemnisco additur hoc effatum DAT GLORIA VIRES; inferiùsque 1565 *(f)*.

20. 2. Similis nummus anno 1566, priore tertiâ parte minor.

21. 3. Similis, sed dimidiæ tantùm magnitudinis nummus, anno 1565.

22. 4. *A.* MARIA. DEI. GRA. SCOTORVM. REGINA. Scutum Scoticum coronatum, *&c.* ut in præcedentibus.

P. Carduus. EXVRGAT. DEVS, *&c.* Palma cum corona, *&c.* ut in prioribus, 1567.

MARIÆ R.

23. 1. *A.* MARIA. DEI. G. SCOTOR. REGINA. Scutum Scoticum coronatum.

P. VIRESCIT. VVLNERE. VIRTVS. Vitis, in duos se pampinos diffundens, quorum alter racemis & foliis plenus, alter siccus sterilisque apparet. In aëre & quasi ex nube se exerit hominis lacertus sterilis pampini ramulum falce amputans; ut hoc pacto reliquo pampino succus ac fertilitas restituatur *(g)*.

24. 2. *A.* MARIA. D. G. SCOTOR. REGINA. FRAN. DOI *(h)*. Scutum bipertitum, in quo hinc Galliæ, illinc Scotiæ insignia repræsentantur.

P. VIRESCIT VVLNERE VIRTVS. Manus è nubibus sterilem pampini ramulum desecans, ut in præcedente.

25. 3. *A.* MARIA. D. G. SCOTOR. REGINA. FRAN. DOI. Insignia Galliæ & Scotiæ, ut in præced.

P. MEA. SIC. MIHI. PROSVNT. Vitis in duos se pampinos exporrigens, quorum præcipuus aridus prorsus atque exsuccus; alter, qui ex priore succrescere videtur, foliis racemisque plenus apparet. Hunc autem urceus è cœlo (neglecto illo altero) effusâ aquâ irrigare atque frugiferum reddere repræsentatur. Infrà 1579 *(i)*.

26. 4. *A.* MARIA. D. G. SCOTOR. REGIN. FRAN. DOI. Insignia Galliæ & Scotiæ in scuto bipertito, ut suprà.

P. NVNQVAM. NISI. RECTAM. Navis in procelloso mari deprehensa, & licet, ventorum vi, malis diffractis, velisque ac reliquis armamentis laceris & in undas dejectis, rectà tamen in cursu suo pergens. Infrà 1579 *(k)*.

27. 5. *A.* * O. GOD. GRANT. PATIENCE. IN. THAT. I SVFFER VRANG *(l)*. Reginæ dimidiato corpore & pullo a-

(d) Nummus honorarius maximi moduli, quem tamen apud Biæum in Francia sua metallica nusquam reperio. *(e)* Nummus, ut videtur honorarius, sive medallus sub Mariæ cum Henrico Darnilæo nuptiis excusus. Hîc autem cum primis observatu dignum est, ex omnibus horum Principum nummis, in hoc solo Henrici nomen nomini Mariæ esse præpositum: cæteris enim (licet in eorum actis publicis priorem locum teneat) Henrici nomen postpositum invenimus. *(f)* De hoc nummo egimus suprà, in Præf. pag. 64 & 73. Cæterùm multi arborem in aversa hujus nummi facie insculptam taxum esse volunt, adduntque præterea eam ipsam designari, quæ in horto Cruxtoniano (quod prædium olim & sedes erat Comitum Leviniæ in agro Renfroensi) prælargo stipite & spatiosis ramis conspicua adhuc viret; coronâ autem, quâ hæc arbor insignitur, dignitatem significari, ad quam (ex suis in eam nuptiis) familiam Levinianam Maria evexerat. *Vid. Nicolsoni Bibl. Scot. hist. pag. 323. & Rob. Kethi rerum Scot. tum eccles. tum civil. hist. pag. in Append.* 118. At mera hæc figmenta esse ostendit secreti consilii de hoc nummo cudendo actum: in quo non taxus, sed palma, ei numismati inscribi mandatur. Porrò ex limace (quanquam ea usu detrita jam vix conspiciatur) quæ arboris truncum ascendens exprimi eodem acto jubetur, planè apparet nihil aliud toto hoc symbolo significari, quàm, ut tardigradum hoc animal, lentissimè licet, ad arboris cacumen tandem ascendit; ita constanti virtute & assiduitate ardua quæque superari posse: præsertim cum corona vincenti præmium sit proposita; quod adjectum indicat lemma ex Ovidio desumptum, Trist. lib. V. eleg. 12.

Denique non parvas animo DAT GLORIA VIRES,
Et fecunda facit pectora laudis amor.

vel potiùs ex Propertio, lib. IV. eleg. 11.

Magnum iter ascendo, sed DAT *mihi* GLORIA VIRES;
Non juvat ex facili lata corona jugo.

Huc in primis facit, quod à Cl. Thoresbio, in *Ducatûs Leodiensis topograph. pag. 229.* memoratur; veterem scil. lectum, in quo natus erat Henricus Darnilæus Mariæ maritus adhuc in loco, qui dicitur Temple-Newsom, in agro Eboracensi exstare; cui aureis literis inscriptum est AVANT DARNLE, IAMAIS DARRIERE, AVANT DARNLE. i. e. *Perge porrò Darnilae, nunquam retro te subtrahe, perge porrò Darnilae.* Hæc inscriptio Thoresbio digna visa est quæ unà cum prædicto nummo æri incisa exhiberetur, *pag.* 228. confer etiam de ea re *pag. ejusd.* 393. * Postremò & illud animadvertendum, multis hujus generis, ut & aliis illius temporis nummis, postea Comitis Mortoniæ Proregis jussu impressum in aversa facie fuisse carduum: ut hoc signo eorum pretium in majus auctum indicaretur. *(g)* Hunc nummum (qui mediocris moduli *medallus* est) exhibuit explicavitque Jac. de Bie, *Franc. metalliq. tab.* 62. & *pag.* 187. addit tamen in suo, sub *exergo*, annum MDLVII. qui in nostro nusquam comparet. *(h)* DOI. pro DOT. i. e. *Dotaria*, in hoc & duobus sequentibus, inscitiâ sculptoris, inscriptum. *(i)* Hunc etiam nummum (qui & symbolicus est) exhibet Jac. de Bie loc. cit. Ejus autem sententia mihi ironica videtur, hæc nimirum, quòd quemadmodum, toto succo è principe vitis palmite in secundarium derivato, hic frondosus fructibusque plenus, ille effœtus aridusque repræsentatur: ita Jacobus Mariæ filius sibi regnum ex matris suæ ruina & calamitate quæsitum ierit. *(k)* Maria hoc symbolico nummo (qui etiam apud Biæum loc. cit. habetur) nullis adversæ fortunæ procellis se à via recti, atque in vera (ut illa rebatur) religione constantia deflecti posse significat. *(l)* Id est, *O Deus da patientiam, propterea quòd injuriam patiar.*

mictu

miĉtu indutæ effigies. A collo pendet torquis cum cruce annexa: dextra pectori imponitur, aut, ut quidam volunt, Breviarium, five librum precum, tenet.

P. Duæ manus fe mutuò extremis digitis tangentes, quarumque una cor fub pollice tenet: cum hoc rithmo circumfcripto, HOVRT. NOT. THE. HEART *(m)*. QVHOIS. IOY. THOV. ART *(n)*. In area lineis directis, QVHO. CAN. COMPARE. VITH. ME. IN. GREIF. I. DIE. AND. DAR. NOCHT. SEIK. RELEIF *(o)*.

Tab. CLXVI. JACOBI VI. R.

1. *A.* IACOBVS. 6. DEI.-GRATIA. REX. SCOTORVM. Scutum Scoticum inter literas I & R coronatas.

P. PRO. ME. SI. MEREOR. IN. ME *(p)*. Gladius nudus furfum erectus coronam cufpide infixam gerens. Superius manus, indice numerum XXX. folidorum monftrans: in medio annus 1567 *(q)*.

2. Prioris nummi bes, infcripto in averfa parte numero XX. & anno 1571. Aliis omnibus priori confentit.

3. Superioris nummi triens, infcripto in averfa parte X & 1568.

4. *A.* IACOBVS. 6. DEI. GRATIA. REX. SCOTORVM. Scutum Scoticum, inter 6 & 8. quæ nummum 6 folidos & 8 denarios (qui dimidium marcæ efficiunt) valere indicant.

P. + SALVVM. FAC. POPVLVM. TVVM. DNE. 1572. Litera I quater in formam crucis floridæ difpofitæ, cum duobus in oppofitis quadris, hinc coronis, illinc carduis, & in centro ftella *(r)*.

5. Præcedentis nummi dimidium, 1572, infcriptis in antica parte 3 & 4. ejus valorem, nempe trium folidorum & quatuor denariorum, indicantibus *(f)*.

6. *A.* IACOBVS. 6. DEI. G. REX. SCOTORVM. Scutum Scoticum coronatum.

P. Corolla. NEMO. ME. IMPVNE. LACESSET. 1578. Cardui furculus cum duobus foliis, inter literas I & R.

7. Nummus præcedenti in omnibus fimilis, præterquam quod annus adfcribatur 1579 *(t)*.

8. Nummus duobus præcedentibus fimilis, nifi quòd literæ paullò fint minores, & in antico latere GRATIA plene fcribatur; in poftico verò carduo corona fuperpofita fit, annuſque adjectus 1581.

9. *A.* IACOBVS. 6. DEI. GRATIA. REX. SCOTORVM. Effigies Regis thoracata, capite coronam, dextrâ gladium gerentis habitu.

P. HONOR. REGIS. IVDICIVM. DILIGIT. 1582. Scutum Scoticum inter literas I & R, & XL. S. i. e. 40 folidi *(u)*.

10. Nummus eod. anno 1582, præcedenti fimilis, fed quartâ ponderis valorifque parte imminutus, infcripto fub literis I. R. XXX. S. i. e. 30 folidi *(x)*.

Tab. CLXVII. 11. Superioris nummi noni femis, anno 1582, infcripto XX. S.

12. Superioris quadrans, 1582. infcripto X. S. *(y)*.

13. *A.* IACOBVS. 6. D. G. R. SCOTORVM. 1592. Scutum Scoticum, impendente coronâ, inter duos carduos.

P. HIS. DIFFERT. REGE. TYRANNVS. Bilanx cum gladio diftricto, juftitiæ fymbolum *(z)*.

14. Prioris dimidium, anno 1591.

15. *A.* IACOBVS. 6. D. G. R. SCOTORVM. Thoracata Regis, capite nudo promiffâque barbâ, effigies.

P. NEMO. ME. IMPVNE. LACESSIT. *(a)*. 1594. Tres cardui ex una ftirpe pullulantes coni, imminente coronâ *(b)*.

16. Præcedentis nummi dimidium, anno 1598.

17. Præcedentis quadrans, anno 1594.

18. Præcedentis pars octava, anno 1595.

19. *A.* IACOBVS. 6. D. G. R. SCOTORVM. Scutum Scoticum coronatum.

P. REGEM. IOVA. PROTEGIT. 1603. Magnus carduus coronâ infignitus. *Marca Scot.*

20. Præcedentis dimidium, anno 1601.

21. Præcedentis quadrans, anno 1602.

22. Præcedentis pars octava, anno 1602.

23. Præcedenti fimilis, anno 1602 *(c)*.

Tab. CLXVIII. Titulus, NUMISMATA *Regum* Scotiæ, *poftquam univerfæ Britanniæ imperârunt.*

Tab. CLXIX. *NUMISMATA AUREA.*

JACOBI VI. R.

1. *A.* IACOBVS. D. G. MAG. BRIT. FRAN. & HIB. REX. Thoracata Regis effigies, capite coronam epanocliftam induti, dextrâ fceptrum gerentis, finiftrâ globum cruce infignitum fuftinentis habitu.

P. Carduus. FACIAM. EOS. IN. GENTEM. VNAM. Scutum quadripartitum; in cujus prima & quarta parte Scotiæ, in fecunda (quæ rurfus in quatuor partes fecatur) Franciæ & Angliæ al-

(m) Pro voce COR ejus figura hîc exhibetur. Hieroglyphicas has argutias vulgò REBUS dicimus, vocabulo indè tracto, quòd nominum loco *rebus* ipfis fic ludentes utantur. *(n)* i. e. *Ne noceas cordi cujus gaudium es.* An verò filium fuum Jacobum, an (quod vero fimilius) Deum opt. max. cui in anteriore nummi facie fupplicat, hîc aloquatur, haud fatis certum. *(o)* i. e. *Quis mihi dolore fe conferat: morior, neque opem implorare audeo.* Hic autem nummus, & ipfe rudi Minervá effictus, paullò ante fuam mortem à Maria excufus videtur. *(p)* Hoc lemma (quo & fuum adverfos Reges ingenium prodit) Georgium Buchananum Jacobi VI. Præceptorem fubminiftrâffe omnes confentiunt. Eadem autem ejus fententia, quæ memorabilis illius Trajani Imp. dicti, quod Dio, Zonaras, Suidas, Victor hunc ferè in modum referunt, *Cum præfecto prætorii gladium traderet, quo accingi eum moris eft, ftrinxit, & nudatum tenens, ait, Cape iftum, & fi rectè imperavero, pro me, fin aliter, contra me utere.* *(q)* Habentur in Nummophylacio JCC. Edinburgi hujus generis nummi cufi etiam anno 1568, 1569, 1570, & 1571. ut & bes illius anno 1570. *(r)* Servantur ex eo genere ibid. cufi anno 1573, 1575, & 1577. *(f)* Habetur & ejufmodi nummus, anno 1573, ibid. *(t)* Hic & proximè præcedens pro marca Scotica difcurrebat, poftea ad 20 folidos auctus. *(u)* De hoc nummo (ut & ejus partibus) dictum fuprà, Præf. pag. 75. *(x)* Exftant hujus generis nummi percuffi anno 1581, 1582, 1583, & 1584. ibid. In his autem omnibus una litera X reliquis duabus fuperpofita eft: in uno tamen anno 1582 cufo literæ xxx unâ lineâ defcribuntur. *(y)* Alium hujus generis vidi ibidem anno 1584. *(z)* Habetur ibid. & anno 1591 percuffus. *(a)* LACESSIT in his omnibus, ut & eorum femiffibus, quadrantibus &c. infcriptum: quod non adeò ingeniofum ac LACESSET, quod in aliis prioribus hujus regis nummis, & quibufdam aliorum, habetur. *(b)* Exftant ex hoc genere cufi anno 1593, 1594, 1598, 1599, 1601. Eum pro 10 folidis Scot. percuffum ftatuit Nicolfonus, Bibl Scot. p. 328. Jac. Sutherlandius 11 folidis cum *placco*, five triente, æftimatum fcribit. At, augente fe indies hoc tempore nummorum apud nos valore, nihil ferè certi de eo definiri poteft. *(c)* Hujus, ut & præcedentis generis, plures in prædicto nummophylacio exftant anno 1593 — 1599, percuffi. At fequentis moduli, utpotè admodum minuti, pauciores. Ex iis quæ fupra memoravimus officinæ noftræ monetariæ actis (Præfat. p. 85.) manifeftum eft à 10 Decem. 1602. ad 22 Aug. 1604, nullam aliam ex argento apud nos monetam fuiffe excufam, præter marcas, femimarcas, nummofque 40 & 20 denariorum Scot. Neque dubium eft quin & anno præcedente 1601, nummi ex eo metallo excufi ejufdem generis fuerint.

fernatim,

ternatim, in tertia denique Hiberniæ arma gentilitia collocantur *(d)*. à lateribus I & R. *Nummus 12 lib. Scot.*

2. *A.* Conchylium. IACOBVS. D. G. MAG. BRIT. FRAN. ET. HIB. REX. Regis coronati & loricati effigies.

P. Conchylium. HENRICVS. ROSAS. REGNA. IACOBVS *(e)*. Scutum quadripartitum, inscriptis quatuor regnorum Scotiæ, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ insignibus, ut suprà, intra literas I & R. *Num. 6. lib. Scot.*

3. *A.* Conchylium. IA. D. G. MAG. BRIT. FRAN. ET. HIB. REX. Regis effigies, ut in præced.

P. HENRICVS. ROSAS. REGNA. IACOBVS. Scutum quadripartitum, cum Regiis insignibus, ut in præcedente *(f)*. *Nummus 3 lib. Scot.*

4. *A.* IA. D. G. BR. F. ET. H. REX. Rosa coronâ insignita.

P. TVEATVR. VNITA. DEVS. Carduus coronatus, intra literas I & R *(g)*.

5. *A.* Rosula. I. D. G. RoSA. SINE SPINA. Regis coronati protome.

P. Carduolus. TVEATVR. VNITA. DEVS. Scutum Regium quadripartitum, ut suprà *(h)*.

CAROLI I.

1. *A.* CAROLVS. D. G. MAG. BRITAN. FRAN. ET. HIB. REX. cum parvo carduo. Rex coronatus, thoracem indutus, dextrâ sceptrum vibrans, sinistrâ globum crucigerum sustinens; ut in primo aureo patris sui nummo. *Nummus 12 lib. Scot.*

P. HIS. PRÆSVM. VT. PROSIM. Insignia regia, ut suprà, inter literas C & R coronatas *(i)*.

2. *A.* Carduolus. CAROLVS. D. G. MAG. BRIT. FRAN. & HIB. REX. Rex coronatus & thoracatus.

P. HENRICVS. ROSAS. REGNA. IACOBVS. Regia insignia, ut suprà, inter literas C & R absque coronis. *Duplex coronatus Scot. (k).*

3. *A.* CAR. D. G. MAG. BRIT. FRAN. ET. HIB. REX. Protome Regis coronata.

P. VNITA. TVEMVR. Insignia regia, ut suprà, inter literas C & R coronatas. *Nummus 6 lib. Scot.*

4. Præcedentis nummi dimidium.

5. Præcedentis nummi quadrans.

Tab. CLXX. 6. *A.* CAROLVS. D. G. SCOTIÆ. ANGLIÆ. FR. ET. HIB. REX. Carolus I. coronam capite gerens, regali amictu indutus, utriusque ordinis, tum cardui, tum periscelidis insignibus ornatus *(l)*.

P. HINC. NOSTRÆ CREVERE ROSÆ *(m)*. Magnus carduus foliis late diffusis conspicuus. Interiùs in *Exergo* CORON. 18 IVNII 1633. B.

GULIELMI II. R. *(n)*.

1. *A.* GVLIELMVS. DEI. GRATIA. Gulielmi laureâ sertâ redimiti protome. Infrà sol e mari exoriens.

P. MAG. BRIT. FRA. ET. HIB. REX. 1701. Insignia Regia, ut supra, intra literas W & R coronatas *(o)*.

2. Nummus priori (cujus dimidium est) per omnia similis.

Tab. CLXXI. *NUMISMATA ARGENTEA.*

JACOBI VI. R.

1. *A.* Carduus. IACOBVS. D. G. MAG. BRIT. FRAN. & HIB. REX. Rex cataphractâ indutus, dextrâ strictum gladium gerens, equo phaleris ornato, inscriptoque in dextra dorsualis parte carduo coronato, insidens.

P. Carduus. QVÆ. DEVS. CONIVNXIT. NEMO. SEPARET. Insignia Regia,

(*d*) Hujus generis (qui primùm *Uniti* sive *Unitales*, ob duorum regnorum sub unius Principis imperium subjectionem, erant appellati, postea *Jacoborum* & *latorum nummorum* nomine veniebant) longè plurimi tum in Anglia quum in Scotia erant excusi. Hoc tamen discrimine Scotici ab Anglicis internoscuntur, quòd in Scoticis insignia Scotica, in Anglicis Anglica primum quartumque scuti quadripartiti locum occupent. Ex prædictis autem rei nostræ monetariæ actis constat ejusmodi *Unitales* primùm apud nos cusos fuisse 23 Feb. 1605, à quo deinceps tempore ad 14 Aprilis anni 1613. in iisdem fabricandis apud nos perseveratum videtur. Adde quæ de his diximus suprà in Præf. pag. 66 ad (*d*) (*e*) Id est, Henricus VIII. Angliæ Rex (qui utriusque heres erat) domum Eboracensem (cujus symbolum erat rosa alba) & Lancastriensem (cujus symbolum erat rosa rubra) in unum conjunxit. Jacobus verò VI. R. Scotiæ, ejusdem Henrici (exstinctis ejus liberis) ex proavi sui Jacobi IV. cum ipsius sorore Margareta conjugio, itidem heres, Scotiæ & Angliæ regna feliciter adunavit. (*f*) Ex præd. rei nostræ monetariæ actis apparet hujus & præcedentis generis nummos percussos fuisse anno 1602, 1603, & 1604. Priores autem *Coronati duplices*, posteriores *Coronati simplices* illic nominantur. (*g*) Hujus generis nummi videntur illi, qui in prædictis actis Thistle Crowns, i. e. *Coronati carduo inscripti*, appellantur, cusi nimirum anno 1605 & 1606, item anno 1611, 1612 & 1613, quorumque valor 48 solidis Scot. indicatur. (*h*) Hoc genus ejusdem valoris fuisse cum præcedente videtur. (*i*) Hic nummus *Unitali* patris sui, excepto lemmate, in omnibus ferè similis; quamobrem & à nostratibus CAROLUS-JACOBUS vulgò nominabatur, ut distingueretur ab altero ejusdem Regis aureo, absque *globo imperiali*, cui simpliciter *Carolo* nomen fuit: quod genus apud Anglos solùm cusum videtur. (*k*) Hic quoque duplici coronato patris sui admodum similis. (*l*) Elegantissimi hujus numismatis (quod honorarium est, in memoriam coronationis optimi Principis Caroli I. Edinburgi 18 *Junii 1633* percussum) iconismum exhibuit Jo. Evelynus in suo de Medallis libro, pag. 109. Ex eo genere multi adhuc nummi supersunt, ex utroque metallo, & licet eâdem superficie, diverso tamen ob diversam crassitiem pondere excusi. Unus autem præ cæteris omnibus, tum ob longè majorem quam quæ aliis inest materiæ quantitatem, tum præcipuè ob egregium monetarii artificium, nobis est memorandus. Ejus enim pondus est 1 unc. 1 denar. 18 gran. sive 522 granorum Tricassens. cum aliorum qui crassiores sunt non nisi 172 ejusmodi grana pendant. Ad cælaturam verò quod attinet, præter figuras vocesque ex utraque facie inscriptas, quæ sunt omnibus communes; in hoc singulare enitet fabricatoris ingenium, quòd extimo nummi margini has voces insculpserit, EX. AVRO. VT. IN. SCOTIA. REPERITVR. BRIOT. FECIT. EDINBVRGI. 1633. Est autem Briot hic memoratus Nicolaus ille Briotius Gallus, qui nobilissimi hujus inventi (ut suprà diximus, Præfat. pag 70.) auctor aut perfector, à suis neglectus, ad Carolum I. se contulit, à quo benignè receptus, dignisque, ut credibile est, præmiis honestatus, prima artis suæ tyrocinia in nummo hoc inaugurali cudendo apud nos posuit. Cæterùm ex hoc genere paucissimi percussi videntur. Certè bini solum nunc superesse dicuntur, quorum unum possidet celeberrimus Medicus D. Hans Sloane, qui (ut mihi narratum est) nullum ejusmodi alium uspiam exstare ratus, *Phœnicem* eum solebat appellare. At ne hæc quantivis pretii gemma illustri viro unica ac propria esset, diligentiâ effectum est nobilis Chirurgi Petri Sainthill Prochodochii Sancti Bartholomæo-Lockiani Inspectoris, qui, quo summo in ejusmodi elegantiis conquirendis studio ducitur, alterum Sloaniano illi nummo prorsus similem adquisivit: cujus & superiore anno (conciliante Medico itidem experientissimo, atque ob prolixam suam in me humanitatem plurimùm colendo JAC. DOUGLASSIO, Colleg. Reg. Med. Soc. honorario) videndi mihi copia Londini est facta. In hoc autem numismate cudendo imitatus est Carolus I. socerum suum Henricum IV. Galliæ Regem, qui ut fœdus inter ipsum & Helvetios anno 1602 renovatum celebratius fieret, *medallionem* feriri jussit, cum chronographico hoc in aversa facie lemmate, REGIS. SACRA. FOEDERA. MAGNI. & interiùs in basi duas columnas sustinente, EX. AVRO. FRANCIGENA. AN*no* FOED*eris Feliciter* RENO*vati* EFFOSSO: in exergo 1602. Ejus numismatis delineationem & explicationem vide apud Jac. de Bie, *Franc. metalliq. tab. 94. & pag.* 283. præcipuè verò in Hist. Acad. Reg. Inscriptionum, *tom.* I. *pag.* 356. Illius etiam meminit Jo. Evelynus, *de Medallis*, pag. 16. (*m*) Ad rosas, domûs Eboracensis & Lancastriensis symbola, de quibus suprà, allusum. (*n*) Nescio quî factum sit, ut quamvis regnantibus Carolo II. ejusque fratre Jacobo VII. nummi argentei æreique ingente apud nos copiâ excusi fuerint, nulli tamen ex auro percussi ex officina nostra monetaria toto eo tempore prodierint. (*o*) Hic & qui mox sequitur nummus, ex auro, à Scotis Isthmi Dariensis colonis domum remisso, erant fabricati. Sole autem exoriente, qui sub Regis effigie repræsentatur, designata videtur nobilis illa, cui id nomen erat, navis bellica, à societate nostra Africana (ad quam Dariensis illa colonia spectabat) negotiandi caussâ instructa.

ut fuprà. *Coronatus tres libras Scot. valens (p).*

2. Præcedentis nummi dimidium *(q).*

3. *A.* Parvus carduus. IACOBVS. D. G. MAG. BRIT. FRAN. ET. HIB. REX. Protome Regis coronati: pone VI. *pro fextuffe Scotico.*

C A R O L I I. R.

1. *A.* Carduus. CAROLVS. D. G. MAGN. BRITANN. FRANC. ET. HIBERN. REX. Rex cataphractus; dextra ftrictum gladium vibrans, equo abfque velamentis infidens.

P. QVÆ. DEVS. CONIVNXIT. NEMO. SEPARET. cum carduo. Infignia Regia, ut fuprà. *Coronatus 3 lib. Scot.*

2. *A.* Carduus. CAROLVS. D. G. MAG. BRIT. FRAN. ET. HIB. REX. Rex cataphractus, ut fuprà.

P. QVÆ. DEVS. *&c.* cum Regiis infignibus, ut in præcedenti, cujus dimidium eft.

3. *A.* CAR. D. G. MAG. BRITANN. FR. ET. HIB. REX. Regis coronati, cinnis ad dextrum humerum dependentibus, effigies. Pone XII. *nummum duodecim folidorum Scotic.* indicans.

P. QVÆ. DEVS. *&c.* cum Regiis infignibus, ut fuprà, intra literas C & R coronatas, duoque puncta.

4. *A.* CAR. D. G. MAG. BRIT. FRAN. ET. HIB. REX. Rex coronatus, ut in præced.

P. QVÆ. DEVS. *&c.* Infignia regia intra duas corollas totidemque puncta. *Prioris dimidium.*

5. *A.* CAR. D. G. SCOT. ANG. FR. ET. HIB. R. Rex coronatus, ut fuprà: ponè VI. & 8. i. e. *fex folidi & octo denarii, five femimarca Scot.*

P. CHRISTO. AVSPICE. REGNO. Infignia Regia, ut fuprà, abfque punctis.

Tab. CLXXII. 6. *A.* CAR. D. G. SCOT. ANG. FR. ET. HIB. R. Rex coronatus, ut fuprà: ponè XL. i. e. *nummus 40 denariorum, five marcæ Scot. quadrans.*

P. SALVS. REIPVB. SVPREMA. LEX. Carduus coronâ infignitus.

7. *A.* CAR. D. G. SCOT. ANG. FR. ET. HIB. R. Rex coronatus, ut fuprà: ponè XX. i. e. *nummus 20 denariorum, five marcæ Scot. pars 8va.*

P. IVSTITIA THRONVM FIRMAT. Carduus coronâ infignitus, ut fuprà.

8. *A.* CAR. D. G. SCOT. AN. FR. & HIB. R. Rex coronatus, ut fuprà: ponè II. *five duo folidi Scot.*

P. IVS. THRONVM. FIRMAT. Scutum Scoticum coronatum.

C A R O L I II. R.

1. *A.* CAROLVS. 2. D. G. SCO. ANG. FRA. & HI. REX. FI. D. *cor.* 1. Ja. *Scon.* 1651 *(r).* Rex coronatn capite gerens, torque ordinis perifcelidis accinctus.

P. NEMO. ME. IMPVNE. LACESSET. Leo Scoticus erectus, farmentum cardui, cum tribus conis, anterioris dextri pedis unguibus attollens *(f).*

2. *A.* CAROLVS. II. DEI. GRA. Rex laureatus & thorace indutus, cum torque ordinis perifcelidis: infrà parva litera F *(t).*

P. MAG. BRI. FRA. ET. HIB. REX. 1674. Quatuor regia fcuta, in formam quafi crucis difpofita, interpofitis in fingulis quadris duabus literis cc. fe contrario ductu interfecantibus, fuperpofitâ in exteriore limbo coronâ, cum LIII. 4. in centro, pro 53 *folidis* & 4 *denariis,* five *quatuor marcis Scot. (u).*

3. *A.* CAROLVS. II. DEI. GRA. Rex laureatus & thoracatus, ut fuprà: infrà litera F *(x).*

P. MAG. BRI. *&c.* 1675. Scuta regia cum cc. alterâ alteram interfecante, ut fuprà: in centro xxvi. 8. pro 26 *fol.* 8 *den.* five *duabus marcis Scot. (y).*

4. *A.* CAROLVS. II. DEI. GRA. Rex laureatus & thoracatus, ut fuprà; infrà parvus carduus.

P. MAG. BRI. *&c.* 1669. Scuta regia, cum cc. alterâ inverfâ ut fuprà: in centro XIII. 4. pro 13 *fol.* 4 *den.* five *marca Scot. (z).*

5. *A.* CAROLVS. II. *&c.* Rex laureatus, *&c.*

P. MAG. BRI. *&c.* 1664. Scuta regia, ut fuprà: in centro VI. 8. pro 6 *fol.* 8 *den.* five *femimarca Scot. (a).*

6. *A.* CAROLVS. II. DEI. GRA. Regis laureati protome.

P. SCO. ANG. FR. ET. HIB. REX. 1681. Quatuor fcuta Regia, in crucis formam difpofita, interjecto in fingulis quadris carduo: in centro cc. ut fuprà *(b).*

7. *A.* CAROLVS. II. *&c.* Regis laureati effigies, ut in præced.

P. SCO. ANG. *&c.* 1676. Scuta Regia cum carduis, *&c.* ut in præced. *(c).*

Tab. CLXXIII. 8. *A.* CAROLVS II. *&c.* Rex laureatus, ut fuprà.

P. SCO. ANG. *&c.* 1676. Scuta regia, ut in præced. *(d).*

9. *A.* CAROLVS II. *&c.* Rex laureatus, ut fuprà.

(*p*) Ex prædictis rei noftræ monetariæ tabulariis apparet hujus generis apud nos primùm cufos fuiffe 25 Martii 1605, quales etiam anno fequente 1606, item anno 1612 in iifdem cufi memorantur. Neque dubium eft quin intra annum 1607 & 1611 (quorum acta vel præfectorum negligentiâ, vel temporum injuriâ interciderunt) plurimi ex eodem genere malleum monetarium fubierint. (*q*) Ex iifdem actis patet, non folum coronatos & femicoronatos, fed & eorum varias partes, i. e. nummos 12, 6, 2 & 1 folidorum, item folidi femiffes Scot. circa hæc tempora fuiffe fabricatos: qua in re noftri Anglos funt imitati, qui (referentibus eorum Scriptoribus, Rad. Thoresbio, ducat. Leod. pag. 368, & de Angl. monet. auctore anonymo, p. 79) earundem fpecierum nummos tum excuderunt. Fallitur igitur prædictus fcriptor anonymus, qui pag. 89 contra Thoresbium, id ex Camdeno affirmantem, negat ullos nummos 2 folidorum 1 folidi & femiffis apud nos iis temporibus fabricatos. At quod hos ferè omnes ætas deleverit aut obliterârit, fummæ eorum exilitati imputandum. Exftant tamen in Nummophylacio JCC. Edinb. unus pro 2, alter pro 1 folido fignati. (*r*) i. e. *Carolus* II. *Dei Gratia Scotiæ, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, fidei defenfor, coronatus 1. Januarii Sconæ* 1651. (*f*) Nummus honorarius five medallus, admodum rarus. (*t*) Initialis fciz. cognominis unius eorum, qui rei monetariæ præfidebant. Duo autem erant eo tempore *Falconarii* cognominati, officinæ noftræ monetariæ præfecti, quorum unus erat *D. Joannes Falconar de Balmakelly,* qui *Magifter,* alter *D. Jac. Falconar de Phefdo,* qui *Cuftos* five *Guardianus* appellabatur. (*u*) Exftant in Nummophylacio ICC. Edinb. hujus generis nummi fex, percuffi anno 1664, 1665, 1670, 1673, 1674 & 1675. Primo poft vocem CAROLVS additus eft carduus: tribus fequentibus fub Regis effigie fubjectus eft parvus carduus; reliquis duobus illa quam diximus litera F. (*x*) Pro cognomine *Falconar,* de quo fuprà diximus. (*y*) Exftant in prædict. Nummophylacio hujus generis nummi, percuffi etiam anno 1664, 1670, 1673, 1674. Primo poft nomen CAROLVS adfcriptus carduus; duobus feqq. fub Regis effigie carduus, fub ultimo litera F. (*z*) Exftant in prædict. Nummophyl. nummi hujus generis percuffi anno 1664, 1665, 1666, 1667, 1668, 1670, 1671, 1672, 1673, 1674, quibus omnibus fubjecta eft Regis effigiei parvus carduus, excepto ultimo, cui ejus loco fuppofita eft litera F. (*a*) Ibidem habentur hujus generis nummi anno 1665, 1668, 1669, 1670, 1671, 1672, 1673, 1675; omnes cum fubjecto carduo. (*b*) Ibid. habentur nummi hujus generis (*thaleri Scotici* vulgò nominati, 56 folidos valentes) percuffi anno 1676, 1679, 1680, 1681, 1682, quibus omnibus parva F fubfcripta videtur. (*c*) Duo tantum in prædicto Nummophylacio habentur hujus generis nummi, percuffi fciz. anno 1675 & 1681, fubfcriptâ utrique fub Regis pectore parvâ F. Eft autem hic nummus prioris dimidium, valebatque 28 folidos Scot. (*d*) Ex hoc genere ibidem exftant nummi excufi anno 1676, 1677, 1678, 1679, 1680, 1681, 1682, omnes cum parvâ F, valentefque 14 folidos Scot.

P. SCO. ANG. &c. 1676. Scuta regia, ut in præced. *(e)*.

10. *A.* CAROLVS, &c. Rex laureatus, ut suprà.

P. SCO. ANG. FRA. ET. HIB. REX. Crux Sanctandreana, incumbente in medio coronâ, cum carduo, lilio, rosa & lyra (quæ quatuor regnorum Scotiæ, Franciæ, Angliæ & Hiberniæ symbola sunt) in oppositis quadrantibus *(f)*.

JACOBI VII. R.

1. *A.* IACOBVS. II. DEI. GRATIA *(g)*. Regis laureo diademate insigniti effigies: infra 40. indicans hunc nummum pro 40 *solidis Scoticis percussum.*

P. MAG. BRIT. FRA. ET. HIB. REX. 1687. Insignia Regia, coronâ superpositâ. *(h)*.

2. *A.* IACOBVS. II. &c. Rex laureatus, ut suprà: infrà 10, pro tot solidis, *prioris quadrans.*

P. MAG. BR. FRA. ET. HIB. REX. 1687. Crux Sanctandreana, cujus extremis brachiis carduus, lilium, rosa & lyra apponuntur: in quadrantibus inferuntur quatuor scuta Regia, superpositâ singulis coronâ.

Not. *Primus est hic Rex, in cujus nummorum extimo limbo characteres aliqui apud nos sunt circumscripti. Et quidem in nummis quadragenariis vulgare cardui Scotici lemma,* NEMO ME IMPUNE LACESSET, *cum anno regni; in denariis verò crenulæ illâ parte sunt impressæ. In nummis itidem Gulielmi & Mariæ majoribus, ut sexagenariis & quadragenariis, hoc lemma* PROTEGIT ET ORNAT, *cum anno regni; in minoribus, ut in vicenariis, denariis & quinariis hæ crenulæ marginibus incutiuntur.* Vid. Præfat. pag. 69 & 70.

GULIELMI & MARIÆ RR.

1. *A.* GVLIELMVS. ET. MARIA. DEI. GRA. Regis & Reginæ laureâ insignitorum effigies: infrà 60. *Coronatus Scoticus,* sive 60 *solidorum Scot. nummus.*

P. MAG. BR. FR. ET. HIB. REX. ET. REGINA. 1692. Scutum Regium quadripartitum, superpositâ coronâ cum leone Belgico in medio, Principum Arausionensium insigni *(i)*.

2. *A.* GVLIELMVS ET MARIA, &c. Rex & Regina laureati, ut suprà: infrà 40, pro 40 *sol. Scot.*

P. MAG. BR. &c. ut in præced. 1693. Scutum Regium coronatum, cum insigni domûs Arausionensis, ut suprà *(k)*.

3. Præcedentis nummi, eâdem inscriptione, dimidium, anno 1693. infrà 20, pro *tot solid. Scot. (l)*.

4. Nummi horum Regum secundi quadrans, eâdem inscriptione, anno 1690. infrà 10, pro *tot solid. Scot. (m)*.

5. Nummus præcedenti ferè similis, anno 1692. infraque Regum capita 10, pro *tot sol. Scot. (n)*.

6. *A.* GVLIELMVS. ET. MARIA. DEI. GRA. Regum laureâ insignitorum effigies: infrà V. pro 5 *solidis Scot.*

P. MAG. BR. FR. &c. ut in prioribus, 1694. Monogramma, sive duplex cyphra literarum W & M *(o)*.

Tab. CLXXIV. GULIELMI SOLIUS R.

7. *A.* GVLIELMVS. DEI. GRATIA. Regis laureati effigies: infrà 60, pro *coronato Scotico,* sive 60 *solid. Scot.*

P. MAG. BRIT. FRA. ET. HIB. REX. 1699. Insignia Regia, cum scuto Arausionensi in medio.

8. *A.* GVLIELMVS, &c. ut suprà. Regis laureâ coronati effigies: infrà 40, pro *tot solid. Scot.*

P. MAG. BRIT. &c. ut in priore, 1695. Regia insignia, cum scuto Arausionensi in medio, ut suprà *(p)*.

9. Præcedentis nummi, simili inscriptione, dimidium, 1699, cum 20 sub Regis effigie, pro *tot solid. Scot. (q)*.

10. Superioris nummi, simili inscriptione, quadrans, eod. anno 1699, cum 10 sub Regis effigie, pro *tot solid. Scot. (r)*.

11. *A.* GVL. D. G. MAG. BR. FR. & HIB. REX. Rex laureatus, ut in prioribus: infrà 5, pro *tot solid. Scot.*

P. NEMO. ME. IMPVNE. LACESSET. Carduus in tres conos, quorum medius coronâ insignitur, efflorescens *(s)*.

ANNÆ R.

1. *A.* ANNA DEI GRATIA. Protome Reginæ Annæ, crinibus vittâ in nodum religatis: infrà 10, pro *tot solid. Scot.*

P. MAG. BRIT. FRA. ET HIB. REG. 1705. Insignia Regia coronata *(t)*.

2. *A.* AN. D. G. MAG. BR. FR. & HIB. R. Reginæ effigies, ut in priore; infrà 5, pro *tot solid. Scot.*

P. NEMO. ME. IMPVNE. LACESSET. 1705. Carduus in tres conos, medio coronâ insignito, efflorescens *(u)*.

3. *A.* ANNA. DEI. GRATIA. Reginæ effigies, ut in prioribus: infrà litera E, pro *Edinburgo* urbe Scotiæ primariâ, in qua hic & seqq. nummi percussi indicantur.

P. MAG. BRI. FR. ET. HIB. REG. 1708. Quatuor scuta in crucis quasi formam disposita: quorum primum & quartum insignia Scotiæ & Angliæ bipertita, secunda & tertia Franciæ & Hiberniæ continet: in medio crux S. Georgii, radios undique stellæ instar diffundens: quod præcipuum ordinis Georgiani sive aureæ periscelidis insigne est. *Coronatus Britannicus, sive quarta libræ Sterlingensis pars (x)*.

(e) Ibidem habentur percussi anno 1676, 1677, 1679, 1680, 1682, adjectâ sub Regis pectore parvâ F. valentes 7 solidos Scot. (f) Ibidem habentur percussi anno 1680 & 1681, cum litera F. valentes 3 solidos Scot. cum semisse. (g) Rectè hic *Jacobus* II. ejus nominis *magnæ Britanniæ* Rex numeratur: at perperam, me judice, in nummis Anglicis *Gulielmi*, qui ei successit, III. adjicitur, cum nullus ante eum eo nomine toti *Britanniæ* imperaverit. Exstant autem hujus generis anno 1688. *ibid.* (h) Duo itidem exstant ex hoc genere anno 1687 & 1688. *ibid.* (i) Ex his in sæpiùs laudato ICC. Nummophylacio unus habetur anno 1691 cusus. (k) Ex hoc genere ibidem servantur anno 1689, 1690, 1691, 1692, 1693 & 1694, percussi. (l) Hujus generis ibid. servantur anno 1693 & 1694, cusi. (m) Unus tantum, & eo anno cusus, in prædict. Nummophyl. habetur. (n) Majorem in his scutum, quàm in priore, in aversa parte aream occupat. Cusi etiam ex his anno 1691.

(o) Ex his alter etiam in præd. nummophyl. anno 1691 percussus habetur; cui sub monogrammate litera V. subjecta est. (p) Habentur in prædicto nummophyl. nummi hujus generis cusi anno 1695, omnibusque seqq. ad annum 1700. (q) Habentur ibid. ejusd. generis nummi, anno 1695, 1696, 1697, 1698 & 1699 percussi. (r) Exstant ibid. hujus generis anno 1695, 1696, 1697, 1698 & 1699. (s) Omissus est sculptoris negligentiâ annus. Exstant autem ex eo genere in prædict. Nummophyl. nummi cusi anno 1695, 1696, 1697, 1701 & 1702. (t) Habentur ibid. anno 1702, 1705, & 1706 percussi. (u) Exstant ibid. hujus generis anno 1705 & 1706. (x) Hi coronati eorumque partes apud nos cusi anno 1707 & 1708, ex moneta illa argentea, quam primùm in Trapeziam Scoticam, deinde in officinam nostram monetariam publico edicto inferri jussam, suprà diximus Præfat. *pag.* 84. Ab eo tempore nulla apud nos moneta est percussa.

4. Nummus præcedenti (cujus dimidium est) per omnia similis, anno 1707, percussus.

5. Solidus Britannicus, eod. anno 1707, simili cælaturâ percussus.

6. Solidi Britannici dimidium, eod. anno, similibusque, licet minoris formæ, imaginibus impressum.

Tab. CLXXV. Titulus. *SYMBOLA HEROICA REGUM* SCOTIÆ.

Tab. CLXXVI. ROBERTI II. R.

1. *Certa tantum in cœlo quies.* Globus terrestris: suprà corona ex stellis composita. *Lemma*, VANITAS VANITATVM ET OMNIA VANITAS *(y)*.

ROBERTI III. R.

1. *Bonis Regibus sceptra decori, malis dedecori sunt.* Sceptrum cum gladio in crucis decussatæ formam posita: in medio corona: infrà globus cruce insignitus. *Lemma*, HIS ORNARI AVT MORI.

JACOBI I. R.

1. *Justitia & pietas præcipua regni firmamenta.* Gladius & crux coronæ incumbentes. *L.* PRO LEGE ET GREGE.

JACOBI II. R.

1. *A solo Deo victoria.* Corona ex lauro contexta, nomen JEHOVA literis Hebraicis circumcingens. *L.* IN VIRTVTE TVA *(z)*.

JACOBI III. R.

1. *Dei providentia suis semper invigilat.* Gallina vigili oculo pullos suos sub alis protegens: suprà corona. *L.* NON DORMIT QVI CVSTODIT *(a)*.

JACOBI IV. R.

1. *Constans in adversis.* Duo scopuli inter assilientes procellosi maris undas immoti. *L.* DVRABO.

Tab. CLXXVII. JACOBI V. R.

1. *Magna petit magnus animus.* Parvus piscis balenam aquas evomentem in mari insectans. *L.* VRGET MAIORA.

MARIÆ *Reginæ suæ.*

1. *Fortis animus adversæ fortunæ minis non frangitur aut inflectitur.* Columna pyramidali formâ coronam sustinens, &, licet à ventis tonitribusque impetita, immota tamen & erecta in basi sua perstans. *L.* ADHVC STAT.

Ejusdem.

2. *Ex morte immortalitas.* Phœnix in suo busto. *L.* EN MA FIN GIT MA COMMENCEMENT. h. e. *In meo fine positum est meum principium.*

MARIÆ *Reginæ* SCOTIÆ & FRANCIÆ.

1. *Etiam conjunctissimos mors disjungit.* In funere mariti sui Francisci II. Galliarum Regis. Glycirrhiza terrâ superobruta. *L.* DULCE MEVM TERRA TEGIT *(b)*.

Ejusdem.

2. *Fortes creantur fortibus.* Leæna cubans, ludente ante eam suo catulo: ponè palma. *L.* VNVM QVIDEM SED LEONEM *(c)*.

Tab. CLXXVIII. *Ejusdem.*

3. *Miseris & prostratis spes superest.* Horologium cum magno gnomone horam aliquam indicante: in superiore parte Solis facies in Eclipsi ita à Luna obscurata, ut stellæ appareant: inferiùs ingens ac turbulentum mare, in quod magnificum palatium jamjam quasi delapsurum videtur. *L.* QVE *(d)* CECIDERE RESVRGVNT.

Ejusdem.

4. *Invidia sibi ipsa nocet.* Luna in Eclipsi, in qua terra, Solis radios à Luna intercipiendo, ea ne in se reluceat, prohibet. *L.* IPSA SIBI LVMEN QVOD INVIDET AVFERT.

Tab. CLXXIX. *Ejusdem.*

5. *Post bellum pax.* Hastarum spicula & galeæ passim per terram jacentes. *L.* DABIT DEVS HIS QVOQVE FINEM.

Ejusdem.

6. *Magna vis eloquentiæ.* Caduceum Mercurii, h. e. sceptrum in fastigio alatum, cum duobus anguibus se mutuò respicientibus: à dextra pavo rutilam caudam explicans: à sinistra duæ tibiæ; nec procul inde ædes regia vel arx. *L.* ELOQVIVM TOT LVMINA CLAVSIT *(e)*.

Ejusdem.

7. *Qui suam in eo fiduciam collocant, Deus è lethi faucibus eripit.* Procera cupressus virentibus latè foliis conspicua: subter hominis calva, cum brachii & tibiæ ossibus, prope sepulchretum jacentia; juxta collis, è quo arbores fruticesque enasci videntur. *L.* PIETAS REVOCABIT AB ORCO.

Ejusdem.

8. *Solertiæ nihil invictum.* Vellus ex summa arce à trabe suspensum: ex adverso domus regia in colle sita, turribus pyramidibusque in altum structis longè conspicienda. *L.* INGENIVM INSOMNES SOPIVIT OCELLOS *(f)*.

(y) Sapientissimi Regum Solomonis effatum, Eccles. 1. (z) Ex Psalmo 21. (a) Ex Psalmo 121. (b) Ingeniosissimi hujus symboli meminit Jac. Boschius *Symbologr. class.* II. *num.* 805. Illius autem acumen in hoc situm est, quod hujus herbæ radix, quæ terrâ tegitur, dulcis, folia autem, quæ supra eam sunt, amara esse deprehendantur. (c) Hoc forte symbolo respexit ad filium, quem tum enixa erat, Jacobum VI. regni Scotici (cujus Leo insigne est) heredem.

(d) Pro QVÆ. (e) Ad vulgatissimam fabulam hic alluditur, quâ Mercurius eloquentiæ Deus centum Argi oculos canendo sopiisse fingitur: quos deinde Junonem pavonis caudæ inseruisse Poetæ comminiscuntur. (f) Hoc symbolo allusum ad notissimam fabulam Jasonis, qui, sopito pervigili, à quo id custodiebatur, dracone, vellus aureum è Colchis asportavit.

Ejusdem,

Ejusdem.

9. *Virtus difficillima quæque pervincit.* Malus aurea pomis onusta: juxtà duæ columnæ ad freti ostium hinc inde collocatæ. *L.* PERVIGILES VIRTVS EXCVBIAS SVPERAT *(g)*.

Ejusdem.

10. *Trahit sua quemque voluptas.* Pixis nautica, supra quam in cœlo una major, & tres minores stellæ micantes cernuntur. *L.* SA VERTV M' ATIRE, h. e. *Virtus ejus me attrahit (h)*.

Tab. CLXXX. *Ejusdem.*

11. *Major in adversis virtuti gloria crescit.* Surculus, sive ramus unius arboris alteri insitus, loris ad arcendum frigus succumque ad se fortiùs derivandum constrictus. *L.* PER VINCVLA CRESCET.

Ejusdem.

12. *Virtus adversis non deprimitur.* Palma arbor, quæ pondere ramis suis imposito sursum niti creditur. *L.* PONDERIBVS VIRTVS INNATA RESISTET.

Ejusdem.

13 *Volente Deo alta quæque ruunt.* Duæ falces, altera ædificium Regium, altera proceram arborem quasi recisuræ. *L.* VT SVPERIS VISVM.

Ejusdem.

14. *Virtus adversis probata magis enitescit.* Chamæmelum planta, quæ calcata altiùs assurgit, uberioresque fructus edit. *L.* FRVCTVS CALCATA DAT AMPLOS.

Ejusdem.

15. *Ignavi virorum fortium calamitatibus illudunt.* Lepores leoni reti illigato insultantes. *L.* ET LEPORES DEVICTO INSVLTANT LEONE.

Ejusdem.

16. *Fortunatos honores & divitiæ comitantur.* Honos & divitiæ sub Dearum forma repræsentatæ summæ volubilis rotæ parti insistentes, hæc sinistrâ cornucopiæ; illa dextrâ lanceam tenentes depictæ. *L.* FORTVNÆ COMITES.

Ejusdem.

17. *Versat Fortuna rerum vices.* Tropæum ex corona, galero, mitra, *&c.* arboris trunco impositum: infrà femina lugubri veste induta sedens, vel arboris ramulum, vel gladiolum falcatum, aut aliud nescio quid, unà cum larva duobusque, uti videtur, libellis, digito monstrans, & dextro quasi pede proculcans. *L.* VT CASVS DEDIRIT *(i)*.

Ejusdem.

18. *Quosdam in ipso rerum prosperarum cursu vel mors intercipit, vel mutata fortuna de felicitatis culmine dejicit.* Sol Eclipsin patiens. *L.* MEDIO OCCIDIT DIE *(k)*.

(*g*) Eadem ferè hujus quæ prioris symboli sententia: in hoc enim ad celebratissimum illum respicitur Herculis laborem, quo ille mala aurea in Hesperidum hortis nascentia, intercmpto priùs pervigili dracone qui ea servabat, abstulisse à Poëtis fingitur. Rem autem clariùs illustrant binæ illæ columnæ, quas Hercules, orbem ab oriente ad occidentem victor pervagatus, ad fretum Gaditanum, tanquam in ultimo telluris illic limite, posuisse dicitur. (*h*) Hoc symbolo testari videtur Maria se Dei rerumque cœlestium amore duci, ut acus nautica vi è magnete impressâ ad septentrionem se convertit. In hoc autem lemmate memorabile est illud, quòd literis transpositis anagramma contineât vocum MARIE STEWART. (*i*) Ex sculptoris errore, pro DEDERIT. (*k*) Plerisque his symbolis (quæ ægritudinis suæ levandæ gratiâ, dum arctissimâ per multos annos apud Anglos custodiâ premeretur, nobilissima Regina *Maria* confinxit) suam in adversis animi fortitudinem, fiduciam in Deo, liberationis spem, aliosque ejusmodi affectus indicare voluit.



Propri-

Propriorum Nominum & Cognominum *in Diplomatibus memoratorum* I N D E X *locupletissimus; cum brevi præcipuarum Familiarum iisdem nunc cognominibus utentium expositione.*

A.

B.

C.

E.

F.

(*a*) Multa exſtant diplomata Davidis I. Malcolmi IV. & Willelmi, quæ initio ſic inſcribuntur; ——— *Omnibus probis hominibus totius terræ ſuæ, Francis & Anglicis, Scottis & GALWEYENSIBUS, &c.* E quibus verbis perſpicuum eſt *Galweyenſes* diverſum à Scotis populum iis temporibus habitum fuiſſe. Cæterùm hos *Gallovidiæ* incolas ex reliquiis Pictorum in ea olim regione degentium ortos multi credunt

M.

Serlo Clericus, 24. * Huic Malcolmus IV. Rex Scottorum, cujus (ut & R. Willelmi) Clericus fuerat, quoddam prædium in villa de Sproufton dedit, quod poftea idem Serlo cœnobio de Kelcho conceffit. *In hujus autem diplomatis apographo* Serlao *perperam pro* Serlone *pofitum eft.*

Seton (Alexander de) 51. * Hic eft ille Alexander de Seton, urbis Bervici præfectus, Scotorumque contra Anglos ductor fortiffimus, qui filius erat primogenitus Chriftophori Seton de eodem, ex uxore ejus Chriftiana de *Brus* forore Roberti I. Regis. Ex eo rectâ fanguinis ferie ortus Georgius nunc Comes de Winton. Clariffima autem hæc, atque ob generis fplendorem vetuftatemque vix ulli Scoticarum fecunda gens, initium habuiffe traditur tempore Alexandri I. In ea principatum femper tenuere, qui primùm Reguli de Seton, poftea Comites de Winton creati. Poft hos memorandi Setonii Comites de Dunfermeling, & Vicecomites de Kingfton; item illuftres familiæ de Abercorn, de Garleton, de Pitmedden, Baronettorum; & Comarchorum de Touch, de Barns, de Munie, *&c.*

Sewal Miles, 16 *b.*

Sewale pater Roberti, 75 *a.*

Sigillo (Robertus de) 16 *b.*

Simpill, nunc *Sempill* (Willelmus) 79. * In hac familia, quæ originem fuam fupra Roberti I. ætatem attollit, præcipuum locum habuere, qui olim Sempilii de Elliotfton, poftea inter proceres titulo Dominorum de Sempill regnante Jacobo IV. relati: à quibus lineâ directâ ortus Hugo Sempill nunc eo titulo à cognomine accepto gaudens. Ab his genus arceffunt Sempilii de Cathcart, de Beltrees, *&c.*

Skirmifhur (Alexander) 43. * Hæc familia primordia fua cepiffe dicitur tempore Alexandri I. à quodam Alexandro Carrone, cui, ut ferunt, ob fingularem in bello virtutem, is honos habitus, ut ipfe ejufque pofteri Regium in acie vexillum portarent. Ob id ille *Skirmifhur*, five *Skirmifher*, hoc eft (ut ego interpretor) *Veles* eft dictus: quod pro cognomine illius progenies arripuit, poftea in *Scrimzeor* five *Scrimgeor* corruptum. Ex hac ftirpe orti Scrimgeri per aliquot fecula Conftabularii de Dundee, quorum ultimus Jacobus Scrimgeor, primum Vicecomes de Duddop, poftea Comes de Dundee creatus, abfque fobole anno 1668 deceffit. Superfunt tamen ex ea familia Scrimgeri de Kirkton, de Bowhill, de Wormet, de Teling, de Wefter-loch-Gellie, *&c.* genere fuo haud indigni.

Soletroe (Magifter *Ace* de) 75 *b.* * Fortè erat is Magifter, five præfectus xenodochii de Soultray. V. *Acc.*

Solomon, Capellanus Epifcopi Herberti, 24.

Soules (Willelmus de) *Buttellarius Scotiæ*, 51.

Soules (Ranulphus de) 16 *b.* * Illuftris hæc olim in Scotia familia, in qua eminebant Soulii Domini de Liddifdale, quorum ultimus Willelmus de Soules Scotiæ Buttellarius fuperiùs memoratus, ob perduellionis crimen fibi fuifque exitium attulit, regnante apud nos Roberto I.

Stawell (Adam de) 34. * Hujus cognominis Anglici, quod vico de Stawel in præfectura Somerfetenfi, originem debet, nullus hodie, quod fciam, apud nos exftat. Ex ea verò familia in Anglia Radulphus Stawel à Carolo II. anno 1683, procerum Anglicorum numero adfcriptus eft.

Stephanus, Rex Angliæ, 14. * Hic filius erat Stephani Comitis Blefenfis in Gallia, ex Adela Willelmi I. feu Conquæftoris, filia fufceptus, qui Angliæ regnum ab an. 1135 ad annum quo obiit 1154 tenuit.

Stephanus, filius Ricardi, 75.

Stewart (Elizabetha) *filia Roberti Ducis Albaniæ ac Scotiæ Gubernatoris, uxor Malcolmi Fleming de Bigare*, 60. * Inclytæ huic atque antiquiffimæ Stewartorum genti hic præ cæteris omnibus honos contigit, quòd qui in ea principatum tenuere, ad fummum quò hominibus afcendere datum eft dignitatis apicem jure fanguinis evecti, per multa retrò fecula, Scotis primùm, adjunctis deinde Anglis, maxima cum gloria, æquitate & clementia imperitârunt. Ex hac porro nobiliffima ac longè latèque diffufa Stewartorum familia orti (ut extinctas propagines omittam) jam nunc exftant, quatuor Comites, fciz. de Murray, de Galloway, de Traquair, & de Bute, unusque Regulus, fciz. de Blantyre; item hi Baronetti, de Black-hall, de Caftlemilk, de Grantully, de Allaubank, de Burray, de Cultnefs, de Good-trees, de Tullicultry, *&c.* ac poftremo Comarchi de Sorbie, de Caftle-Stewart, de Phifgall, de Appin, de Allanton, de Torrence, de Ballechin, de Cairny, de Stewart-hall, de Inchbreck, *&c.* Vid. *Senefcallus.*

Straton (Alexander de) 51. * In vetufta hac familia (quæ initium cepit tempore Davidis I.) per multa fecula eminuerunt Comarchi de Laurifton in præfectura Mernienfi, noftrâ memoriâ exftincti. Superfunt tamen ex ea viri fpectabiles à majorum virtute haud degeneres.

Stratherne (Comes de) *Malifius*, 16. *Fertetb*, 24. *Gillebertus*, 28. alter *Malifius*, 51. *David*, 58. quos fingulatim vide.

Strevelyn (Abbas de) *Aluredus*, 24. *Willelmus*, 24. Quorum hic primus, ille tertius hujus monafterii de Stirling, feu Cambuskenneth, à Davide I. anno 1147, extructi, cœnobiarcha fuit.

Stutevill (Johannes de) [25.] * Hic ex Anglo-Normannica, ut videtur, familia ortus, quæ olim dominium de Lidel in Cumbria poffidebat: unde etiam prognatus Magifter Robertus de Stuteville, qui primò Decanus, deinde Epifcopus ecclefiæ Dunkeldenfis conftitutus, eo in munere anno 1300 fato fuo eft functus.

Sulas (Ranulphus de) 24. idem qui de *Soules.* * Hic erat Ranulphi de Soules *tab.* 16 memorati F. à domefticis fuis anno 1207 trucidatus.

Summervill (Willelmus de) 14, 24. * Hic ftirpe Normannicâ ortus, è cujus pofteris erat Willelmus de Summervill, procerum numero ab Jacobo II. adfcitus, quam dignitatem, à majoribus fuis per fpatium 104 annorum omiffam, Jacobus Summervill de Drum fanguinis jure fibi debitam non ita pridem refumpfit.

Sutherlandiæ Comes (Willelmus) 51. * Comites de Sutherland (qui & genti fuæ id cognominis dedere) inter Scotiæ proceres, qui eâ dignitate fruuntur, principem neque immeritò locum fibi deberi contendunt. Primus enim eo honore à Malcolmo III. infignitus traditur Walterus filius Alani, qui Thanus five Præfectus erat regionis Sutherlandiæ dictæ circa annum 1057. Sed utcunque fefe hæc res habeat, Willelmum quendam Sutherlandiæ Comitem fub Alexandro III. vixiffe indubia monumenta confirmant. Ab eo ad Joannem nunc Sutherlandiæ Comitem, perpetuâ fucceffionis ferie, numerantur xviii Comites, & una Comitiffa; ut multas prætercam illuftres ab eadem ftirpe ductas familias: quarum pars, ut, Sutherlandi Reguli de Duffus, Comarchi de Force, de Kinald, de Kinminity, de Kinftirie, *&c.* antiquum fuum cognomen retinuerunt; pars, ex prædictæ Comitiffæ cum Adamo Gordonio Huntilæi Comitis filio nuptiis ortum trahentes, Gordonii cognomen funt adepti, è quibus funt Gordonii de Gordonfton, de Innergordon, Clunie, *&c.*

T.

T*Aebis* (Helias) 39.

Teodbold, 4.

Thomas (Magifter) 39.

Thomas Clericus, 75 *a.*

Tigerne, 6 *b.*

Thor Longus, 6 *b*, 69, *a.* * Hic vir nobilis, & Anglus genere fuiffe videtur, ac fortè idem qui *Thorr* in libro vulgò DOMESDAY-BOOK fæpius memoratus, ampliffimis fuis prædiis in borealibus Angliæ partibus fitis à Gulielmo Conquæftore erat exutus. Vid. *Thoresbii Ducatûs Leodienfis topograph. pag.* 348.

Thoraldus Archidiaconus, 16 *b.* * Hic Archidiaconus idem exiftimatur qui in Archidiaconatu fucceffsorem habuit Magiftrum Andream, *q. v.*

Tor Archidiaconus Laodoniæ, 24.

Twinham

Locorum, quorum in Diplomatibus mentio fit, INDEX, & Explicatio.

D.

E.

F.

G.

Galweien-

F I N I S.


Corrigenda & Addenda.

PAG. 1. *lin.* 18, *pro* quæ *lege* qui.
2. *l.* 13, *pro* quæ *lege* quo.
6. *l.* 32, *post* potestate *adde* libro.
Ibid. *l.* 41, *pro* MXCIII. *lege* MXCIV.
Ibid. *l. penult.* *lege* existant.
7. *in Notis l.* 9, *post* amui *adde* conterminus.
8. *l.* 42, *pro* facilè *lege* facile.
11. *in Notis, l. ult.* *Adde* At hanc, quam post Volaterranum & Gruterum Van Dalius Justino inscriptionem affingit, commentitiam esse monstravit vir doctissimus Joan. Antonius Ursatus, in notis suis ad Sertorii Ursati *Marmora erudita*, nuper, i. e. anno 1719, Patavii editis, *Epist.* vii. *pag.* 154 & 162 *seqq.*
15. *l.* 12, *lege* ponitur.
18. *in Notis, l.* 10, *pro* alii *lege* alio.
19. *l.* 3, *post* Godrico *adde* electum.
22. *l.* 8, *pro* quòd *lege* quod.
Ibid. *l.* 22, *post* patentes *adde* (,)
24. *l.* 40, *pro* quòd *lege* quod.
28. *in Nòtis, l.* 9, *pro* thesauro *lege* thesaurum.
29. *l.* 11, *pro* aliorum *lege* aliarum.
37. *l.* 14, *lege* adulterinarum.
40. *in Notis, l.* 7, *pro* Idibus *lege* vii. Idus.
53. *l.* 19, *post* sceptrum *adde* dextrâ.
62. *l.* 45, *pro* hac *lege* hoc.
70. *l.* 30, *lege* cudebantur.
73. *in Notis, l.* 7, *post* Britanniæ *adde* unione.
75. *in Notis, l.* 12, *pro* 133633, [*ad quam quidem summam tot libræ, ex Anglicana computandi ratione, quæ 12 tantum uncias unicuique libræ inesse constituit, excrevissent : at cum morem Scoticanum hic servatum oportebat, quo 16 unciæ singulis libris attribuuntur,*] *legendum* 178177.
76. *l.* 23, *pro* augeant *lege* augerent.
Ibid. *l.* 47, *pro* suis *lege* suos.
77. *l.* 42, *lege* etiam carior.
83. *l.* 34, *post* se *dele* ad.
Ibid. 30, *post* quæ *adde* summa.
84. *in Notis l. penult.* *pro* quater *lege* quatuor.
Pag. 91. *lin.* 27. *pro* annis 13. *lege* annis 12.
P. 110. *Voce* Berklai, *pro* Gulielmo *l.* Malcolmo.—*Ibid.* *pro* 1174, *l.* 1154.—*Ibid.* *voce* Boill, *pro* David *l.* Johannes.
P. 111. *Voce* Cambel, *pro* Strachare *l.* Strachurr.
P. 116. *Voce Levenax, lin. ult.* *pro* avus *l.* abavus.

Pag. 85. *l.* 12, *lege* superârint.
Ibid: *l.* 18, *lege* surrecturam.
87. *l.* 29, *pro* omnia *lege* omnes.
109. *col.* 2, *l. penult.* pro filius, *lege* ejus ex filio Roberto nepos.
116. *in voce* Loudun, *l.* 3, *pro* Lanarcensi, *lege* Aërensi.
117. *in voce* Moraviensis, *l.* 1, *pro* 1171, *lege* 1162.
122. *col.* 2. post *Cambuskyneth*, &c. adde *Cambusneithan*, *Camnethan*, ecclesiæ parochialis in præfect. Lanarcensi nomen, 24.
Pag. denique 68. ubi de nummis grandiusculis sive *Medallis* Scoticis agitur, inserendum (si id maturiùs rescivissem) erat, quod de eximio ejus generis numismate ab Jacobo nostro III. percusso habet Carolus du Fresne Dom. du Cange, in libello, cui nomen dedit, *Traité historique du chef de S. Jean Baptiste* (quod ille in ecclesia Ambianensi extare contendit) in quo de numismate supradicto, illi ecclesiæ jam olim donato, ibique adhuc custodito, hæc scribit, *pag.* 127 & 128. « Je me persuade aussi, que « cette grande Medaille d' or, de deux pouces & un tiers de « diametre, qui est attachée au couvercle du Reliquaire, est une « marque de la devotion, si non de Jacques troisiéme du nom « Roy d'Escosse, du moins de quelque particulier, qui en auroit « fait present. Elle a d'un costé a demy-relief un Roy sans « barbe, avec de longs cheveux, assis en un thrône royal, te« nant d'une main une epée nüe, & de l'autre un escu des ar« mes d'Escosse: au rond du pavillon qui couvre le thrône est « ecrit, en lettres Gottiques, IN MI DEFFEN, & au dessus « du pavillon, VILLA BERWICI. A l'entour de la medail« le est cette Inscription aussi en lettres Gottiques, MONETA « NOVA JACOBI TERTII DEI GRATIA REGIS SCOTIÆ. « De l'autre costé est l'Image de Saint André Patron du Roy« aume d'Escosse, debout avec sa croix ; a l'entour sont ces « mots, SALVVM FAC POPVLVM TVVM DOMINE. « Cette piece pese environ six ou sept Pistoles, & peut avoir « servy de monnoye.» Hæc in quadam epistola ad Jacobum nostrum Andersonum perscribenda duxit amplissimus juxta atque eruditissimus vir Joan. Anstis, Fecialium apud Anglos princeps, 23 *Martii* 1723.
P. 117. *Voce* Molla, *lin. ult.* *pro* eâdem provinciâ, *l.* Marciâ.
P. 118. *Voce* Moubray, *pro* Kinrossensi, *l.* Fifensi.
P. 119. *Voce* Ricardus abbas Melrossensis, *pro* Claram Villam *l.* Claram Vallem.



Chartæ
ET
Sigilla
Regum,
COMITUM
ET
Procerum
Scotiæ.



Charta Dunecani Regis

Ego dunecanus filius regis Malcolumb constans hereditarie rex scotie: dedi in elemosina Sco Cuthbto & suis seruitorib; Tiningeham. Aldehā. Scuchale. Cnolle. hatheruuich. & de Broccesmuthe omē seruitiū qđ inde habuit Fodan eps. & hec dedi in tali qitantia cū saca & soca. qualē unquā meliorē habuit scs Cuthbtus. ab illis de qb; tenet suas elemosinas. Et hoc dedi p me ipso. & p anima patris mei. & p fr̄ib; meis. & p uxore mea. & p infantib; meis. Et qm̄ uolui qđ istud donū stabile eēt. Sco cuthbto. feci qđ fr̄s mei ccesserūt. Qui autē istud uoluerit destruere. ul' ministris sci cuthbti. aliqđ inde auferre: maledictionē dī. & sci Cuthbti. & meā: habeat. am̄.

Crux duncani regis

scriptoris grentonis

eadgari

acc ard

al f

malcolumb

hor mer

hem ming

aelf ric

vui geo

teo dbold

ea rnulf



Charta
DUNECANI REGIS.

EGO Dunecanus Filius Regis Malcolumb constans Hereditarie Rex Scotie dedi in Elemosina Sancto Cuthberto et suis servitoribus Tiningeham. Aldeham. Scuchale. Cnolle. Hatheruuich et de Broccesmuthe omne servitium quod inde habuit Fodanus Episcopus. Et hec dedi in tali quitantia cum Saca et Soca. qualem unquam meliorem habuit Sanctus Cuthbertus ab illis de quibus tenet suas Elemosinas. Et hoc dedi pro meipso. et pro anima patris mei. Et pro Fratribus meis. Et pro uxore mea. Et pro infantibus meis. Et quoniam volui quod istud Donum stabile esset Sancto Cuthberto feci quod Fratres mei concesserunt. Qui autem istud voluerit destruere vel Ministris Sancti Cuthberti aliquid inde auferre Maledictionem Dei et Sancti Cuthberti et meam habeat. Amen.

Crux Dun ✠ cani Regis. ✠ *Scribtoris Grentonis.*

Eadgari ✠

Ace ✠ ard

Ul ✠ f

Malcolumb ✠

Her ✠ mer


Alf ✠ ric

Vin ✠ get

Hem ✠ ming

Teo ✠ dbold

Ea ✠ rnulf



Charta Eadgari Regis.

Eadg'. rex scottoꝝ. Omīb; suis hominib; scottis & anglis. salutē. Sciatis qđ ego do in elemosinam deo omīpotenti & Scō Cuthbto dñō meo. & ecclę dunelmsi & monachis in eadē ecclā dō seruientib; & in ppetuū seruituris p animab; patris mei & matris meę. & p salute corporis mei & animę meę & frm̄ meoꝝ & sororū mearū. & p omīb; antecessorib; & successorib; meis. mansionē de Goldingahā. & cū ista mansione has subscriptas mansiones. scil' Aldcamb; Lumesdene Regnintun. Ristun. Swinewde farndun Eitun Aliā Eitun Prenegest. Cramesmude. Has sup scriptas mansiones cōcedo deo & Scō p̄dicto & monachis ei9 cū omīb; t̄ris. siluis. & aquis. & teloneis. & fracturis nauiū. & omīb; c̄suetudinib; que ptinent ad p̄dictas mansiones. & q̄s pater m̄s meus habuit q̄etas & solidas sc̄dm uoluntatē illoꝝ in ppetuū libe disponendas.

Ejusdem.

Eadg'. rex scottoꝝ. Omīb; p regnū suū scottis & anglis. salutē. Sciatis me ad dedicationē uenisse ecclę Scę Marię apud Coldingahā. q̄ quidē dedicatio ad dī laudē & ad meū placitū gната omīb; & accepta honorabilit' ē ad impleta. Et ego eidē ecclę sup altare obtuli in dotem. & donaui uillā totā Swintun cū diuisis sicut liulf habuit. liberam & q̄etā in ppetuum habendam ab omī calūpnia. & ad uoluntatē monachoꝝ Scī CVTHBERTI disponendā. p animab; patris & matris meę. & p salute animę meę & frm̄ & sororū mearū. Donaui etiā monachis. xxiiii. animalia ad restaurandā illā eandē terrā. Et statuo eandē pacē in Coldingahā eundo & redeundo & ibidē manendo. q̄ seruat' in Eilande. & in Norchā. Insup etiā statui hominib; in Coldingahāscire sic ipsi elegerūt & in manu mea firmauerūt. ut unoq̄q; anno de una qq; carruca. dimidiā marcā argenti monachis psoluant. T. Ælfw'. oter. & Thor long'. & Ælfric pincerna. & Algaro prbro & Osbno prbro. & Cnut carl'. & Ogga & Lesing & Swein ulfkill f'. & Liguulf de bebbanburch. & Uhtred Eilaues sune & Uniaet hwite. & Tigerne.




CHARTA Eadgari Regis.

Eadgarus Rex Scottorum Omnibus suis hominibus Scottis et Anglis Salutem Sciatis quod Ego Do in Elemosinam Deo Omnipotenti et Sancto Cuthberto Domino meo, et Ecclesie Dunelmensi et Monachis in Eadem Ecclesia Deo Servientibus et in perpetuum Servituris pro Animabus Patris mei et Matris mee et pro Salute corporis mei et anime mee et fratrum meorum et Sororum mearum et pro omnibus Antecessoribus et Successoribus meis mansionem de Coldingaham et cum ista mansione has Subscriptas mansiones Scilicet Aldcambus Lummesdene Regnintun Ristun Swinewde Farndun Eitun aliam Eitun Prenegest Cramesmuthe Has superscriptas mansiones concedo Deo et Sancto predicto et Monachis ejus cum omnibus Terris Silvis et Aquis et Teloneis et fracturis Navium et omnibus Consuetudinibus que pertinent ad predictas mansiones; et quas Pater meus in eis habuit quietas et Solidas secundum Voluntatem illorum in perpetuum libere disponendas.

EJUSDEM.

Eadgarus Rex Scottorum Omnibus per regnum suum Scottis et Anglis Salutem Sciatis me ad Dedicationem venisse Ecclesie Sancte Marie apud Coldingaham Quequidem Dedicatio ad Dei Laudem et ad meum placitum grata Omnibus et accepta Honorabiliter est adimpleta et ego eidem Ecclesie Super Altare obtuli in Dotem et Donavi Villam Totam Swintun cum divisis Sicut Liulf habuit Liberam et quietam in perpetuum Habendam ab omni Calumpnia et ad Voluntatem Monachorum Sancti Cuthberti disponendam pro Animabus Patris et Matris mee et pro Salute Anime mee et fratrum et Sororum mearum Donavi etiam Monachis Viginti quatuor Animalia ad restaurandam illam eandem Terram Et Constitui eandem pacem in Coldingaham eundo et redeundo et ibidem manendo Que Servatur in Eilande et in Norcham Insuper etiam statui Hominibus in Coldingaham scire sicut ipsi elegerunt Et in manu mea firmaverunt Ut Unoquoque Anno de Unaquaque Carruca Dimidiam Marcam Argenti Monachis persolvant Testibus Alfwredo Oter et Thor Longo et Alfrico Pincerna Et Algaro Presbitero Et Osburno Presbitero et Cnut Carliolensi et Ogga et Lesing et Swein Ulfkillensi et Ligulf de Bebbanburch et Uhtred Filaues Sune et winet Hwite et Tigerne.



CHARTÆ Alexandri I. Regis.

A'. dei grã rex scottorũ. Omib; p regnũ suũ scottis 7 anglis. sal'. Sciatis qđ ego dono deo 7 Scõ Cuthbto dño meo 7 Monachis eius omia que habebant tam in terris quã in aquis die q̃ fr̃ me' rex Eadgar' uiu' 7 mortu' fuit ita libera 7 quieta cũ omib; ɔ̃suetudinib; sicut Monachi p̃dicti illo eodẽ die meli' 7 quieti' habuerũt illã eandẽ terrã. 7 noiati illã terrã que iacet int̃ Horeuoredane 7 Cnapedane sic breue fris mei Eadgari eis testatur.

EJUSDEM.

A. di' grã rex scottoꝝ. p̃ori. A. & tot' ɔ̃uentui eccl'e sci cuthberti sal. Mando 7 precipio uob' ut nullo m̃ intretis placitum neq; in aliquã dirationcinatione de terra de swintune ante quã ueniat ante me. Tibi etiã dõne p̃or notũ facio q'a de multis reb; multa uob' habeo secrete loq' quã citi' fieri potẽt. V.

Ejusdem.

A. dei grã rex scottorũ. A. priori omiq; ɔ̃gregationi S' Cuthbti. sal'. Sciatis qđ ego dono 7 ɔ̃cedo ex mea parte Deo 7 Scõ Cuthbto 7 uobis suis Monachis SWintunã totã libã 7 q̃etã tenendã 7 domino habendã sic̃ breue fris mei Eadgari regis uobis testatur. Et preterea p̃cipio 7 defendo ne aliq's uim ullo m̃ de eadẽ SWintuna placitet aut respondeat ulli hoi n̄ ego ipse ore ad os. uel meis litteris p̃cepero. Quia ego 7 fr̃ meus Dauid elemosinã fris n̄ri Eadgari. 7 nr̃am similit̃ S' p̃dicto 7 uobis Monachis acq̃etabim'.





CHARTA
Alexandri I. Regis.


**lexander** *Dei Gracia Rex Scottorum Omnibus per Regnum Suum Scottis et Anglis. Salutem. Sciatis quod Ego Dono Deo et Sancto Cuthberto Domino meo et Monachis ejus omnia que habebant tam in Terris quam in Aquis Die quo Frater meus Rex Eadgarus Vivus et mortuus fuit ita libera et quieta cum omnibus Conſuetudinibus sicut Monachi predicti illo eodem Die melius et quietius habuerunt illam eandem Terram Et Nominatim illam Terram que jacet inter Horevoredane et Gnapdane sicut breve fratris mei Eadgari eis Teſtatur.*

EJUSDEM.

Alexander *Dei Gracia Rex Scottorum Priori Algaro et toti conventui Eccleſie Sancti Cuthberti Salutem. Mando et precipio vobis ut nullo modo intretis placitum neq. in aliquam diractocinationem de Terra de Suintune antequam veniat ante me Tibi etiam Domine Prior notum facio quia de multis rebus multa vobis habeo Secrete Loqui quam citius fieri poterit. Vale.*

Ejusdem.

**lexander** *Dei Gracia Rex Scottorum Algaro Priori omniq; Congregationi Sancti Cuthberti Salutem. Sciatis quod Ego Dono et concedo ex mea parte Deo et Sancto Cuthberto et vobis suis Monachis Swintunam Totam Liberam et quietam Tenendam et omnino Habendam Sicut Breve fratris mei Eadgari Regis vobis teſtatur Et preterea precipio et defendo Ne aliquis veſtrum ullo modo de eadem Swintuna placitet aut reſpondeat ulli Homini niſi Ego ipſe Ore ad os vel meis Litteris precepero Quia ego et Frater meus David Elemoſinam fratris Noſtri Eadgari et Noſtram similiter Sancto predicto et vobis Monachis acquietabimus.*



CHARTA Davidis Comitis.

David comes. Johi epo. 7 Colbano 7 Cospatrico. 7 oib; suis fidelib; sal. Vos ipsi sciatis qd iudicatu fuit
ante me inter Monachos Sci Cuthbti 7 Drengos meos de terra de Horeuoredane scil qd si ipsi
Monachi haberent legales testes. qd tpe fris mei quieta eis illa pdicta tra remaneret. Et ideo
uolo sciatis qd ego ipse uidi breue 7 donu fris mei Eadgari regis qd ad uos etiā misi. Et qcqd illud breue
eis testat. uolo 7 concedo ut libere 7 quiete habeant. T. Witt nepotis mei. 7 Osb capett 7 Hug de moreuilla

Ejusdem.

David comes. Alg. pori. 7 cetis frib; suis de dunelmo. sal. Sciatis qd ego ex mea parte dono uobis 7 concedo
Swintonā ita liberā 7 quietā 7 uoluntatē uram inde faciendā sic fr meus Eadgarus rex uob eā dedit
7 sup altare obtulit 7 sic suu breue qd ad ipm opus testat. Et nolo amodo ullo m pati ut aliqis uob
aliquā iniuriā l molestiā inde faciat. pcerto sciatis. T. Mathildis regine. 7 Witti filii sui




Charta DAVIDIS COMITIS.

David *Comes Johanni Episcopo et Colbano et Cospatrico et omnibus suis Fidelibus Salutem. Vos ipsi scitis quod Judicatum fuit ante me inter Monachos Sancti Cuthberti et Drengos meos de Terra de Horevoredane Scilicet quod si ipsi Monachi haberent Legales Testes vel breve Fratris mei quieta eis illa predicta Terra remaneret Et ideo volo sciatis quod Ego ipse vidi breve et donum Fratris mei Eadgari Regis quod ad vos etiam misi Et quicquid illud breve eis testatur Volo et Concedo ut Libere et quiete habeant Testimonio Willelmi Nepotis mei et Osberti Capellani et Hugonis de Morevilla.*

Ejuſdem.

David *Comes Algaro Priori et ceteris Fratribus suis de Dunelmo Salutem Sciatis quod ego ex mea parte Dono Vobis et concedo Swintonam ita liberam et quietam et voluntatem vestram inde faciendam sicut Frater meus Eadgarus Rex vobis eam dedit et super Altare obtulit et Sicut Suum breve eum ad vestrum opus testatur Et nolo amodo ullo modo pati ut aliquis vobis aliquam injuriam vel molestiam inde faciat pro certo Sciatis Testimonio Mathildis Regine et Willelmi Filij sui.*



CHARTA
Davidis I. Regis.


D. rex Scot. Epis. Abbatib;. Comitib;. Vicecomitibus. 7 oib; pbis hoib;
toci terre sue. Salt. Sciatis me concessisse 7 dedisse canonicis sci Andree
insulā de Lochleuen. ut ipi ibi instituant ordinē canonicalem. 7 keledei
q ibidē inuenti fuerint. si regulariter uiuere uoluerint. in pace cū eis 7 sub
eis maneant. 7 siqs illor ad hoc resistere uoluerit. uolo 7 pcipio. ut ab
insula eiciatur. Test. Robto epo sci Andree. Andrea epo de Katen. Walto
cancell. Nicholao clico. hugone de morevill. Walto filio Alani. Apd
Berwic.





Charta
DAVIDIS I. REGIS.

David *Rex. Scottorum, Episcopis, Abbatibus Comitibus, Vicecomitibus, et omnibus probis hominibus lociuis terre Sue, Salutem, Sciatis me concessisse et dedisse Canonicis Sancti Andree Insulam de Lochlevene ut ipsi ibi, instituant ordinem Canonicalem, Et Keledei qui ibidem inventi fuerint Si regulariter vivere voluerint in pace cum eis et sub eis maneant, Et si quis illorum ad hoc resistere voluerit, volo et prcipio ut ab insula ejiciatur. Testibus Roberto Episcopo Sancti Andree, Andrea Episcopo de Katenes, Waltero Cancellario, Nicholao Clerico Hugone de Morevilla Waltero Filio Alani Apud Bernvic.*




Charta Davidis I. Regis

David di gr̃a Rex Scottoꝝ. Ep̃is. Abbatib;. Comitib;. Baronib; ⁊ p̃bis hoib; suis. ⁊ oib; fidelib; suis toci⁹ regni sui. franc̃ ⁊ anglic̃. ⁊
Scottis ⁊ Galwensib;. sal. Sciatis me p aĩa mĩa ⁊ aĩab; p̃ris ⁊ m̃ris mee. ⁊ f̃ris mei Adgari. ⁊ alioꝝ f̃rm ⁊ Sororꝝ mearꝝ ⁊ vxoris mee Ma-
tild. ⁊ etiã p aĩa henrici filii mei ⁊ hedis ⁊ Ancessoꝝ ⁊ Successoꝝ meoꝝ. Concessisse ⁊ dedisse do ⁊ Sancte marie de melr. ⁊ monachis ibi
de do servientib; Cystciens ordinis. Annuente ⁊ Concedente henr. filio meo ⁊ hede ⁊ p cartã suã confirmante in ppetuã Elemosinam.
totã scit t̃ram de melr. ⁊ totã t̃ram de Eldune. ⁊ totã t̃rã de Dernewic. p t̃minos ⁊ rectas divisas suas. in Bosco ⁊ plano. in pratis. ⁊
aquis. in pasturis. ⁊ moris in viis. ⁊ semitis. ⁊ in oib; aliis reb; liberas ⁊ quietas. ⁊ Solutas ab oĩ t̃reno servicio ⁊ exactione seculari. ppetuo
tenore possidere. Insup aũ sciatis me dedisse p̃dcis monachis ⁊ hac mĩa carta confirmasse in t̃ra mea ⁊ in forestis meis scit de Selechirche. ⁊
de Trauequair oĩa aisiamenta sua. pasturam scit ad averia sua. ⁊ ligna ⁊ maeriem. ⁊ pasnagiũ. ubiq; ad suos pprios usus sicut ego ip̃e melius
habeo ad op⁹ meũ. ⁊ nominati int̃ Galche ⁊ leder. Pretea in aquis de Tweda infra t̃minos eoꝝ piscaturam. tam ex mea pte fluminis q̃m
ex eoꝝ pte vbiq;. Pret̃ u° omnia sup̃dicta dedi ⁊ confirmavi eis ad incrementũ Galtuneshalech. ⁊ totã t̃ram ⁊ boscum de Galtunesside sicut ego
ip̃e ⁊ henric⁹ filius meus. ⁊ Abbas Ricardus eiusdẽ eccl̃e p̃mum ⁊ circuivim⁹ die venis crastino ascensionis dñi Anno scit scdo quo Ste-
phan⁹ Rex anglie captus est. Testib; ad hoc p̃sens donũ. Johe ep̃o. Witto nepote regis. hug de morevitt. Witt de Sumvitt. henrico filio Swa-
ni. Gervasio Ridel. Volo itaq; ut ip̃i oms has p̃dictas t̃ras ⁊ res suas ita libe ⁊ quiete teneant ⁊ possideant sicut aliqua elemosina libius
⁊ quiecius. ppetuo tenore teneri potest ⁊ possideri. Teste henr. filio meo Johe ep̃o Witto nepote meo. Witto cancellario Madd com. Robto
de humfravitt. hug de morevitt. Walio filio Alam. hug Briton Osbto de ardene Gervasio Ridel. Witto de Sumvitt Ricardo germm.
Ricardo anglico Witt de lindes Ascetino archidiacono Jordane clerico Estmũdo elemosinario. Pretea hoies de eadẽ t̃ra. Gospatc Com
Vlfchillo filio Ethestan Osolfo filio huctre Mac⁹ fili⁹ vnwain hutredo filio Sioth. huctredo filio Gospatc. Orm filio Eilaf. Eilaf filio Gos-
patc. Eduso. filio Norm̃ Osolfo filio Edine Osolfo filio Elfstan. Robto brus meschin. Rad filio Turstam. Rogo nepote ep̃i. Apud
Ercheldon. In Junio

Charta
Dauidis. I. Regis.

David Dei gracia Rex Scottorum, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus et probis hominibus suis, et omnibus fidelibus suis tocius regni sui, Francis et Anglicis et Scottis et Galwensibus, Salutem. Sciatis me, pro anima mea et animabus patris et matris mee, et fratris mei Eadgari, et aliorum fratrum et sororum mearum, et uxoris mee Matildis, et etiam pro anima Henrici filij mei et heredis, et antecessorum et successorum meorum, concessisse et dedisse Deo et Sancte Marie de Melros, et monachis ibidem Deo servientibus, Cystercienfis ordinis, annuente et concedente Henrico filio meo et herede et per cartam suam confirmante, in perpetuam elemosynam, totam scilicet terram de Melros, et totam terram de Eldune, et totam terram de Dernewic, per terminos et rectas divisas suas, in bosco et plano, in pratis et aquis, in pasturis et moris, in viis et semitis, et in omnibus alijs rebus liberas et quietas, et solutas ab omni terreno servicio et exactione seculari perpetuo tenore possidere. Insuper autem sciatis me dedisse predictis monachis, et hac mea carta confirmasse, in terra mea et in forestis meis, scilicet de Seleschirche et de Trauequair, omnia asiamenta sua, pasturam scilicet ad averia sua, et ligna et materiem, et pasnagium ubique ad suos proprios usus, sicut ego ipse melius habeo ad opus meum, et nominatim inter Galche et Leder. Preterea in aquis de Threda, infra terminos eorum, piscaturam, tam ex mea parte fluminis quam ex eorum parte ubique. Preter vero omnia supradicta, dedi et confirmavi eis ad incrementum Galtuneshalech, et totam terram et boscum de Galtunesside, sicut ego ipse et Henricus filius meus et Abbas Ricardus ejusdem ecclesie perivimus et circuivimus die Veneris crastino ascensionis Domini, anno scilicet secundo quo Stephanus Rex Anglie captus est. Testibus ad hoc presens donum Johanne Episcopo, Willelmo nepote Regis, Hugone de Morevilla, Willelmo de Sumervilla, Henrico filio Swani, Gervasio Ridel. Volo itaque ut ipsi omnes has predictas terras et res suas ita libere et quiete teneant et possideant, sicut aliqua elemosina liberius et quietius perpetuo tenore teneri potest et possideri. Teste Henrico filio meo, Johanne Episcopo, Willelmo nepote meo, Willelmo Cancellario, Madd Comite, Roberto de Humfravilla, Hugone de Morevilla, Waltero filio Alani, Hugone Briton, Osberto de Ardene, Gervasio Ridel, Willelmo de Sumervilla, Ricardo Germin, Ricardo Anglico, Willelmo de Lindesia, Ascelmo Archidiacono, Jordane clerico, Estmundo elemosinario. preterea homines de eadem terra, Gospatricio Comite, Ulfchillo filio Ethestan, Osolfo filio Huctix, Maccus filio Unwain, Hutredo filio Sioth, Huctredo filio Gospatricij, Orm filio Eilaf, Eilaf filio Gospatricij, Edulfo filio Norman, Osolfo filio Edine, Osolfo filio Elfstan, Roberto Brus, Uefchin, Radulfo filio Turstam, Rogero nepote Episcopi. Apud Ercheldon in Junio.



CHARTA Davidis I. Regis.

D. Dei Gra Rex Scot. Epis. Abbatib. Comitib. Justic. Baronib. Vic. 7 Omnib. fidelib. sce Dei Eccle. 7 Omnib. pbis hominib. suis francis, 7 Angleis. tam futis q. presentib. toci Tre sue sal. Sciatis me dedisse 7 concessisse Do 7 Eccle sci Andree de Chilrimunt. Ecclam sce Marie de Hadintune in perpetua elemosina. p anima mea 7 filii mei. 7 p animab. antecessoru 7 successor meor. c capell. 7 tris 7 rectitudinib. 7 consuetudinib. tam in decimis q. in aliis elemosinis que Do 7 sce pdicte Di Eccle ptinent videlicz. de tota Hadintunschir ad tenendu ita libe. 7 quiete de omnib. rectitudinib. 7 consuetudinib. de me 7 Therno. 7 de omnib. aliis q. Hadintun tenuerit de me 7 heredib. meis post me. 7 heredib. eor. sic aliqua elemosina in tota tra mea meli. 7 pleni. 7 liberi. pot dari 7 teneri. Presentib. testib. Robto Epo sci Andree 7 Johe Epo e Glesgu. 7 Galfrido Abbe Dumfinel. 7 Nicol Priore de Scon. 7 Dionisio canonico de S 7 Willmo Cummo cancell. 7 H. de Morvill. 7 Willo de Sumervill. Apd Hadintune

Ejusdem.

D. Di gra Rex Scot. Epis. Abbatib. Comitib. Justic. Baronib. Vicec. Prepositis. Ministris 7 Omnib. fidelib. suis francis 7 Anglicis. Clericis 7 Laicis. tam futuris q. presentib. toti terre sue. sal. Sciatis me dedisse 7 concessisse Do 7 Eccle Sce Marie de Hadintune 7 Eccle Sci Andree. Clerchetune. In ppetuam Elemosina. cu suis rectis divisis ex utraq. parte aque. sic Will. de Graham. 7 Durand Vic. 7 Ric clerico 7 Osbt prior de Edeneb. 7 Malb. de Libertune 7 Gillandr fil Oggu. 7 Will fil Merchev. 7 Ulfchil fil Meldun. 7 Sedvall miles. pierit 7 circuierit. postq. Thorald archid mei fuit ap Pebles. 7 tota sic antea mensurata fuit. Concedo etia predicte eccle unu plenariu Toft iuxta ecclam in villa de Hadintun. 7 Omis decimas 7 rectitudines Ecclesiasticas de Tota Hadintunschyre. tam de Molendinis q. de aliis Reb. Volo itaq. 7 firmit precipio quod pdicta ecclia teneat 7 hac pnominatam terra clerchetun. sola. 7 quieta de me. 7 de Themo. 7 de omnib. aliis qui tra pdictam Tenuerint de Hadint. de me 7 de heredib. meis 7 etia de heredib. eor. 7 etia omis alias Rectitudines 7 Consuetudines. In decimis 7 Elemosinis ita Libe 7 honorifice 7 quiete 7 plenarie. sic aliqua Elemosina in tota Terra mea. meli. 7 pleni. 7 honorificentius 7 quieci. pot dari 7 Concedi. Has aute omis pnominatas Elemosinas. Do. 7 Carta mea confirmo p ala mea. 7 p Patris ante prisq. mee. Et oib. antecessor Et successors meors Annuente 7 concedente hoc Henr fil meo. 7 hoc idem Testante Rodbto Epo Sci Andree. 7 Johe Epo de Glesgu. 7 Gregorio Epo de Duncheldin. 7 Galfrido Abbe de Dunfermel. 7 Dionisio Priore de Scon. 7 Rogo Priore de Dunef. 7 Rodbto Fr. To de Sigillo. 7 Dunec Comite 7 Hug de Morevill 7 Malise Com. 7 Edward Cunestabl. 7 Leod de Brechin. 7 Rannulfo de Sul. 7 Rogo Nepote Epi Rodbi Sci And Ap. PERT. Xviii. Kl Julii.

CHARTA
Davidis I. Regis.

David Dei Gratia Rex Scottorum Episcopis Abbatibus Comitibus Justicijs Baronibus Vicecomitibus et Omnibus fidelibus Sancte Dei Ecclesie Et Omnibus probis hominibus suis Francis et Anglicis tam futuris quam presentibus totius terre sue Salutem Sciatis me Dedisse et concessisse Deo et Ecclesie Sancti Andree de Chilrimunt Ecclesiam Sancte Marie de Hadintune in perpetuam Elemosinam pro Anima mea et filij Mei Et pro Animabus Antecessorum et Successorum meorum cum Capellis et terris et Rectitudinibus et consuetudinibus tam in Decimis quam in alijs Elemosinis que Deo et Sancte predicte Dei Ecclesie pertinent Videlicet de tota Hadintunschire Ad tenendum ita Libere et quiete de Omnibus rectitudinibus et consuetudinibus de Me et Theino et de omnibus alijs qui Hadintunam tenuerint de Me et heredibus meis post Me et heredibus eorum Sicut Aliqua elemosina in tota terra mea melius et plenius et Liberius potest Dari et Teneri Presentibus Testibus Roberto Episcopo Sancte Andree et Johanne Episcopo de Glesgu Et Galfrido Abbate Dunfermelinensi et Nicolao priore de Scona et Dionisio Canonico de Scona et Willelmo Cumino Cancellario et Hugone de Morevilla et Willelmo de Sumervilla Apud Hadintune.

EJUSDEM.

David Dei Gratia Rex Scottorum, Episcopis Abbatibus, Comitibus, Justicijs, Baronibus, Vicecomitibus, Prepositis Ministris, et Omnibus Fidelibus Suis Francis et Anglicis, Clericis et Laicis, tam futuris quam presentibus totius terre Sue Salutem Sciatis me Dedisse et Concessisse Deo et Ecclesie Sancte Marie de Hadintune Et Ecclesie Sancte Andree Clerchetune, in perpetuam Elemosinam, cum suis rectis Divisis ex utraque parte Aque sicut Willelmus de Graham et Durandus Vicecomes et Richardus Clericus et Osbertus Prior de Edenburg et Malbet de Libertune et Gillander filius Oggu et Gillander filius Merthen et Ulschil filius Merewin et Sewaldus Miles perierunt et circumierunt postquam Thoraldus Archidiaconus Metas finivit Apud Pebles, Et etiam sicut antea Mensurata fuit Concedo etiam predicte Ecclesie unum plenarium Toftum juxta Ecclesiam in Villa de Hadintune et omnes Decimas et rectitudines Ecclesiasticas de Tota Hadintunschire tam de Molendinis quam de Alijs Rebus Volo itaque, et firmiter precipio quod predicta Ecclesia teneat et habeat prenominatam terram Clerchetune solam et quietam de Me et de Theino, et de omnibus alijs qui terram predictam tenuerint de Hadintune de me et heredibus meis, Et etiam de heredibus eorum, Et etiam omnes alias Rectitudines et consuetudines In Decimis et Elemosinis ita libere et honorifice et quiete et plenarie sicut Aliqua Elemosina in tota terra mea, melius et plenius, et honorificentius et quietius potest dari et Concedi Has autem omnes prenominatas Elemosinas Do, et Cartha mea Confirmo pro Anima mea et Patris Matrisque mee, et Animabus Antecessorum et Successorum meorum Annuente et Concedente hoc Henrico filio meo, Et hoc idem Testante Rodberto Episcopo Sancti Andree, et Johanne Episcopo de Glesgu, et Gregorio Episcopo de Duncheldin, et Galfrido Abbate de Dunfermelin et Dionisio Priore de Scone et Rogero Priore de Dunfermelin, et Rodberto de Sigillo, et Duncano Comite, et Hugone de Morevilla et Malise Comite, et Edwardo Conestabulo, et Leod de Brechin, et Ranulfo de Sules, et Rogero Nepote Episcopi Rodberto Sancti Andree Apud Pert Decimo Octavo Kalendas Julij.

CHARTA
Davidis I Regis.

D. dei gra Rex scottor Epis. Abbib; Comitib; Baronib;. ⁊ pbis hoib; suis. ⁊ Oib; fidelib; suis toci regni sui franc ⁊ Anglic. ⁊ Scotus. ⁊ Galwensib; sat. Sciatis me p aia mia ⁊ aiab; pris ⁊ matris mee ⁊ fris mei Edgari ⁊ alior frm ⁊ Soror mear ⁊ uxoris mee Matilđ. ⁊ etia p aia henrici filii mei ⁊ hedis. ⁊ Ancessor ⁊ Successor meor Concessisse ⁊ dedisse do ⁊ Sancte marie de melr. ⁊ monachis ibide do seruientib; de Rieualt Annuente ⁊ Concedente henr filio mo ⁊ hede ⁊ p carta sua confirmante. in ppetua Elemosina. tota scit tram de Melr. ⁊ tota tram de Eldune.

EJUSDEM

D. dei gra Rex scottor Epis Abbib Comitib; Baronib; ⁊ pbis hoib; suis ⁊ omnib; fidelib; suis toci regni sui franc ⁊ Anglic ⁊ Scotis. ⁊ Galwensib; salutem Sciatis me p aia mia ⁊ aiab; pris ⁊ matris mee. ⁊ fris mei Edgari ⁊ alior frm ⁊ soror mear. ⁊ uxoris mee Matilđ ⁊ etia p aia henrici filii mei ⁊ hedis. ⁊ Ancessor ⁊ Successor meor Concessisse ⁊ dedisse do ⁊ Sancte marie de melr ⁊ monachis ibide do seruientib; Annuente ⁊ Concedente henr filio meo ⁊ hede. ⁊ p carta sua confirmante in ppetuam Elemosina. tota scit terra de melr. ⁊ tota terra de Eldune

CHARTA
Davidis I. Regis.

David Dei gracia Rex Scottorum, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus et probis hominibus suis, et omnibus fidelibus suis totius regni sui Francis et Anglicis, et Scottis et Galwensibus salutem. Sciatis me pro anima mea, et animabus patris et matris mee, et fratris mei Eadgari, et aliorum fratrum et sororum mearum, et uxoris mee Matildis, et etiam pro anima Henrici filij mei et heredis, et antecessorum et successorum meorum, concessisse et dedisse Deo et sante Marie de Melros, et monachis ibidem Deo servientibus de Rievall. annuente et concedente Henrico filio meo et herede et per cartam suam confirmante, in perpetuam elemosinam, totam scilicet terram de Melros et totam terram de Eldune

Ejusdem

David Dei gracia Rex Scottorum, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus et probis hominibus suis, et omnibus fidelibus suis totius regni sui Francis et Anglicis, et Scottis et Galwensibus salutem. Sciatis me pro anima mea et animabus patris et matris mee et fratris mei Eadgari, et aliorum fratrum et sororum mearum, et uxoris mee Matildis, et etiam pro anima Henrici filij mei et heredis, et antecessorum et successorum meorum, concessisse et dedisse Deo et sancte Marie de Melros et monachis ibidem Deo servientibus, annuente et concedente Henrico filio meo et herede et per cartam suam confirmante, in perpetuam elemosinam totam scilicet terram de Melros, et totam terram de Eldune



CHARTA
Henrici Comitis.

H. Comes filius Regis Scot. Justic. Baronib; Vicec. prepositis. ministris. & omnib; probis hoib; suis totius comitat. sui Northumberlandie Francis & Anglicis. salt. Sciatis quod terre & possessiones monachorum Dunelmie sunt in pace mea & in custodia mea; precipio firmiter oib; officialib; meis quatinus manuteneant hoies eorum & res suas. & prohibeo ne quis eis iniuste forisfaciat super meum plenarium forisfactum. Testib; Eng. cancell. & Will de Vnfranuill apud Nouum Castell.

Ejusdem.

H. Comes. fil. Regis Scot. Will de Vmfranuill. Constabulo suo & ceteris baronib; & hoib; suis omnib; salt. Sciatis quod terra monachorum Dunelm & possessiones sue in propria manu mea sunt & in propria mea protectione & in mea pace. precipio vobis omnib; & precipio quatinus terre sue & possessionib; suis omnib; pacem teneatis. & teneri faciatis ab oib; uris. constabulis & ubiq; sic me diligitis. Testib; Osberto presbitero de Seddewrd. & Richardo presbitero de Hestaldesham apud Seddewrd.—




Charta HENRICI COMITIS Filij Regis Davidis.


enricus *Comes Filius Regis Scottorum Justiciarijs Baronibus Vicecomitibus, prepositis, Ministris et omnibus probis hominibus suis totius Comitatus sui Norhumberlandie Francis et Anglicis Salutem. Sciatis quod terre et possessiones Monachorum Dunelmie sunt in pace mea et in Custodia mea; propterea mando et precipio firmiter omnibus officialibus meis quatinus manuteneant homines eorum et res suas, Et prohibeo ne quis eis injuste forisfaciat super meum plenarium forisfactum. Testibus Engiramo Cancellario et Gilleberto de Unfranvilla Apud novum Castellum.*

EJUSDEM.


Henricus *Comes Filius Regis Scottorum Gilberto de Unfranvilla Conestabulo Suo et ceteris Baronibus et hominibus suis omnibus Salutem. Sciatis quod terra Monachorum Dunelmie et possessiones sue in propria manu mea sunt et in propria mea protectione et in mea pace; propterea mando vobis omnibus et precipio quatinus terre sue et possessionibus suis omnibus pacem teneatis et teneri faciatis ab omnibus vestris constanter et ubique Sicut me diligitis. Testibus Osberto priore de Jeddewrd et Richardo priore de Hestoudesham apud Jeddewrd.*



Charta Malcolmi IV. Regis.

M. Rex Scott. Epis. Abbib3. Comit. 7 Baronib3. Justic. Vicecom. Preposit. 7 Ministris. Francis 7 Anglicis. Scottis 7 Gallwethiensib3.
Clericis. 7 laicis. 7 Omnib3 hoib3 totius terre sue Salt. Sciatis qd postqm arma suscepi Dedi. Concessi. 7 hac Carta mea Confirmavi:
Walto fil. Alan. Mo Senescallo Birchinside. 7 leggardeswde p Rectas Divisas Suas. Scilicet Ita plenarie 7 Integre Sicut Rex
DD. Auus meus predcas Terras In Dominico Tenuit. Dedi et pdicto Walto: Molle p Rectas Divisas suas. 7 cu Omnib3 Justis Suis
pertinentiis. Tenend. 7 habend. sibi 7 heredibus suis De me 7 heredib3 meis In feodo 7 hereditate. Ita libere 7 quiete.
plenarie 7 honorifice: Sicut Aliquis Comes l Baro In Regno Scotie Terram aliquam de me liberius. quietius. plenius. 7
honorificentius Tenet 7 possidet. faciendo de pdcis terris m 7 heredibus meis Servitiu unius Militis His Testibus.
…averunt Quorum Nobilitates et merita licet ex alijs non clarerent ſatis patenter ef=
…ultimis terre finibus conſtitutos quasi primos ad suam fidem ſanctiſſimam convo=
…rdine ſecundum vel tertium ſcilicet Andream Mitiſſimum Beati Petri Germa-
…ita mente penſantes ipſum Regnum et populum ut Beati Petri Germani peculium
…deguit et quieta donec ille princeps magnificus Rex Anglorum Edwardus pater istius
…tunc aſsuetum ſub amici et confederati ſpecie Inimicabiliter infestavit Cujus injurias
…ſpoliationes et occiſiones alia quoq; enormia que in dicto populo exercuit nulli parcens
…ret A quibus malis innumeris ipso juvante qui poſt vulnera medetur et Sanat liberati ſumus
…anibus inimicorum liberandis quaſi alter Machabeus aut Joſue labores et tedia in
…as uſq; ad mortem suſtinere volumus Juris Succeſsio et debitus noſtrorum omnium
…o eſt pro nostra Libertate Tuenda tam jure quam meritis tenemur et volumus in om-
…ubjicere tanquam inimicum noſtrum et sui noſtrique juris Subversorem statim expelle
…remanserint nuncquam Anglorum Dominio aliquatenus volumus ſub jugari Non
…mus niſi simul cum vita amittit Hinc est Reverende Pater et Domine quod sanctitatem
…nſentes quod apud eum cujus vices in terris geritis non sit pondus et pondus nec
…licis paternis oculis intuentes Regem Anglorum cui Sufficere debet quod poſsidet
…exili degentes Scocia ultra quam habitatio non est nichilque nisi nostrum cupientes
…facere volumus cum effectu Veſtra enim intereſt Sancte Pater hoc facere qui paganorum
…s arctari indies quantumque vestre ſanctitatis memorie derogat Si quod absit Eccle-
…Chrianos Principes qui non cauſam ut cauſam ponentes se fingunt in ſubſidium terre
…d in minoribus proximis debellandis utilitas propior et reſiſtencia debilior esti-
…iremus Qui nihil ignorat satis novit Quod Chriſti Vicario totique Christianitati of=
…ibet aut ipſis in nostram confusionem favere non deſinat Corporum excidia ani=
…mo credimus inputanda Ex quo ſumus et erimus in hijs que tenemur tanquam obe=
…auſam noſtram tuendam Committimus Cogitatum nostrum Jactantes in ipso ſperan=
…estram conservet altiſsimus Eccleſie ſue sancte per tempora diuturna Datum apud
…no Anno vero Regni Regis nostri supradicti quintodecimo.



CHARTA
Davidis II. Regis.

David dei gratia Rex Scottorum Omnibus probis hominibus tocius terre sue clericis et laicis Salutem
Sciatis nos approbasse ratificasse et hac presenti carta nostra confirmasse donacionem illam et concessionem
quas quondam Walterus de Maulea de Panmure fecit et concessit venerabili in Christo patri quondam Ade ecclesie
Brechin Episcopo et eidem ecclesie sue de capellania de Both et de terra de Cairncorthy cum pertinentiis. Ac eciam
donacionem illam et concessionem quas quondam Cristiana de Valoniis domina de Panmure fecit et concessit
capelle de Both de terra de Bothmernok cum pertinentiis in tenemento de Panmure et de duabus mensuris frumenti
seu annuatim debitis de terra de Brecky per abbatem et conventum monasterii de Abirbrothoc Tenend
et habend eidem ecclesie Brechin Episcopis et Canonicis eiusdem in perpetuum cum omnibus terris redditibus iuribus
libertatibus commoditatibus aysiamentis et iustis pertinentiis quibuscumque ad dictas capellam et terras spectan
tibus seu quoquo modo iuste spectare valentibus in futurum libere plenarie pacifice et quiete In cuius Rei
testimonium presenti carte confirmacionis nostre Sigillum nostrum precepimus apponi Testibus venerabilibus in Christo patribus
Willelmo Episcopo Sancti Andree et Johanne Episcopo Dunkelden Roberto Senescallo Scocie comite de Strathierne
Patricio comite Marchie et Moravie Roberto de Erskyne et Johanne de Preston militibus Apud Edin
burgh vicesimo die Novembris Anno Regni nostri Tricesimo primo





Charta DAVIDIS II. REGIS.

David Dei gracia Rex Scottorum Omnibus probis hominibus tocius terre sue Clericis et Laicis Salutem. Sciatis nos approbasse, ratificasse et hac presenti carta nostra confirmasse donacionem illam et concessionem, quas quondam Walterus de Maulea de Panmor fecit et concessit venerabili in Christo Patri quondam Ade ecclesie Brechinensis Episcopo et eidem ecclesie sue, de capellania de Both et de terra de Carncorty cum pertinencijs, Ac eciam donacionem illam et concessionem quas quondam Christiana de Valonijs Domina de Panmor fecit et concessit capelle de Both, de terra de Bothmernok cum pertinencijs in tenemento de Panmor; et de duabus Marcis sterlingorum annuatim debitis de terra de Breckys per abbatem et conventum Monasterij de Abirbrothoch. Tenend. et Habend. eidem ecclesie Brichinensi Episcopoque et canonicis ejusdem in perpetuum, cum omnibus terris, redditibus, juribus, libertatibus, commoditatibus, aysiamentis et justis pertinencijs quibuscunque, ad dictas capellam et terras spectantibus seu quoquo modo juste spectare valentibus in futurum, libere, plenarie, pacifice et quiete. In cujus rei testimonium, presenti carte confirmacionis nostre Sigillum nostrum precepimus apponi. Testibus venerabilibus in Christo patribus Willelmo Episcopo sancti Andree et Johanne Episcopo Dunkelden. Roberto Senescallo Scocie Comite de Stratherne. Patricio Comite Marcie et Moravie, Roberto de Erskyne et Johanne de Preston militibus. Apud Edinburgh vicesimo die Novembris Anno regni nostri tricesimo primo.

Sigillum Edwardi de Balliolo







Charta

Robertus dei gracia Rex Scottorum. Omnibus probis hominibus
cartam nostram confirmasse donationem illam et concessionem quas
Hamilton militi et Elizabeth sponse sue sorori eiusdem comitisse
Hadyngton infra vicecomitatum de Edynburgh. Tenendas et habendas eis
heredibus suis in feodo et hereditate imperpetuum per omnes rectas me
quibuscumque ad dictas terras cum pertinentiis spectantibus seu quoquo
sicut carta dicte comitisse eis inde confecta in se iuste con
nostrum precepimus apponi Sigillum. Testibus Venerabilibus in Christo
Senescallo Scotie Roberto de Fyfe et de Menteth custode Scotie filio
militibus apud Edynburgh decimo die Aprilis Anno Regni nostri



...oberti II. Regis


...e sue clericis et laicis Salutem Sciatis nos approbasse ratificasse et hac presenti
... consanguinea nostra Margareta comitissa de Angus et de Marr Alexandro de
...is et singulis terris suis cum pertinenciis in baronia de Inverkyp in constabularia de
...ro et Elizabeth et heredibus inter ipsos legitime procreatis seu procreandis de nobis et
...das suas cum omnibus et singulis libertatibus commoditatibus ysiamentis et iustis pertinenciis
...e spectare valentibus in futurum adeo libere et quiete plenarie integre et honorifice
...portat. Salvo servicio nostro inde debito. In cuius rei testimonium presenti carte nostre confirmacionis
...co et Matheo Sanctiandree et Glasguensis ecclesiarum episcopis Johanne primogenito nostro de Carrik
...rchebaldo de Douglas comitibus Jacobo de Douglas de Dalkeith et Thoma de Erskyne
...mo.





Charta
ROBERTI. II. REGIS.

Robertus Dei gracia Rex Scottorum, omnibus probis hominibus tocius terre sue, clericis et laycis, Salutem. Sciatis nos approbasse, ratificasse, et hac presenti carta nostra confirmasse donacionem illam et concessionem, quas fecit dilecta consanguinea nostra Margareta Comitissa de Angus et de Marr Alexandro de Hamilton militi et Elizabeth sponse sue Sorori ejusdem Comitisse, de omnibus et singulis terris suis cum pertinencijs in baronia de Innerwyk, in Constabularia de Hadyngton infra vice-comitatum de Edynburgh; Tenend. et Habend. eisdem Alexandro et Elizabeth et heredibus inter ipsos legitime procreatis seu procreandis, de nobis et heredibus nostris in feodo et hereditate in perpetuum, per omnes rectas metas et divisas suas, cum omnibus et singulis commoditatibus, libertatibus, aysiamentis et justis pertinencijs quibuscunque ad dictas terras cum pertinencijs spectantibus, seu quoquo modo juste spectare valentibus in futurum, adeo libere et quiete, plenarie, integre et honorifice, sicut carta dicte Comitisse eis inde confecta in se juste continet et proportat; Salvo Servicio nostro. In cujus rei testimonium, presenti carte nostre confirmacionis nostrum precepimus apponi Sigillum. Testibus venerabilibus in Christo Patribus Waltero et Matheo Sancti Andree et Glasguensis ecclesiarum Episcopis, Johanne primogenito nostro de Carrie Senescallo Scocie, Roberto de Fyfe et de Menteth Custode Scocie, filio nostro dilecto; Archebaldo de Douglas, Comitibus, Jacobo de Douglas de Dalketh et Thoma de Erskyne militibus. Apud Edynburgh decimo Die Aprilis Anno regni nostri nono decimo.



Indentura.

Inter Euphemiam Reginam Roberti Secundi Regis Scotiæ Et DAVIDEM Comitem de STRATHERNE Ex una parte; Et Alexandrum Murray de Drumsergath ex altera. An: 1375

INDENTURA

Inter Euphemiam Reginam Roberti secundi Regis Scotiæ et DAUIDEM Comitem de STRATHERNE ex una parte, et Alexandrum Murray de Drumsergath ex altera A.° 1375.



resens Indentura per modum alphabeti facta testatur quod vicesimo quarto die mensis Novembris Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quinto apud Perth inter Excellentissimam Dominam Dominam Eufemiam Dei Gracia Reginam Scocie illustrem, et nobilem virum ac potentem Dominum David Comitem palatinum de Stratherne et Comitem Cattanie ex parte una, et Alexandrum de Moravia de Drumesergorth ex altera, in hunc modum extitit concordatum, videlicet quod dictus Alexander ducet in uxorem Dominam Jonetam de Munymuske sororem dicte Domine Regine; et predicta Domina Regina ac Comes fideliter promiserunt facere cum toto consilio suo et auxilio dictum Alexandrum habere consilium juris peritorum et Advocatorum sumptibus suis proprijs et expensis pro recuperacione sue hereditatis secundum visum fuit quod jus habet ad prosecutionem. Insuper concordatum est inter eosdem, quod dicta Domina Regina inveniet sufficientem sustentacionem predicte sororis sue ad tempus unius anni vel duorum annorum; Preterea concordatum est inter eosdem quod Walterus de Moravia frater dicti Alexandri, si velit pro voluntatis sue libito, seniorem filiam predicte Domine Jonete habebit in uxorem. In cujus rei testimonium perimplende et fideliter observande, parti hujus indenture penes dictum Alexandrum remanenti sigilla predictorum Domine Regine et Comitis sunt appensa; parti vero hujus indenture penes predictam Dominam Reginam remanenti sigillum predicti Aexandri est appensum Actum die anno et loco supradictis.



Charta ROBERTI. III. Regis

Robertus dei gratia Rex Scottorum Omnibus probis hominibus totius terre sue clericis et laicis Salutem .. Sciatis quod concessimus dilecto consanguineo nostro Georgio de Lesley militi
et Elizabet sponse sue nepti nostre hereditarie totam et integram baroniam de ffythkill cum pertinentiis iacentem infra vicecomitatum de ffyff que quidem baronia cum pertinen
tiis fuit dilecti consanguinei nostri Alexandri de Lesley comitis de Ross hereditarie et quam idem Alexander non vi aut metu ductus nec errore lapsus sed mera et spontanea vo
luntate sua in manus nostras per suas litteras patentes in presentia plurimum regni nostri procerum baronum militum et nobilium sursum reddidit pureque et simplici
ter resignavit ac totum ius et clameum que in dicta baronia cum pertinentiis habuit vel habere potuit pro se et heredibus suis omnino quietum clamavit inperpetuum. Tenenda
et habendam totam et integram baroniam predictam cum pertinentiis dictis Georgio et Elizabet sponse sue et eorum diutius viventi ac heredibus inter ipsos legitime procreatis seu
procreandis quibus forte deficientibus veris legitimis et propinquioribus heredibus dicti Georgii quibuscumque, de nobis et heredibus nostris in feodo et hereditate inperpetuum
per omnes rectas metas antiquas et divisas in boscis planis moris marresiis viis semitis pratis pascuis et pasturis molendinis multuris et eorum sequelis aucupationibus ve
nationibus et piscationibus fabrinis et bracinis cum furca fossa sok sak tholl theme Infangandthefe et outfangandthefe Cum tenandriis et liberetenentium servitiis Cum cu
riis escaetis et amerciamentorum exitibus ac cum omnimodis aliis libertatibus commoditatibus aisiamentis ac iustis pertinentiis suis quibuscumque ad dictam baroniam cum pertine
ntiis spectantibus seu quoquo modo spectare valentibus infuturum tam non nominatis quam nominatis tam sub terra quam supra terram prope et procul libere quiete plenarie inte
gre et honorifice bene et in pace. Reddendo nobis et heredibus nostris dicti Georgius et Elizabet sponsa sua et eorum diutius vivens ac heredes sui inter ipsos legitime procreati
seu procreandi quibus forte deficientibus veri legitimi et propinquiores heredes dicti Georgii quicumque de dicta baronia cum pertinentiis annuatim ad festum penthecosten
apud caucem fori de Cupro unum par cirothecarum nomine albe firme si petatur tantum pro wardis maritagiis et releviis sectis curie ac omnimodis aliis servitiis secularibus
exactionibus seu demandis que per nos vel heredes nostros de dicta baronia cum pertinentiis infuturum exigi poterunt quomodolibet vel requiri. In cuius rei testimonium
presenti carte nostre nostrum precepimus apponi sigillum. Testibus venerabilibus in xpo patribus Waltero et Gilberto cancellario nostro Santiandree et Abirdonen ecclesiarum
episcopis Carissimo primogenito nostro David duce Rothsaye comite de Carrik senescallo Scotie. Roberto duce Albanie comite de ffiff et de Menteth fratre nostro di
lecto Archebaldo comite de Douglas domino Galwidie, Jacobo de Douglas domino de Dalketh et Thoma de Erskyne consanguineis nostris dilectis militibus. Apud Perth
Quinto die mensis ffebruarii Anno regni nostri Nono ..





Charta
ROBERTI III. REGIS.



obertus *Dei gratia Rex Scottorum Omnibus probis hominibus totius terre ſue clericis et laicis ſalutem. Sciatis quod concesſimus dilecto conſanguineo nostro Georgio de Lesley Militi et Elizabet ſponse sue nepti noſtre, hereditarie totam et integram baroniam de Fytkill cum pertinentijs, jacentem infra vicecomitatum de Fyff, que quidem baronia cum pertinentijs fuit dilecti conſanguinei nostri Alexandri de Lesley Comitis de Roſs hereditarie, et quam idem Alexander non vi aut metu ductus nec errore lapſus sed mera et spontanea voluntate ſua in manus nostras per ſuas litteras patentes, in presentia plurium regni nostri procerum baronum, militum et nobilium, ſursum reddidit pureque et ſimpliciter reſignavit, ac totum jus et clameum que in dicta baronia cum pertinentijs habuit vel habere poterit, pro se et heredibus ſuis omnino quietum clamavit imperpetuum; Tenendam et habendam totam et integram baroniam predictam cum pertinentijs, dictis Georgio et Elizabet ſponse ſue et eorum diutius viventi, ac heredibus inter ipſos legitime procreatis ſeu procreandis, quibus forte deficientibus, veris, legitimis et propinquioribus heredibus dicti Georgij quibuscunque de nobis et heredibus nostris in feodo et hereditate imperpetuum, per omnes rectas metas antiquas et diviſas, in boſcis, planis, moris, marreſijs, vijs, ſemitis, pratis, paſcuis et paſturis, molendinis, multuris et eorum ſequelis, aucupationibus, venationibus et piscationibus, fabrinis et bracinis, cum furca, foſsa, ſok, ſak, thol, theme, infangandtheſe et outfangandtheſe, cum tenandijs et liberetenentium servicijs, cum curijs, eſcaetis et curiarum exitibus, ac cum omnimodis alijs libertatibus, commoditatibus, aiſiamentis ac juſtis pertinentijs ſuis quibuſcunque ad dictam baroniam cum pertinentijs ſpectantibus ſeu quoquo modo ſpectare valentibus in futurum, tam non nominatis quam nominatis, tam ſub terra quam ſupra terram, prope et procul, libere, quiete, plenarie, integre, et honorifice, bene et in pace; Reddendo nobis et heredibus noſtris dicti Georgius et Elizabet ſponsa ſua, et eorum diutius vivens, ac heredes sui inter ipſos legitime procreati seu procreandi, quibus forte deficientibus, veri, legitimi et propinquiores heredes dicti Georgij quicunque dicta baronia cum pertinentijs annuatim ad feſtum Penthecostes apud crucem fori de Cupro unum par cirothecarum nomine albe firme, ſi petatur tantum, pro wardis maritagijs et relevijs fectis curie ac omnimodis alijs ſervicijs ſecularibus, exactionibus ſeu demandis que per nos vel heredes noſtris de dicta baronia cum pertinentijs in futurum exigi poterunt quomodolibet vel requiri. In cujus rei testimonium preſenti carte noſtre noſtrum precepimus apponi ſigillum. Teſtibus venerabilibus in Chriſto patribus Waltero et Gilberto Cancellario nostro Sanctiandree et Abirdonenſis ecclesiarum Epiſcopis, cariſsimo primogenito noſtro David Duce Rothsaye comite de Carrik Senescallo Scotie, Roberto Duce Albanie Comite de Fiff. et de Menteth fratre noſtro dilecto, Archebaldo Comite de Douglas Domino Galwadie, Jacobo de Douglas Domino de Dalketh, et Thoma de Erskyne conſanguineis noſtris dilectis, Militibus, Apud Perth quinto die menſis Februarij Anno regni noſtri nono.*



C. H.

Robert

Robertus dux Albanie comes de Fyf et de Menteth ac gubernator reg
nos dedisse concessisse et hac presenti carta nostra confirmasse
dinaus nuenti totas et integras terras baronie de Sygare cum pertinentiis
terris de lekers cum pertinentiis pertinentibus abbati et conventui monaste
reddit cum pertinentiis fuerunt dicti Malcolmi hereditarie Et quas tris
sus sed mera et spontanea voluntate sua in manus nostras coram testibus subsc
reddidit pureque simpliciter resignavit ac totum ius et clameum que in pr
omnino quiteclamavit imperpetuum Tenend et habend ac capiend totas
nostre sponse sue et eorum dinaus nuenci ac heredibus masculis inter ips
ribus heredibus prefati Malcolmi quibuscunque libere renceterua de domini
et divisas Cum omnibus et singulis libertatibus comoditatibus et aisiament
seu nisi fratare ualentibus quomodolibet in futurum Reddo libere et quiete pl
dicte baronie bnacum dicto annuo redditu cum pertinentiis de domino nostro rege
nostro regi et heredibus suis predictus Malcolmus et Elizabeth sponsa sua et eorum dinau
veri legitimi et propinquiores heredes predicti Malcolmi quiminque de predictis terris
nostre magnum sigillum officii nostri apponi precepimus Testibus Reverendis in
sancte crucis de Edinburgh Johanne comite Buchanie filio nostro Roberto de
de LisTon secretario nostro apud Perth vicesimo octavo die mensis Junii An



Gubernatoris.

[O]mnibus probis hominibus totius regni predicti clericis et laicis Salutem. Sciatis
[...]stro malcolmo flemyng de Bigare et Elizabeth Stewart filie nostre sponse sue ac eorum
[...]n vicecomitatum de lanarkbna cum toto et integro annuo redditu debito et currente de
[...]s de Cumbirnauld infra vicecomitatum de striuelyne Que quidem terre cum dicto annuo
[...]nuo redditu cum pertinenciis Idem malcolmus non vi aut metu ductus nec errore lap[sus]
[...]a beate marie virginis iuxta pontem de tay per fustem et baculum personaliter sursu[m]
[...]et annuo redditu cum pertinenciis habuit vel habere poterit pro se et heredibus suis
[...]tas terras una cum dicto annuo redditu cum pertinenciis dicto malcolmo et Elizabeth filie
[...]procreatis vel procreandis Quibus forte deficientibus veris legittimis et propinquioribus
[...]heredibus suis in feodo et hereditate imperpetuum per omnes rectas metas suas antiquas
[...]tinenciis quibuscumque ad predictas terras et annuum redditum cum pertinenciis spectantibus
[...]et honorifice bene et in pace in omnibus et per omnia sicut prefatus malcolmus predictas terras
[...]ante dictam resignacionem nobis inde factam liberius tenuit seu possedit faciendo dno
[...]heredes masculi inter ipsos legittime procreati seu procreandi Quibus forte deficientibus
[...]annuo redditu cum pertinenciis servicia debita et consueta In cuius rei testimonium presenti carte
[...]Gilberto epo Aberdonensi cancellario Scotie Waltero epo Brechinensi Johanne abbate
[...]aldrelbod et Johanne forstare de Corstorphin militibus Apud Lundoris die habbit ... mo
[...]llesimo quadringentesimo decimo tertio Et gubernacionis nostre octauo.






CHARTA

ROBERTI GUBERNATORIS.

Robertus Dux Albanie Comes de Fife et de Menteth ac Gubernator Regni Scocie, Omnibus probis hominibus tocius regni predicti clericis et laicis salutem. Sciatis nos dedisse, concessisse, et hac presenti carta nostra confirmasse dilecto filio nostro Malcolmo Flemyng de Bigare et Elizabeth Stewart filie nostre sponse sue, ac eorum diucius viventi, totas et integras terras baronie de Bigare cum pertinenciis jacentes infra vicecomitatum de Lanark, una cum toto et integro annuo redditu debito et exeunte de terris de le Kers cum pertinenciis, pertinentibus Abbati et conventui monasterii sancte crucis de Edinburgh infra vicecomitatum de Strivelyne Que quidem terre cum dicto annuo redditu cum pertinenciis fuerunt dicti Malcolmi hereditarie et quas terras cum eodem annuo redditu cum pertinenciis idem Malcolmus, non vi aut metu ductus nec errore lapsus, sed mera et spontanea voluntate sua in manus nostras coram testibus subscriptis in capella beate Marie virginis juxta pontem de Tay, per fustem et baculum personaliter sursum reddidit pureque simpliciter resignavit, ac totum jus et clameum que in predictis terris et annuo redditu cum pertinenciis habuit vel habere poterit, pro se et heredibus suis omnino quietum clamavit imperpetuum, tenend. et habend. ac percipiend. totas et integras predictas terras una cum dicto annuo redditu cum pertinenciis dicto Malcolmo et Elizabeth filie nostre sponse sue, et eorum diucius viventi, ac heredibus masculis inter ipsos legitime procreatis vel procreandis, quibus forte deficientibus, veris, legitimis et propinquioribus heredibus prefati Malcolmi quibus cunque, libere tenenda de domino nostro Rege et heredibus suis in feodo et hereditate imperpetuum per omnes rectas metas suas antiquas et divisas cum omnibus et singulis libertatibus, commoditatibus et aisiamentis ac justis pertinenciis quibuscunque ad predictas terras et annuum redditum cum pertinenciis spectantibus seu juste spectare valentibus quomodolibet in futurum, adeo libere et quiete plenarie, integre et honorifice, bene et in pace, in omnibus et per omnia sicut prefatus Malcolmus predictas terras dicte baronie una cum dicto annuo redditu cum pertinenciis de domino nostro Rege et heredibus suis ante dictam resignationem nobis inde factam liberius tenuit seu possedit; faciendo Domino nostro Regi et heredibus suis, predictus Malcolmus et Elizabeth sponsa sua, et eorum diucius vivens, ac heredes masculi inter ipsos legitime procreati seu procreandi, quibus forte deficientibus veri legitimi et propinquiores heredes predicti Malcolmi quicunque, de predictis terris dicte baronie et annuo redditu cum pertinenciis, servicia debita et consueta. In cujus rei testimonium presenti carte nostre magnum sigillum officii nostri apponi precepimus Testibus reverendis in Christo patribus Gilberto Episcopo Aberdonensi Cancellario Scocie, Waltero Episcopo Brechinensi, Johanne Abbate sancte crucis de Edinburgh, Johanne Comite Buchanie filio nostro, Roberto de Maxwel de Caldorewed et Johanne Forstare de Corstorfyn militibus, nec non Andrea de Hawic rectore de Listoun secretario nostro Apud Perth vicesimo octavo die mensis Junii, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio, et Gubernacionis nostre octavo.

Charta M



urdacus Dux Albanie comes de fife et de Menteth
Salutem in domino sempiternam Noueritis uniuer
et fidelium consiliariorum et consanguineorum nostro
Georgii comitis marchie . Jacobi de Douglas de
Cambuskineth et de Balmurmach . Patricii de
Georgii de Borthwike archidiaconi Glasguen
nostri plenius confidentes . ipsos fecimus constitu
tamus ordinamus et stabillimus pariter ex certa
rios / ambassiatores deputatos et nuncios speciales
nouem octo septem sex quinque quatuor vel tribus
et comparendi cum et coram quibuscumque commissariis
sufficientem potestatem ad hoc habentibus ab eodem
cum ipsis et coram ipsis dicti regni Anglie commissarius
super deliberacione serenissimi principis ac domini nostri
posito vel componendo concordato seu concordando
et assecurandi per fidem et iuramentum in animam no
securitates stipulaciones et obligaciones tot et tales
et modis quibus eis aut ipsis nouem otto septem sex
tentes fideliter et bona fide nos tenere et habere ac
dictos commissarios et nuncios nostros eorum nouem otto
aliquo premissorum Etiam si mandatum exigat
Innerkethyne decimonono die mensis Augusti Anno



Geo. Child sc

…CI GUBERNATORIS

…gubernator Universis ad quorum noticiam presentes litere peruenerint
…de fidelitate circumspectione, prudencia et experta diligencia dilecto[rum]
…in Christo patris Willelmi dei gracia episcopi Glasguensis cancellarii Scocie
…nostri venerabilium in Christo patrum abbatum monasteriorum de
…Roberti de Lawedre de Edringtoun militum necnon magistri
…de Hodstoun licenciati in legibus canonicis Glasguensis secretarii
…ordinamimus et stabellimus facimusque constituimus de pu…
…deliberato consilio tres status regni nostros et dicti regni commissa…
…dentes harum nostrarum tenore literarum dictis commissariis nostris, coro…
…am potestatem auctoritatem et mandatum speciale se representandi
…toribus et deputatis excellentissimi principis Henrici regis Anglie
…locis ipsis commissariis et nunciis nostris visum fuerit expedire de et cum
…quibuscumque communicandi tractandi concordandi et finaliter concludendi
…dei gracia regis Scottorum illustris Et super quocumque tractatu com…
…parte nostra ad et coram illis dictis commissariis dicti regis Anglie firmandi
…di ac dandi concedendi super hoc et dependenciis suis omnes cauciones
…necesse fuit. et dictis commissariis et nunciis nostris omnibus melioribus viis
…vel tribus videbitur expediens acceptabile vel oportunum promit…
…bitimus Ratum gratum firmum et acceptabile quicquid et totum quod pre…
…quatuor vel tres actum factum gestum ve fuerit in premissis vel
…ale Datum sub testimonio magni sigilli officii nostri apud villam de
…quadringentesimo vicesimo tercio Et gubernacionis nostre tercio :—





CHARTA
Murdaci Gubernatoris.

Murdacus Dux Albanie Comes de Fife et de Menteth ac regni Scocie Gubernator, Universis ad quorum noticiam presentes litere pervenerint salutem in Domino sempiternam. Noverit universitas vestra quod nos de fidelitate, circumspectione, prudentia et experta diligencia dilectorum et fidelium consiliariorum et consanguineorum nostrorum Reverendi in Christo patris Wilelmi Dei Gracia Episcopi Glasguensis Cancellarij Scocie, Georgei Comitis Marchie, Jacobi de Douglas de Balvani fratris nostri, Venerabilium in Christo patrum Abbatum monasteriorum de Cambuskineth et de Balmurinach, Patricij de Dunbar de Bele, Roberti de Lawedre de Edringtoun, militum, nec non Magistri Georgei de Borthwike Archidiaconi Glasguensis, et Magistri Patricij de Houstoun licenciati in legibus Canonici Glasguensis Secretarij nostri plenius confidentes, ipsos fecimus, constituimus, deputavimus, ordinavimus et stabellivimus, facimusque, constituimus, deputamus, ordinamus et stabellimus, pariter ex certa scientia et deliberato consilio trium statuum regni, nostros et dicti regni commissarios, ambasiatores, deputatos et nuncios speciales; Dantes et concedentes harum nostrarum tenore literarum dictis commissarijs nostris, eorum novem, octo, septem, sex, quinque, quatuor vel tribus, plenam et liberam potestatem, auctoritatem et mandatum speciale se representandi et comparendi cum et coram quibuscunque commissarijs, nuncijs, ambasiatoribus et deputatis excellentissimi Principis Henrici Regis Anglie sufficientem potestatem ad hoc habentibus ab eodem, in quibuscunque locis ubi ipsis commissarijs et nunciis nostris visum fuerit expedire, Ac etiam cum ipsis, et coram ipsis dicti Regis Anglie Commissarijs seu deputatis quibuscunque communicandi, tractandi, concordandi et finaliter concludendi super deliberatione Serenissimi Principis ac domini nostri ligei Jacobi Dei Gratia Regis Scottorum illustris, et super quocunque tractatu composito vel componendo, concordato seu concordando, pro nobis et ex parte nostra cum et coram illis dictis commissarijs dicti Regis Anglie, firmandi et assecurandi per fidem et juramentum in animam nostram Prestandum, ac dandi, concedendi super hoc et dependencijs suis omnimodas cauciones, securitates, stipulaciones et obligaciones, tot et tales quot et quales necesse fuerit. et dictis commissarijs et nuncijs nostris omnibus melioribus viis et modis quibus eis aut ipsis novem, octo, septem, sex, quinque, quatuor vel tribus videbitur expediens, acceptabile vel oportunum. Promittentes fideliter et bona fide nos tenere et habere ac fore perpetuo habituros ratum, gratum, firmum et acceptabile quicquid et totum per predictos commissarios et nuncios nostros, eorum novem, octo, septem, sex, quinque, quatuor vel tres actum, factum gestumve fuerit in premissis vel aliquo premissorum, etiam si mandatum exigant magis speciale. Datum sub testimonio magni sigilli officii nostri apud villam de Innerkethyne decimo nono die mensis Augusti, Anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo tertio et Gubernac[illegible]



Charta Jacobi primi Regis.

Sua ipsius manu scripta

James throu the grace of god kynge of Scottis. Til all that this lettre heris or seis sendis gretynge. Wit ze that we have grauntit & be this present lettres grauntis
a speciall confirmacioun in the maste forme til oure traiste and wele belofit Cosyng Sr William of Douglas of Drumlangrig of all the landis that he is possessit
and chartrit of with in the kyngdome of Scotlande that is for to say the landis of Drumlangrig of Hawyke & of Selkirke the whilk chartis & possiouns
be this lettre we confermie. and wil for the mair sekernes this oure confirmatioune be formabili eft the forme of oure chauncellarie & the tenor of his
chartris selit with oure grete sele in tyme to come. in witnes of the whilkis this presentis lettres we wrate with oure propre hande vnder the signet vsit
in selyng of oure lettres as now at Croidoune the last day of Nouember the zere of oure lorde m cccc xii.

CHARTA
Jacobi Primi Regis,
Sua ipsius manu scripta.


amis throu the grace of God Kynge of Scottis, Till all that this lettre heris or seis sendis gretynge. Wit ȝe that we have grauntit and be this presentis lettres grauntis a speciall confirmatiun in the mast forme till oure truste and wele belofit cosyng Sir William of Douglas of Drumlangrig of all the landis that he is possessit and chartrit of within the kyngdome of Scotlande, that is for to say, the landis of Drumlangrig, of Hawyke, and of Selkirke, the whilkis charts and possessiouns be this lettre we conferme, and wil for the mare sekernes this oure confirmatioune be formabilli efter the fourme of oure Chanusselllure, and the tenor of his chartris, selit with oure grete sele in tyme to come. In witnes of the whilkis this presentis lettres we wrate with oure propre hande under the signet usit in selyng of oure lettres, as now at Croidoune the last daie of November, the ȝer of oure Lorde 1.mo cccc.o XII

Charta Francisci et

FRANCISCVS ET MARIA DEI GRATIA SCOTIÆ ANGLIÆ ET IRLANDIÆ REX ET REGINA D
quorumq notitias hæ nostræ litteræ peruenerint Nos moti et vehementer incitati Intuitu seruitij quod Jacobus dominus de flemyng integra fide
laborum in Regno nostro per eum susceptorum simulq periculorum quibus in nouissimis conflictibus aduersus Anglos veteres nostros hostes ad summ
absq vlla hostium formidine vna cum alijs Regnj nostri nobilibus qui ad nuptias nostras decorandas læto animo accesserunt non minus
clausit diem, Quibus omnibus ac multis alijs rationibus et causis nos mouentibus quantum Illj si vixisset præstitissemus eius nomin
noster Jacobus Comes de Mortoun dilecto nostro Malcolmo domino de flemyng prædictorum fratrum patrj hæredibusq eius et assignatis
seruitioq libere tenentium partibus pendiculis aduocationibus et donationibus ecclesiarum et Capellaniarum earundem cum pertinentijs
quondam parentem nostrum eiusq successores prædictorum dilectorum nostrorum assignatos in et ad dictam reuersionem et redemptionem d
postquam ad dictam reuersionem assignatus constitueretur et antea quam dilectus noster Malcolmus dominus de flemyng charissimj
remissurum ea lege qua præfatæ terræ et Baronia cum tenentibus tenentijs aduocationibus et donationibus ecclesiarum et Capellania
dominus eiusq hæredes absq vlla redemptione dictas terras quiete et pacifice possiderent Renuntiauimus quiete clamauimus et omnino rem
possessoribus dictarum terrarum et Baroniæ de lukbutho cum earum tenentibus tenentijs aduocationibus et donationibus ecclesiarum et C
nos aut antecessores nostri hactenus habuimus vel inposterum habere possumus vel ad eadem pretendimus in et ad redemptionem dictaru
ad dictas literas reuersionis redemptionisq dictarum terrarum et Baroniæ cum tenentibus tenentijs aduocationibus et donationibus
Baronia absq vlla redemptione apud eosdem inperpetuum maneant. Simul etiam promittimus præfato dilecto nostro nunquam nos posth
reuersionis et redemptionis dictarum terrarum et Baroniæ cum tenentibus pertinentijs aduocationibus et donationibus ecclesiarum
in possessione et pacifica occuppatione dictarum terrarum et Baroniæ cum tenentibus tenentijs aduocationibus et donationibus
nostrum Judicibus In spiritualibus aut temporalibus criminalibus aut ciuilibus ne in Jus vocent citent cognoscant aut proce
cum pertinentijs tenentijs tenentibus et seruitio libere tenentium aduocationibus et donationibus prædictis earundem virtute n
personarum quaruncunq hac in parte contra præfatum dilectum nostrum vllo pacto procedant eos exoneramus ab officioq excipim
Mensis Januarij Anno dominj Millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo et Regnj nostrj Scotiæ primo et decimo septimo Ang

Franciscus

Maria



Mariæ R. R. Scotiæ etc.

NVS ET DELPHINA VIENNEN COMITES VALENTINEN ET DIENCIÆ omnibus et singulis nobis subditis quorum interest ad
animo nobis ac charissimæ Matrj Regnj nostrj sapientissimæ gubernatrici aliisq; omnibus nostris ministris semper oppertineq; præstitit habita etiam ratione
i honoris gloriæq; amplificationem et Reipublicæ defensionem fortiter sese exposuerit vna cum periculo omnj cum maris tempestate et fortuna quod ipse
quam intrepide subijt, quj omnj cum honore ad nostrj nominis splendorem officio functus in patriam rediens longo correptus morbo tandem in Gallia vltimu
re ipsius fratrj Joannj hæredj nunc domino de flemyng per nos præstarj volumus In quorum omnium recordationem considerando quod quondam dilectus
eusu quondam patris nostrj charissimj vendidit hæreditarieq; alienauit omnes et singulas terras et Baroniam de kukbuthe vna cum tenentibus et tenen
ersione ad summam quattuor millium marcarum Cuiquidem reuersionj quondam dilectus noster Jacobus Comes de Mortoun fecit et constituit charissimum
terrarum ac Baroniæ cum tenentibus tenentijs aduocationibus et donationibus antedictis, et insuper certo scientes quod noster charissimus quondam pares
tris seruitio Regniq; eius defensione in Angliam captiuus duceretur fidelissime promisit dictam reuersionem prædicto dilecto nostro prorsus se
n earundem pertinentijs nunquam per se aut per suos hæredes virtute præfatæ reuersionis redimerentur Sed quod prædictus Malcolmus de flemyng
per presentes renuntiamus quiete clamamus et remittimus prædicto Joannj nunc domino de flemyng, eiusq; hæredibus assignatis et successoribus ac hæreditariæ
arum prædictarum cum suis pertinentijs antedictis literas reuersionis cum omnj effectu et virtute earundem omnj cum actione titulo Juris et accessu que
rum virtute earundem. Necnon transferimus omnem titulum nostrj Juris omnemq; actionem quam hactenus habuimus vel in futurum habere prætendimus
s virtute earundem in dictum Joannem nunc dominum de flemyng hæredesq; eius ac hæreditarios possessores antedictos ita quod præfatæ terræ et
nostram renuntiationem reuocaturos nec vllo modo aut via eidem contrauenire velle presentem hanc renuntiationem dictarum litterarum
aturos et imperpetuum approbaturos Necnon tuebimur et defendemus prædictum dilectum nostrum eiusq; hæredes successores et possessores a redictis
absq; vlla redemptione Quapropter prohibemus et Inhibemus omnibus et singulis Senatus nostrj Consiliarijs et quibuscunq; alijs infra Regnum
ant contra dilectum nostrum antedictum eiusq; hæredes successores et possessores concernen redemptionem prædictarum terrarum et Baroniæ
is et ne quouis alio modo vel ad Instantiam nostram vel aduocatorum nostrorum nostro nomine seu ad petitionem cuiuscunq; alterius personæ aut
iam Id sic fierj volumus In cuius rej testimonium sigillum nostrum presentibus fecimus apponere Datum Parisijs die decimasexta
et Irlandiæ primo.

Geo. Child excrip. et Sculp.







CHARTA
Thor Longi.

Omnib' scē matris ecclē filiis. Thor long' in dno sal'. Sciatis
quod Edgarus dns ms rex scottorꝝ dedit m Ednahā deserta.
quā ego suo auxilio & mea ppa pecunia inhabitaui. & ecclā
inhonore sci Cuthbti fabricaui. Quā ecclā cū una carrucata
tre dō & scō Cuthbto & monachis ei' inppetuu possidendā dedi.
hanc q; donationē feci panima dni mei regis Edgari. & panima
bus patris & matris illi'. & psalute fratrū & sororꝝ ipsi'. & predep
tione Lefwini frīs mei dilectissimi. & pmemet ipsi tam corporis
quā anime salute. Et siqs hanc meā donationē scō pdicto & mona
chis sibi seruientib' aliqua ui ul' ingenio auferre psūpserit. auferat
ab eo ds omnipotens uitam regni celestis. & cū diabolo & angłis ei'
penas sustineat etnas. am.

Ejusdem.

Dno suo kmo. D. comiti. Thor omnino suus. sal'. Sciatis dne mi qd' Eadgar' rex fr' ur' dedit
m Ednahā deserta. quā ego suo auxilio & mea pecunia inhabitaui. & ecclam a fundamtis
fabricaui. quā fr' ur' rex in honorē Sci Cuthbti fecit dedicari. & una carrucata terre eā
dotauit. Hanc eandē ecclam p anima eidē dni mei regis Eadgari & patris 7 matris ei'
urē. & p salute ura & regis Alexandri & Mathildis regine Sco predicto 7 Monachis ei
dedi. Unde uos precor sic dnm meū kmum. ut p animab' parentū urorꝝ & p salute
uiuorꝝ hanc donationē Scō Cuthbto & Monachis sibi in ppetuū seruituris ccedatis.



CHARTA THOR LONGI.

Omnibus Sanctę matris Ecclesię filijs, Thor Longus in Domino salutem. Sciatis quod Eadgarus dominus meus Rex Scottorum dedit mihi Ædnaham desertam, quam ego, suo auxilio et mea propria pecunia, inhabitavi, et ecclesiam in honorem sancti Cuthberti fabricavi, quam ecclesiam cum una carrucata terrę, Deo et sancto Cuthberto et monachis ejus in perpetuum possidendam dedi. Hanc igitur donationem feci pro anima domini mei Regis Eadgari, et pro animabus patris et matris illius, et pro salute fratrum et sororum ipsius, et pro redemptione Lefwini fratris mei dilectissimi, et pro meimet ipsius tam corporis quam animę salute. Et siquis hanc meam donationem Sancto prędicto et monachis sibi servientibus aliqua vi vel ingenio auferre presumpserit, auferat ab eo Deus omnipotens vitam Regni cęlestis & cum Diabolo et Angelis ejus penas sustineat ęternas, Amen.

Ejusdem

Domino suo karissimo David Comiti, Thor omnino suus, salutem. Sciatis Domine mi, quod Eadgarus Rex frater vester dedit mihi Ednaham desertam, quam ego suo auxilio et mea pecunia inhabitavi, et ecclesiam a fundamentis fabricavi, quam frater vester Rex in honorem Sancti Cuthberti fecit dedicari, et una carrucata terrę eam dotavit. Hanc eandem ecclesiam pro anima ejusdem domini mei Regis Eadgari et patris et matris vestrę et pro salute vestra et Regis Alexandri et Mathildis Reginę, sancto predicto et monachis ejus dedi. Unde vos precor sicut dominum meum karissimum, ut pro animabus parentum vestrorum et pro salute vivorum hanc donationem sancto Cuthberto et monachis sibi in perpetuum servituris concedatis.

Charta Cospatricij Comitis.

Omnib; s͡ce eccle d͡i filiis sullimorib; 7 inferiorib; ordinatis 7 laicis. Gospatc̃ comes fr̃ dolfini sal᷑. Sciatis me concessisse 7 dedisse d͡o 7 s͡co Cuthb͡to. 7 monachis ei͡ in elemosinã. uillã de ederhã 7 ecc͡lam eid͡e uille cũ o͡ib; capell͡ suis. 7 aliã uillã q͡d͡r nesebite. lib͡as 7 q͡etas inppetuũ possidendas. cũ o͡ib; q͡ ad easd͡e uillas p͡tinent. in t͡ris 7 aq͡s. 7 pratis. 7 pascuis. pro a͡ia Malcolmi regis. 7 filioꝝ eius regũ Edgari Alexandri. 7 p rege d͡d 7 filio ei͡ henr͡. 7 p me ip͡o 7 uxore mea. 7 filiis meis 7 p a͡iab; o͡ium parentũ meoꝝ. Et si aliquis hanc elemosine mee uult contradicere. inĩ eũ 7 d͡m sit. Testib; Will͡o filio dun. Gosp͡ filio ei͡. Vlkil filio Meld͡. Rand͡ d͡ lund͡. S. p͡sb͡ro. Joh͡e capellano. Gosp͡. filio crin. 7 aldan fr̃e ei͡. 7 lãbt dap͡ val͡. Quicũq; h̃ abstulerit. d͡s sibi 7 hanc uitã 7 regnũ celoꝝ auferat.



Gospatc̃ comes Omnib͡ filiis s͡ce ecclie sal. Sciatis me c͡cessisse 7 hac carta mea c͡firmasse deo 7 f͡rib͡ ecclie s͡ci cuthberti Dunelmie ibide deo seruientib͡ elemosinam q͡ pat͡ meus eis dedit 7 ego. nõiatim Ederham 7 Nesbit 7 ecc͡liam de edham, cũ omnib͡ p͡tinentiis q͡s pat͡ meus eis dedit 7 carta sua c͡firmauit; his testib͡. Andr͡ archidiacono. Adam fr̃e suo. Nigello capellano. Ketello filio dolfin. Gualdo. Alden dapifo. Adam filio Alden. Adam filio Gospatricii;




Charta Gospatricij Comitis

Omnibus Sancte Ecclesie Dei filiis sullimioribus et inferioribus, ordinatis et laicis, Gospatricius Comes frater Dolfini salutem. Sciatis me concessisse et dedisse Deo et sancto Cuthberto et monachis ejus in elemosinam villam de Ederham et ecclesiam ejusdem ville cum omnibus capellis suis, et aliam villam que dicitur Nesebite liberas et quietas in perpetuum possidendas, cum omnibus que ad easdem villas pertinent, in terris et aquis et pratis et pascuis, pro anima Malcolmi Regis et filiorum ejus Regum Eadgari, Alexandri, et pro Rege David et filio ejus Henrico, et pro me ipso et uxore mea et filiis meis et pro animabus omnium parentum meorum. Et si aliquis huic elemosine mee vult contradicere, inter eum et Deum sit. Testibus Willelmo filio Dun. Gospatricio filio ejus, Ulkil filio Meld. Randulfo de Lindesey, S. Presbitero, Johanne capellano, Gospatricio filio Crin. et Aldan fratre ejus, et Lamberto dapifero. Valete. Quicunque hec abstulerit, Deus sibi et hanc vitam et regnum celorum auferat.


Charta Gospatricij junioris Comitis

Gospatricius Comes omnibus filiis Sancte Ecclesie salutem. Sciatis me concessisse et hac carta mea confirmasse Deo et fratribus ecclesie Sancti Cuthberti Dunelmie, ibidem Deo servientibus elemosinam quam pater meus eis dedit et ego, nominatim Ederham et Nesbit, et ecclesiam de Ederham, cum omnibus pertinentiis quas pater meus eis dedit et carta sua confirmavit. His testibus, Andrea Archidiacono, Adam fratre suo, Nigello capellano, Ketello filio Dolfini, Ernaldo, Alden dapifero, Adam filio Alden, Adam filio Gospatricii.



Charta Waldevi Filij Cospatricij

Walděu fili' cospatricii oīb; probis hōib; suis. ⁊ omīb; amicis suis tam futuris q̄ p̄sentib; sal. Sciatis me dedisse ⁊ ɔcessisse. ⁊ hac carta mea ɔfirmasse helie filio huctredi dundas p̄ seruitio dimidii militis. illū ⁊ hedes suos. tenendū de me ⁊ hedib; meis in feudo ⁊ heditate. in moris. in aq̄s. ī stagnis. in molendinis. in p̄tis. in pasturis. cū omīb; rectis diuisis ⁊ p̄tinentiis. Concedo itaq; ꝙ uolo ⁊ p̄cipio. ut iste p̄dictus helias istā t̄ram habeat ⁊ teneat tam q̄ete. ⁊ tā libe ⁊ tā honorifice. ut nullus miles de barone tenet liberius. ⁊ q̄eti⁹. ⁊ honorificēti⁹. in tota t̄ra regis Scotie. his testib;. Johe filio orm. Walduo filio baldewin. Robto đ sc̄o michaele. helia đ hadestādena. Witto đ copland. Witto đ hellebec. Aldano dapifo. Gerardo milite. Johe de ggin.





CHARTA
Waldevi Filij Cospatricij

Waldevus Filius Cospatricii, Omnibus probis hominibus suis, et omnibus amicis suis tam futuris quam presentibus salutem. Sciatis me dedisse et concessisse et hac carta mea confirmasse Helie filio Huttredi, Dundas, pro servitio dimidii militis, illum et heredes suos tenendum de me et heredibus meis in feudo et hereditate, in moris, in aquis, in stagnis, in molendinis, in pratis, in pasturis, cum omnibus rectis divisis et pertinentijs. Concedo itaque et volo et precipio ut iste predictus Helias istam terram habeat et teneat tam quiete et tam libere et tam honorifice, ut nullus miles de barone tenet liberius et quietius et honorificentius in tota terra Regis Scotie. His testibus, Johanne filio Otin, Waldevo filio Baldewin, Roberto de Sancto Michaele, Helia de Hadestandena, Willelmo de Copland, Willelmo de Hellebet, Aldano dapifero, Gerardo milite, Johanne de Gregin.

Charta Ricardi de Morevill Constabularii Regis Scottorum. LXXV

Ric. de Morevill Constab. Reg. Scot. omnibus probis hominibus suis et amicis presentibus et futuris salutem. Sciatis me
dedisse et quietum clamasse et hac carta confirmasse Henrico de Sancto Claro Edmundum filium Bonde et Gillemichel
fratrem eius et filios et filias suas et totam progeniem ab eis decendentem sibi et heredibus suis. solos et quietos de me
et heredibus meis pro tribus marcis quas mihi dedit. tali conditione quod si contingat uel ipsi aliquo euentu discedant
a predicto Henrico et hoc non per licentiam et bonam uoluntatem eius non liceat eis in dominium alterius domini transire
nisi ad illum dominum qui me et ad terram meam. His testibus. Alano filio Elsi. Rob. fil. Sewale. Normanno de
Fachues et Patricio fratre eius. Petro del Hage. Rob. de Ogeltun. Will. de Peutun. Gilleleo de Ethip. Thome
longo. Holbern fil. Buth. Will. de Gilkillestun. Huctredo Litel. Rog. Grosso. Panno pellipario. Si-
mone de Haccanestyra. Alden fil. Gospatric. Rog. Masta. Thoma clerico.

Alia ejusdem.

Sciant tam presentes quam futuri quod ego Ric. de Morevill
Const. Regis Scott. dedi et concessi Henrico de Sancto Claro et hac
mea carta confirmaui Hyrdmanestun cum tota terra quam Ric.
Camerarius tenuit de Hug. patre meo de Morevill et de me. Excepta
dimidia carrucata terre quam in manu mea teneo. et cum hac predicta
terra do sibi in incrementum terram quam commodaueram prefato Ric. Cam. s. terram que
iacet iuxta pontem inter Calkeburne et Vacellum quod est in parte occiden-
tali Berbertre. sibi et heredibus suis tenendam de me et heredibus meis
in feodo et hereditate libere et quiete et honorifice in pratis in pas-
cuis in molendinis in uiis in semitis in bosco et plano et in omnibus aliis
locis. et per easdem diuisas per quas sepedictus Ric. Cam. illam tenuit. facien-
do seruicium quarte partis unius militis mihi et heredibus meis post me.
